


Colleg. Spi.

Ex Libris Alexandri Scomiglioli
. Anno Dni. 1794. J. B. . 27. Xbris
Baj: = 50. =

ONVPHRII
PANVINII. VERONENSIS
FRATRIS. EREMITAE AVGVSTINIANI

REIPVBLICAE. ROMANAE COMMENTARIORVM LIBRI. TRES

Et alia quaedam quorum ſeriem ſequens pagella indicabit



VENETIIS Ex Officina Eraſmiana
apud Vincentium Valgriſium,
M D LVIII

IMP. CAESARI. FERDINANDO AVSTRIO. PIO. FELICI PERPETVO. AVGVSTO

ONVPHRIVS. PANVINIVS. VERONENSIS FRATER. EREMITA AVGVSTINIANVS. S. P. D



VID caussae sit Ferdinande Auguste, cur vt quaeque ars maxima, maximeque laudanda sit, ita maximo sui studio omnium hominum mentes inflammet, & iure quaeri, & quaesitum haud difficile a nobis inueniri fortasse poterit. Etenim quũ non solum in ijs rebus, quae a natura procreatae, sed etiam in his quae ab hominibus gestae sunt, veritatem ipsam exquirere difficile sit, difficillimum autem quidq; constantissimo omnium hominum testi

monio gloriosissimũ habeatur, quid est, quod miremur ad honestissimas artes huius laudis cupiditate plurimos quottidie homines incitari? Adde quod quũ in his disciplinis tantum ad dignitatem praesidij constitutum esse illi intelligãt, non mediocre in ijsdem ad vtilitatem etiam positum esse momentum, quod ea vix ab honestate seiungi posit, existimant. Quae igitur studia incredibilis spes gloriae, ac non minima commodorum expectatio excitauit, ea deinde aemulatio, ac quaedam etiam principatus cupido confirmauit. Siquidem hoc homini a natura tributum est, vt quocunq; in studio elaborarit, is in eo, modo libero, atque ingenuo animo sit, se lõge antecellere ceteris uelit. Itaque non modo in his praeclaris doctrinae studijs nobis primas ingenij cupidissime vindicamus, sed in rebus etiam bellicis periculorum quoque nobis, si ita res tulerit, principatum

tum depoſcimus. Atque haec vna res hoc tempore bonarum litterarum ſtudia, quum iam pridem afflicta erexit, tũ etiam erecta corroborauit: quum multi interea ſeſe ad ea celebranda, rerum omnium quae maiores ſuos oppreſſerat expulſa barbarie, conuertiſſent, atque veritatis indagandae ſtudio, nouas ipſi ſemper aliquas inferre ſententias ſtuduiſſent, alienas vero, vt res poſtulabat ipſa, repudiaſſent. Quam ob rem eorum ingenio, quantum ad antiquam litterarum gloriam progreſſus factus ſit, nemo eſt tam ignarus rerum, qui nõ facile etiam, me tacente perſpiciat. Hoc in alijs diſciplinis noſtra, aut patrum memoria factum; vt ab excellentibus ingenio viris, qui eiuſmodi ſtudia coluerunt, multae incognitae artes inuentae, multae ex antiquitatis tenebris erutae, atque in lucẽ productae ſint; modo autem in antiquitatis Romanae ſtudio fieri coeptum uide-

demus. Quod quidem ad illustrandum, quam multi præclaro ingenio præditi viri, his decem annis se contulerint, quantum eorum industria subleuarint, difficile dictu est. Horum igitur & ego praeclaro exemplo adductus, non gloriae, cui quidem in tanta singularium uirorum copia, vix locum esse posse videbam, incensus studio, sed incredibili rerum Romanarum, quibus ab ineunte adulescentia deditus fui, cupiditate quadam inflãmatus, ad huius me excellentis, liberalisque doctrinae studium applicui. Itaque quum in magistratuum & triumphorũ Romanorum Fastis digerendis summopere aliquot annis ante laborarem, ad eum laborem hunc quoque mihi non inutilem, ut sperabam, adiungendum esse existimaui, in quo breuem reip. Romanae a multis quidem tractatae, non tamen ita ab omnibus explicatae descriptionem, tribus libris comprehenderẽ.

Vno

Vno enim labore,& res præclare geſtas, & earundem auctores colligebam. Faſtis publicatis, nunc quo ab antiquitatis ſtudioſis maiorem gratiam ineã,hos ipſos tres libros, quos etiam eodem fere tempore expleui, in lucem edere conſti tui; quorum primo priſcæ urbis imaginem, ideſt vetuſta aedificia, ſum complexus: vrbisque originem, ſitum, pomerium, portas, vias, montes, & poſtremo regiones breuiſsime digeſsi; altero ciuitatis rationem, id eſt populi Romani publica tam ſacra,quam profana inſti tuta collegi; tertio imperium ipſum extra urbem vniuerſum explicui. Me autem, ut hoc facerem illa res praecipue adduxit,quod Romanam antiquitatem, quam merito omnes gentes tantopere admiratae ſunt, me ſubleuaturum eſſe maxime arbitrabar, quum nihil ex his quae alij ſcripſerunt praetermitterem; multa ab alijs praeterita adderem; & nõ

pauca quae hi praue, aut obſcure ſcripſe runt, emendatius, atque apertius traderem. Libro conſtituto, quum diu cogitaſſem, ſub cuius praecipue nuncupatione eum in lucem ederem, dubiusq; aliquando fuiſſem, in eam poſtremo deueni ſententiam, vt vnius potiſsimum mihi nomen deligerem, quod diutiſsime & viuere, & florere poſſe mihi perſuaderem, cuius beneficio, liber ipſe ornamentum, ſplendorem, & ſi fieri poſſet, aeternitatem conſequi valeret. In quibus mihi cogitationibus verſanti, Maieſtatem tuam huius potiſsimum operis patronum deligendam eſſe exiſtimaui. Quod cur facerem multas omnino cauſſas habui: quarum praecipua, quod imperij Romani breuiarium, non niſi imperatori Romano dicari oportere duxi. Lux enim quaedam orbi terrarum affulſiſſe viſa eſt, quum percrebuit Maieſtatem tuam in pientiſsimi, omniumque ſæ

cu-

culorum memoria digni fratris tui Caroli Augusti abdicantis locum, summa omnium voluntate, incredibilique plausu, ad supremum imperii fastigium euectam esse. Quo exoptatissimo nuntio orbis terrarum recreari visus est, cui humanitas, beneficentia, animi magnitudo, iustitia, religio, & excellentes in omni genere virtutes tuae cognitae sunt, & perspectae: qui litteris omni tempore a tua Maiestate cultis praemia amplissima futura esse confideret. Tibi enim summam iuuandi humanum genus voluntatem, & maximam cum voluntate deus tribuit facultatem. Quare quum nihil exoptatius mihi contingere potuisset, existimaui me neminem conuenientius deligere, posse, quam Maiestatem tuam, cui mea haec ingenij monumenta nuncuparem. Considerabam enim eum librum, qui veteris illius omniumque maximi Romani imperij gesta contine

tine

tineret, nulli praeterea magis conueni-re potuiſſe, quam ei qui eidem imperio dei voluntate praefectus eſſet. Qui hoc praeſertim tempore ad ſupremae iſtius dignitatis apicem euectae, tanquam gratulatum adueniret. Cuius lectioni, ſi quandoque a grauiſsimis tanti imperij curis animus pauliſper auocatus vacare poterit, minime vereor, quin Maieſtas tua, quam veterum monumentorum ſtudioſiſsimam eſſe ab Antonio Auguſtino, & Martino Guſmano viris ſanctiſsimis, iiſdemque eruditiſsimis accepi, voluptatem aliquam non percipiet, quum in iis multa vetuſtae purioris illius, ſanctiorisque antiquitatis arcana euulgauerim, et in lucem produxerim. Quare Maieſtatem tuam ſupplex oro, vt meum hoc audacius fortaſſe erga illam ſtudiũ, in optimam partẽ accipiat, & benigno Auguſti nummis tui nutu laborem hunc meum comprobet, ſic enim me & ma-

ximum

ximum ex hac mea induſtriã ſtudium tu
liſſe putabo, & ad maiores etiam res,
quas iam dudum in manibus habeo per
ficiendas vehementius incitabor.
Venetiis Kal. Auguſti ∞ DLVIII

IN . LIBRVM . PRIMVM

PRAEFATIO



VLTOS tam nostra, & auorum, quam prisca aetate fuisse constat, qui vrbis Romae situm, aedificia, & imaginē litteris prodiderunt. Quorum scripta quum ego partim uetustate, uel consumpta, uel deformata, partim non omnino perfecta, nec satis diligēter confecta animaduertissem, in eam opinionem ueni, ut haec ipsa maiorem lucem desiderare existimarē. Quam his rebus hoc breui commentario, me afferre posse non difidebam. Cuius antequam rationem redدam, omnes & ueteres & recentiores scriptores enumerabo, quos integrae urbis, uel eiusdem partium descriptionem litteris persequutos fuisse didicerim. Vetustissimus igitur omnium est M. Varro, qui de tribubus, de aedibus sacris, de ludis theatralibus, & scaenicis libros, qui interciderunt, scripsit. Neruae imperatoris tēpore de aquaeductibus Romanis duos libros edidit Sex. Iulius Frontinus v. c. & ab eodem Augusto aquarum curator creatus. Extat Aristidis Smyrnæi rhetoris, qui sub Hadriano Augusto uixit, de Romae laudibus oratio satis ieiuna. Atque hi carptim potius, quam in uniuersum, tantam rem tractarunt, quum urbs florens & integra, aeternum eo statu mansura existimaretur. Verum quum & lapides, & metalla, quae omnium durissima sunt, quaeque uix hominum

hominum uis frangere poteſt (his enim praecipue vr bis ornamenta conſtabant) conſumi, & confici a uetuſtate, & quicquid ex partibus aliquando coijt, & cõcretum eſt, id eaſdem in partes aliquando dilabi ac disſipari neceſſe eſſe, ueteres illi animaduertiſſent; ſub Valentiniani maioris imperio, in quo vrbs hominum eius ſaeculi fatali ignauia, & negligentia, priſtinum ſplendorem amittere cœperat; fuere qui ex inſtituto accuratam eius deſcriptionẽ uicatim propemodum facerent, ut quod tempus conſumebat, ipſi litteris renouarent: quales fuerũt Sex. Rufus, & P. Victor; quorum monumenta tenebris uetuſtatis eruta, in hoc libro extremo ſuggeram. Qui quanam ratione hoc argumentum tractarint, infra demonſtrabo. Poſt eos neminem longisſimo temporum interuallo fuiſſe cognoui, qui de vrbe eodem, uel diuerſo exemplo quid litteris traderet, quum non ſolum antiquitatis ſtudium, ſed omnes artes liberales, optimaſque ſcientias, quas nuſquam magis quam in Italia honor aluerat, atque auxerat, ea aetas afflixerit; qua Romani imperatores praecipua imperij ſede Byzantium translata, Italiam barbaris nationibus diripiendam, ac deuaſtandam reliquerunt. Quo tempore vrbs non antiquum ſolum decus, ſed etiam imperium ipſum prorſus amiſit. Quod felicisſimis auſpicijs ortum, laetisſimis rerum ſucceſsibus auctum, uiris clarisſimis, & fortisſimis inſtructum, quorum conſilijs, & uirtute ad amplisſimum in terris faſtigium euectum fuit, legibus & inſtitutis publicis priuatiſque, deûmque ſumma pietate celeberrimum, concidit tamen & omnino euerſum eſt, & ut quemadmodum id de toto

terrarum

terrarum orbe triumphos rettulerat, ſic nulla fere ho die in terris gens agat, aut egerit, quae non aut auitas iniurias, aut ſuas illi rependerit, ut demum mortales intelligant, nihil eſſe inconſtantius, cladibus, ruinis, mutationibuſque magis obnoxium, his ipſis rebus, quas tantopere tanquam aeternas miramur. Qua re etiam illud factum eſt, ut breuisſimo temporis interuallo urbs ipſa, ueterem ſplendorem, & faciem; deformis ipſa, incondita, & in parietinas, barbarorum immanitate, & temporis edacitate diſiecta, omni ex parte amiſerit. Vnde quum trecentis annis antea, quo tempore omnia iam obſcurisſima facta tenebris uetuſtatis oppreſſa erant; extitiſſent, qui ueteres illius ruinas litteris illuſtrare uoluiſſent, quae tum agnitionem ſui omni ex parte perdiderant, in aniles fabulas, & meras nugas inciderunt. Ceterum centeſimo poſt eos anno, Franciſcus Petrarcha paulo certe meliori fato in epiſtolis ſuis vrbis ruinas deplorauit, potiuſquam deſcripſit: acris enim uehemẽtiſque ingenij uir, rei difficultatẽ primo ſtatim in limine haerens, cognouit; quare mirari cœpit, quae ſe ignorare intelligebat. Non longo tempore poſt, quum Latinae Graecaeq; linguae purior, ſynceriorque uſus, quem perpetuae multorum annorum tenebrae, quaſi nox quaedam obſcurauerat prorſus, atque extinxerat, arteſque ingenuae iacentes, barbarie pulſa renouari, & recreari coepiſſent, antiquitatis quoque ſtudium paulatim excitatum eſt. Quare centeſimo & uiceſimo anno ante, primus omnium ex recẽtioribus, Blondus Flauius deſcriptionem vrbis ex inſtituto facere aggreſſus eſt. Qua in re id omnino fecit, quod in tanta rerum

rum obſcuritate praeſtare potuit is, qui primus eam prouinciam ſuſcepiſſet. Vt enim nullam artem eodẽ tempore, & inuentam ſimul eſſe & abſolutam conſtat; nam omnes humili tenuique ab initio profectae, paulatim quaſi per gradus aſcendentes, ad id quod ſummum uidetur eſſe perueniunt, ita hoc & in litteris accidit, maximeq; quibuſdã in rebus, quae eiuſmodi ſunt, ut ſemel atq; iterum deſcriptae, & auctae locupletari tamen, atque ornari deinde posſint. Quo ex genere antiquitatis ſtudium eſt, quod a Blondo excitatum tenue a principio & obſcurum, nunc multorum doctorum hominum labore, ſtudio, atque induſtria longe clarisſimum factum eſt. Poſt Blondum Iulius Pomponius Laetus, Ioannes Tortellius, Carolus Poggius, eodem fere tempore; & ijs poſteriores Raphael Volaterranus, Fabricius Varanus, & Franciſcus Albertinus ad hoc idem ſtudium animos ſuos contulerunt. Deinde patrum memoria, Andreas Fuluius multis libris carmine, & ſoluta oratione vrbem celebrauit. Poſt hos Bartholomeus Marlianus a ſuperiorum veſtigijs non diſcedens, & ipſe noſtra aetate vrbis topographiam accurate ſcripſit. Nouisſime Benedictus Aegius, & Pyrrhus Ligorius antiquitatũ omnium peritisſimi vrbis ruinas explicandas & illuſtrandas ſuſceperunt. Hi, quamquam adhuc integra ingenij ſui monumenta nondum publicarint, quantum tamen ex diuturna eorundem familiaritate cognoui, omnes qui hactenus hoc argumentum tractarunt, longe poſt ſe reliquiſſe mihi uiſi ſunt. Accuratiore enim diligentia antiquitatem omnem reconditã inueſtigarunt, & inuentam iudicarunt; ueterumq;

antiqua-

antiquariorum infinitos pænè errores diligenter prudenterque animaduerterunt. A quibus ego multa me didicisse fateor, eorum quae primo hoc libro digessi. In quo vrbis originem, originis tempus, pomerium, vias, portas, colles, & regiones noua quadam scribendi ratione descripsi; atque hoc tempore in communem antiquitatis studiosorum gratiam publicaui. Post quem haud multo post commentariũ ipsum edam, quẽ in XIIII. vrbis regiones a me descriptas feci; in quo singillatim omnia examinabo, atque cur singula ita concinnauerim rationes, citatis ueterum scriptorum testimonijs, reddam. Interim amice lector, hunc laborem boni consule, & aequo animo dum longe praestantiora adornem; his fruere

ONVPHRII. PANVINII VERONENSIS. FRATRIS EREMITAE. AVGVSTINIANI

ANTIQVAE. VRBIS IMAGO

De ijs, qui loca vbi Roma nunc est, ante vrbem conditam coluerunt



RIMOS *omnium Siculos barbaros, gentem indigenam, Latium, & ea, in quibus post urbs condita fuit, loca tenuisse, memoriae proditum est. Quae ante culta an inculta fuerint, incompertum. Eorum deinde partem primo, postea omnia, Siculis longo bello uictis, atque demum in insulam Trinacriam, quae & Sicania dicebatur exactis (a quibus postea Sicilia appellata fuit) occuparunt Aborigines. Qui quum prius uicatim, & sine moenibus paßim in montibus habitarent, atq; à finitimis nationibus uexari coepissent, complura oppida munierunt; omniaq; longo tamē temporis interuallo, tandem obtinuerunt loca, quae in occidua Italiae parte, Apennino, mari Tyrreno, Lyri, atque Tiberi amnibus clauduntur, semper Aborigines uocati, usque ad belli Troiani tempora, quibus a Latino eorum rege, cum plerisque alijs gentibus, quas in patrij soli communionem acceperant, omnes Latini uocitari coepti. Horum reges fuisse Ianum, Saturnum é Creta insula profugum, Pi*

cum, Faunum, & Latinum, quos posteri tanquam deos cõluerunt, fama est. Aborigines autem, alij indigenas Italiae, & ideo quasi sine origine; alij errones, & sine certis sedibus uagos, quasi aberrigines; alij Ligurum Vmbris confinium colonos (Ligures autem an Itali an Galli fuerint, incertum); alij & Romanorum doctißimi, ut M. Porcius Cato, & C. Sempronius, qui de conditoribus Italicarum urbium scripsere, Graecos eos fuisse affirmant; qui multis ante Troianum bellum aetatibus, quas Dionysius XVII. fuisse, ex Antiocho Syracusano scriptum reliquit, hoc est annis CCCCLX. (septem enim & uiginti annos, in singulas aetates conijcere solet) in Italiam, classe Ionio traiecto, uenerunt

Dionysius uero Halicarnasseus uetustißimorum scriptorum auctoritate ductus, eos primo Arcadas fuisse refert, qui Oenotro & Peucetio fratribus Lycaonis Arcadum regis filijs, ex genere Phoronei, ducibus, ex Arcadia in Italiã cõmigrarũt, quũ agri paterni portio quae illis cõtigerat, nõ sufficeret. Nam quum Lycaoni duo & uiginti filij fuißent, in totidem quoque partes diuidere paternum imperiũ oportebat. Ex ijs autem Peucetius eam Apuliæ partem occupauit, quæ Iapygia dicebatur, a quo etiam ij populi Peucetij dicti. Oenotrus autem occidentalem Italiae partem inuasit, quae a barbaris Siculis tenebatur, & nunc Latium dicitur, quae mari Ausonio uel Tyrreno alluitur, quam ijs pulsis obtinuit, atque Oenotriam de suo nomine appellauit. Hinc Virgilius libro Aeneidos III. ita scripsit

Est locus Italiam Graij cognomine dicunt
Oenotrij coluere uiri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem

Porrò inter Oenotri reges successores fuerunt Italus, Morges

Morges, & Siculus, a quibus Oenotrij ipsi, aliquando Itali, Morgetes, & Siculi appellati sunt. Oenotrij itaque qui a Graecis Aborigines dicebantur, primi omnium fuerunt, qui ex peregrina gente Latium tenuere, a montanis sedibus, ut Arcadibus mos fuit, Aborigines dicti; neque enim antiquiorem hac ipsa classem ex Graecia, uel alibi in hanc occiduam Italiae partem aduenisse, adhuc compertum est. Horum multae magnaeque urbes fuerunt, in agris Siculorum ab eis captis conditae, uel restitutae; inter quas praecipuae erant Lista metropolis, Palantium, Trebula, Vesbula, Sune, Mephyla, Oruinium, Corsula, Issa, Maruuium, Vatia, Tiora, Cutylia, Antemnae, Tellenae, Ficulnea, Corniculum, Tibur, & aliae multae, quarum nostro tempore uix nomina supersunt

Aliquot post Oenotrios aetatibus, annis circiter C. ante bellum Troianum, Pelasgi ex Thessalia in Italiam uenientes, Oenotrijs adiuncti, iureque cognationis suscepti, Aborigines omnes dicti sunt. Qui una Siculos Vmbrosque bello petentes, Siculos quidem patrijs sedibus omnino eiecerunt, Vmbros uero magna agri parte mulctarunt. Porro autem Pelasgi ex Peloponnesso & Argis oriundi, a Pelasgo Iouis et Niobes filio eorum rege nomen acceperunt, qui ob multitudinem relicto patrio solo, ad nouas quaerendas sedes in Aemoniam, quae & Thessalia dicebatur, commigrarunt, Achaeo, Phthio, & Pelasgo Larissae & Neptuni filijs peregrinationis ducibus. Quam barbaris pulsis, per annos plus minus XL. summa cum felicitate tenuerunt. Sexta uero aetate post, a Curetibus & Lelegibus, qui Aetoli postea & Locri dicti sunt, duce Ducalione pulsi, quum per diuersas orbis partes diuisi, sine certis sedibus errarent, eorum maior pars ad Dodonaeos primo, mox in Italiam ad Pa

di ostia, postremo ijs relictis ad Oenotrios se contulerunt, bello tunc cum uicinis Siculis laborantes, quibus (ut dixi) adiuncti Siculos Italiae indigenas bello diuturno fessos, tandem octuagesimo anno ante res Troianas auitis sedibus eiecerunt, communique Aboriginum nomine cum Oenotrijs per aliquod tempus permansere, multaque in Vmbrorum, & Siculorum exactorum regionibus noua oppida condiderunt, uel diruta restituere. Inter quae praecipua fuerũt Agylla, Pisa, Saturnia, Alsium, Phalerium, Cortona, Fescennium, Larissa, & alia complura. Verum non longe post eorum in Italiam aduentum, anno plus minus L. ante bellum Troianum, Pelasgorum genus ob oracula neglecta multis magnisque calamitatibus oppressum, ad nihilum fere redactum est, eorumque urbes pene habitatoribus destitutae a Tyrrenis postea occupatae. Hinc accidit, ut saepius Pelasgorum et Tyrrenorum nomina apud ueteres scriptores indistincte accepta sint

Sexaginta deinde annis ante bellum Iliacum, Fauno in Aboriginibus regnante, Græcorum tertia duarum nauium claßis, domesticis seditionibus, intestinisque discordijs pulsa, ex urbe Arcadiae Palantio, duce Euandro Mercurij & Themidis nymphae (quae & Carmenta dicebatur) filio, in Italiam ad nouas sedes quaerendas uenit; Qui a rege Aboriginum Fauno iure cognationis benigne & hilariter suscepti, locoque & agris ubi nunc Roma est, eis aßignatis, Palatinum montem prope Tiberim, condito paruo oppido, hortatu Carmentae, muniuerunt, Palantium ab urbe, ex qua oriundi fuerant appellantes; quod postea corrupta uoce Palatium nominatum est

Paulo post Arcadas, quarta Graecorum claßis, in hanc Italiae partem uenit, Hercule duce, qui Hispania domita reuer

reuertebatur in patriam; quorum maior pars aut senio, aut longo labore confecta, aut ob alias caussas, mißione impetrata, ibidem remansit; quae Capitolino colle (is tunc Saturnius dicebatur) munito, ibidem sedes, paruo oppido condito, posuit. Hos autem Peloponnesiacos, Phaeneatas, Epaeosque, qui ex Elide egreßi sunt, fuisse constat; quibus nullum erat amplius desiderium reditus ad proprios lares, eorum patria iam pridem ab Hercule bello excisa: ijs quoque admixti erant plerique Troiani, qui sub Laomedonte captiui bello Iliaco priore, ab eodem Hercule facti fuerãt. Hi aliquandiu rem suam separatim administrarunt. Ceterum non multo post, uictum, leges, ac sacra cum Aboriginibus communicantes, perinde ac Arcades & prius Pelasgi fecerant, uno nomine Aborigines omnes appellati, eiusdem facti sunt participes ciuitatis

Post Herculis uero digressum, secunda aetate, anno circiter quinto & quinquagesimo, Latini uero Fauni filij Aboriginum regis regni trigesimo quinto, Troiani exciso a Graecis Ilio Aenea Veneris & Anchisae filio duce, quinto loco in hanc eandem Italiae partem post multos errores fato uenerunt. Qui quum statim ui & armis ab Aboriginibus arcerentur, & Aeneas propterea exercitum in aciem eduxisset, antequam committeretur proelium, ad colloquium a Latino rege fuit euocatus. Qui uerbis & corporis praesentia tantam sui admirationem regi Latino praebuit, ut in societatem imperij receptus, Lauiniaque filia ei in matrimonium collocata, gener adscitus sit. Post haec haud procul à Tiberis ostijs in littore maris Tyrreni Laurentino accepto a rege Latino agro, urbem in colle quodam condidit, quam de uxoris nomine Lauinium appellauit. Hinc Aborigines Troianique ipsi mixti, antiquam mutantes appel-

lationem, Latini omnes a rege eorum Latino deinceps nominati sunt. Qui postea Lauinio migrantes, Albam condiderunt longam, Latini regni per longa tempora sedem. Ex qua hi orti sunt, qui multas alias urbes, quae priscorum Latinorum dictae sunt extruxerunt. Qui postremo quadringentis & triginta duobus annis, post Ilium captum, colonis in Palantium & Saturniam missis, ubi Arcades & Peloponnesiaci primi sedem posuerant, multique adhuc eorum generis supererant, circundato muris Palantio, ita ut tunc primo urbis formam acceperit, urbem condiderunt, quam Romam ab eorem duce, & coloniae deductore Romulo appellarunt; Romulus autem ab Aenea originem XVII. loco natus, ducebat

Variae veterum ſcriptorum de vrbis primis conditoribus, ſententiae

Quum multae uariaeque sint ueterum historicorum sententiae, a quibus, & quo tempore urbs ipsa condita sit, & cur Roma appellata; quum multi ante ipsum Romulum eam aedificatam fuisse scribant; nunc rei ipsius ordo, institutique mei ratio postulare uidentur, ut omnium quas uiderim uetustissimorum auctorum, de his qui urbem condiderunt, sententias diligentissime collectas afferam, & postea eam quae communi omnium gentium, populi Romani, & maioris scriptorum partis consensu tanquam uerior, accepta est, demōstrem. Quae res historiarum Romanarum studiosis, & utilis & iocunda erit

Romam igitur (ut a remotissimis incipiam) Antigonus Italicae historiae peruetustus scriptor, in Palatio conditam fuisse, a quodam Romo Iouis filio scripsit, quem etiam urbi

Romae

Romae a se dedisse nomen refert

Is qui historiam Cumanam composuit, cuius nomen intercidit, alijque tradunt: Pelasgorum complures Sicyone Thespiaque Graecis ciuitatibus ob domiciliorum inopiam profectos, terrarum orbem longo errore peruagasse, plurimisque bello domitis nationibus eam tandem Italiae partem tenuisse, ubi nunc Roma est, eosque a multo errore nominatos Aborigines. Hi in monte cui nunc Palatium nomē est, quo frequentissimi conuenerant, urbe condita eam ob pugnandi robur Romin appellarunt: a iuuentute uero Latina Valentia a uiribus gentis appellata est. Quod nomen aduentu Euandri & Aeneae in Italiam cum magna Graece loquentium copia interpretatum est, seruataque significatione impositi prius nominis, Roma iterum pro Valentia dici coepta est

Aristoteles Stagirita philosophus, Heraclides cognomine Lembus, & plerique alij asserunt, Troia capta a Graecis, quosdam ex Achiuis Ilio discedentes classem nactos, & circum Malea nauigantes hyberno tempore actos, uētorum ui, tempestatibusque multis, diu in mari pererrasse, atque ad extremum in eum locum Etruriae peruenisse, cui tunc Opice nomen erat, Tyrreno mari adiacentem, deinde per Tiberim uectos in ea loca ubi nunc Roma est consedisse, ibique extractis ex amne nauibus aliquantulum mansisse, paratos quidem ineunte uere cursum persequi, uerum ab eorum mulieribus iam longam pertaesis nauigationem, & à mari abhorrentibus, suadente nobilissima & prudentissima captiuarum Roma, quæ ijs comes erat, seruitutemque si Achiui in patriam reuerterentur timente, noctu classem incensam esse; quod factum uiris moestitiam primo attulisse, deinde necessitate coactos, circa Palatiū positis sedibus struxisse moe

nia; & oppidum ab eius potißimum nomine appellasse, quae eius rei auctor fuisset, cuiusque consilio eas sibi firmassent sedes

Xenagoras autem historicus antiquus; Vlixis (ait) & Circes fuisse tres filios, Romum siue Romanum, Antium, & Ardeam, qui quum tres urbes aedificassent, ipsis a se nomina indiderunt

C. Salustius Crispus in principio Catilinarij; Vrbem (inquit) Romam, sicut ego accepi condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi incertis sedibus uagabantur, cumque ijs Aborigines genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio liberum atque solutum. Hi postquã in una moenia conuenere, dispari genere, dißimili lingua, alius alio more uiuentes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerunt. &c

Damastes Sigaeus, alijque nonnulli; Aeneam dicunt Troia capta in Epeirum, & ex Epeiro in Italiam, post Vlixem uenisse, ipsiusque urbis fuiße conditorem, nomenque Romae, ab una Iliensium mulierum, cui Romae nomen erat indidisse

Agathocles Siculus Cizicenarum rerum auctor, uaticinio Heleni Priami filij, impulsum Aeneam ait; eumque Italiam terram cum nepte Roma Ascanij filia petijsse, qua ut Phryges sunt potiti, & ijs praesertim regionibus, quae nũc urbi finitimae sunt, Romam Ascanij filiam, Aeneae neptem primam omnium consecrasse in Palatio Fidei templum, in quo monte postea condita urbs, Roma ab ea quae Fidei templum ibidem dedicasset, appellata est

Cephalo Gergithius scriptor uetustißimus in libro quẽ de Aeneae aduentu in Ialiam conscripsit; secunda post Troianum excidium aetate Romam conditam fuisse refert, ab iis

ijs qui Ilio euerso, cum Aenea in Italiam profecti sunt, eiusque conditorem & coloniae ducem, asserit Romum quendam Aeneæ filium. Quatuor enim Aeneam filios habuiße scribit. Ascanium, Eurilcontem, Romulum, et Romũ ipsum, qui occupato monte, qui nunc Palatium dicitur, urbem condidit, quam a nomine suo Romam appellauit. Sex. tamen Pompeius Cephalonis sententiam referens; Romam non ab Aeneae filio, sed comite exstructam scribit

Apollodorus in Euxenide ait: Aenea & Lauinia Latini filia, natos Maylen, Mullum, Romumque, atque ab Romo urbi tractum nomen

Alij Romam dicunt Telepho Herculis filio genitam, Aeneaeque nupsisse, & filium genuiße, qui urbem a se aedificatam a matris nomine Romam nominauit

Callias uero qui res gestas Agathoclis conscripsit, arbitratur, e manu Troianorum Ilio capto fugientium, quandam foeminam nomine Romam fuisse, eamq; quum in Italiam uenisset, Latino Aboriginum regi nupsisse, duosque ex ea natos filios Romulum & Romum, qui condentes urbem, ipsam a matris nomine Romam uocitarunt

Galathas scribit mortuo Aenea, quum regno Italiae Latinus Telemachi, Circesque filius potitus esset; isque ex Roma uxore suscepisset filios Romum, Romulumque, urbemq; in Palatio exstruxisset, eam ab uxoris nomine Romam appellaße

Sunt, qui Romam dicant a Romo filio Itali, & Leucariae, siue Leuctrae Latini filiae conditam, atque a se Romã nominatam

Dionysius Chalcidensis conditorem urbis Romum quendam fuiße Ascanij Aeneae filij, uel ut alij uolunt Emathionis filium, à Diomede in Italiam ex Troia mißum

Al-

Alcinius uero ex Tyrrenia & Aenea natum filium Romulum refert, atque eo ortam Albam Aeneae neptem, cuius filius nomine Romus, condidit urbem Romam

Alij Romum Latinorum tyrannum, eum qui Tyrrenos quum ex Theßalia in Italiam uenißent eiecerat, urbis auctorem fuiße scribunt

Variae veterum scriptorum, quis Romulus vrbis conditor fuerit, sententiae

Aliorum postremo uerior sententia est, & uulgatior, urbis conditorem fuiße Romulum ipsum, sed nec illi qui in ipsum (quod uerißimum est, & omnium gentium populique Romani opinione firmatum) huius nominis originem referunt, de illius genere satis conueniunt

Quidam etenim ipsum Aeneae filiū ex Dexithaea Phorbantis filia dicunt, infantemque in Italiam transportatum, una cum eius fratre Remo, atque in fluuio exundanti submersis alijs scaphis, ea in qua erant pueri ad fluminis ripam depulsa, eos insperato incolumes seruatos, atque quum adoleuißent Romam quod robur significat condidiße

Alij Aeneam ex Roma tres suscepiße filios Ascanium, Romulum, & Anchisem. Quo mortuo, Latinorum Ascanium; Campanorum Romulum; alteriusque Italiae partis Anchisem regna suscepisse, atque ab ipso Romulo urbe in fratris imperio condita, a matris nomine ipsam appellatam fuiße

Alij uero dicunt Romam Romae Troianae filiam Latino Telemachi filio nuptam, Romulum edidiße, qui urbe condita, ipsam a matris nomine Romam appellauit

Nonnulli ex Aimilia Aeneae, & Lauiniae filia a Mar-

te compreßa, conditorem urbis Romulum genitũ scribunt

Quidam ex filia Aeneae natos Romulum & Remum produnt, datosque Latino regi obsides eo tempore, quo Aeneas in Italiam uenit. Latinoque rege sine mascula prole mortuo, eius regni succeßores extitiße, urbemque extruxiße Romam

Promathion quidam Italicae historiae scriptor, & quidam alij fere fabulosa de Romuli ortu referunt. Quem cũ fratre Remo Tarchetij cuiusdam saeuissimi Albanorum regis ancilla & incerto patre genitum, fluuioque expositum, atque a lupa lacte nutritum, donec a nescio quo bubulco inuentus, cum fratre Remo seruatus sit, eumque ubi primum per aetatem licuit, Tarchetio occiso urbem aedificasse Romam

Non omittendum aũt duxi hoc loco lectores monere, me in referendis opinionibus ueterum scriptorum, tam de conditoribus urbis, quã de ipso Romulo non sequutum fuisse eũ ordinem quo ab auctoribus referuntur, sed ex antiquissimis ad recentiora tempora, ut omnia clariora essent passim deuenisse

De antiquis igitur urbis conditoribus, iuxta uarias ueterum scriptorum sententias, me satis dixisse existimo. Quorum opiniones quum nec refellere, quod antiquissimae sint, nec affimare audeam, quum tot accuratissimos & nobilissimos scriptores habeamus, qui certiora & ueriora de Romulo ipso prodidisse uidentur, ea quae probabiliora sunt, & plurium historicorum testimonijs confirmata, de ijs qui urbem condiderunt breuiter in medium afferam

De Romulo vrbis conditore

Ilio itaque, ut ad rem (quae certa existimata est) redeam, a Graecis capto, Aeneam Troianum cum magna Phrygum manu, post longos errores in Italiam uenisse, easque partes ubi nunc Roma est tenuisse, ex Dionysii Halicarnassei, T. Liuij, Plutarchi, Eutropij, & aliorum ueterum scriptorum testimonijs satis constat. Is altero post Troiam captam anno, Lauinio urbe in Latio condita, Latinorum gentis commune cum socero Latino imperium aliquandiu tenuit. Postea uero utrisque bellum aduersus Turnum Rutulorum regem propter fraudatas Lauiniae nuptias fuit, in quo Turnus & Latinus occubuere, Aenea tamen uictoria potito. Qui soceri regnum suscipiens, quarto imperij sui ex quo in Italiam uenerat anno, tertio uero post obitũ Latini, bello aduersus Mezẽtiũ Tuscorũ regẽ decessit. In cuius locum Ascanius eius & Creusae filius, cui Iulo cognomen fuisse ferunt, successit. Is Lauinio quod regni Latini tũc sedes erat nouercae Lauiniae relicto, XXX ab eius aedificatione anno iam exacto, Albam longam, quã regni caput deinceps esse uoluit, condidit: obijtque anno regni XXXVIII. superstite filio Iulo adhuc adulescentulo, quem auctorem nominis sui Iulia gens habuit. Ascanio mortuo, Postumo Siluio fratri, Aeneae ex Lauinia filio Latinorum imperium traditum est, tanquã filio mulieris quae regni haeres erat: a quo omnes postea Albani reges Siluij nominati sunt. Is autem ideo Siluius appellatus est, quod eũ mater Lauinia post Aeneae mortem, priuigni Ascanij insidias timens, in siluis latitans enixa esset, ibique educasset. Hic quum unde triginta regnasset annos successorem habuit fi-

filium Aeneam Siluium. Cui imperij anno XXXI. mortuo succesſit filius Latinus, qui annos LI. regnauit. Poſt quem Alba eius filius XXXIX. & huius filius Capetus XXVI. mox Capis duodetriginta. Calpetus XIII. & Tiberinus VIII. annis rerum potiti ſunt in Latio, filius ſemper patri ſuccedens. Tiberinus autem quum in amnem Albulam cecidiſſet, ei Tiberis nomen dedit. Poſt eum Agrippa XL. Romulus XIX. Auentinus XXXVII. annos regnarunt, & hic in Auentino ſepultus colli nomen ſuum reliquiſſe dicitur. Auentini filius Procas regnum annos XXIII. obtinuit. Is Numitorem atque Amulium Siluios filios procreauit. Ex quibus Numitor, quum in duas partes haereditatem partitus fuiſſet pater Procas, diuitiasque & aurum regno adaequaſſet, regnum Latinorum, maior enim natu erat, ſortitus eſt: aurũ, opeſq; Amulius uir uapher. Hic opibus paternis fratriſq; inertia fretus, Numitore non longe poſt regno exacto, imperium inuaſit, quod per annos duos & quadraginta obtinuit. Addenſque ſceleri ſcelus, ſtirpem fratris uirilem interemit, eiusque filiam per ſpeciem honoris Veſtalẽ legit, & perpetua uirginitate ſpẽ partus ademit, ueritus ne liberi ab alterutro eorũ exorti aui iniurias aliquãdo uindicarẽt. Eam aũt alij Iliam, alij Rheam Siluiam appellant. Quae haud multo poſt ui compreſſa, quum geminos edidiſſet infantes, ſeu ita rata, ſeu quod auctor culpae honeſtior erat, Martem incertae ſtirpis patrem dixit. Verum nec deus, nec ipſi homines illam, aut filios a regia crudelitate uendicarũt, ipſa enim ſecundum aliquos iuxta legẽ uiua defoßa, uel ut alijs placet, perpetuo carceri condemnata, & filij in profluentem mitti iußi. Dionyſius autem ita ait: quum Ilia Veſtalis uirgo ad Martis lucum iſſet, aquae purae hauriẽdae gratia in templo compreſſa eſt. Sunt qui

qui putent ab aliquo ex procis; nec desunt qui dicant ab Amulio ipso patruo armato, qui quũ amore eius captus esset, Martis specie armatus & incognitus cum ea rem habuit. Alij a genio loci, alij uero a sacerdote aliquo seu pontifice eam cõpressam asserunt. Ego uero Romulũ ipsum militis cu iuspiam filium fuisse credo, & quia milites sub Marte esse existimantur, idcirco Romuli pater Mars dictus est. Ceterum quis quis ille fuerit, certum est ipsam uirginitatis amissae poenas dedisse, filiosq; in amnẽ mergi iussos. Quos prope Tiberis ripã expositos regiorũ armentorũ pastor Faustulus inuenit, atque ad uxorem suam Accam Laurentiam, nutriendos detulit. Hanc uulgato corpore inter pastores lupam uocatam scribunt Lactantius, Eutropius, & D. Augustinus, quam nos meretricem appellaremus, unde & nostro quoque saeculo scortorum cellulae lupanaria nuncupantur, unde fabulae de lupa Romuli & Remi nutrice initium ortum creditur. Haec ut breuißime, ita elegantißime secundo Fastorum iis uer sibus explicat Ouidius

Siluia fit mater, Vestae simulachra feruntur
Virgineis oculis opposuiße manus
Ara deae certe tremuit pariente ministra
Et subiit cineres territa flamma suos
Hoc ubi cognouit contemptor Amulius aequi
Nam raptas fratri uictor habebat opes
Amne iubet mergi geminos, scelus unda refugit
In sicca pueri destituuntur humo
Lacte quis infantes nescit creuiße ferino?
Et picum expositis saepe tuliße cibos?

Hi autem pueri Romulus & Remus, ut quidam scribunt ideo appellati sunt, quod lupae mamma nutriti sint, quam rumen antiqui dicebant, Graece quoque ruma dicitur, a

qua

qua Romum primum deinde blandiendi caußa Romulum dictum, quòd paruulus & lactens uberibusque lupinis inhians, cum fratre ſit inuentus. Alii à romula arbore, ideſt ficu, ſub qua quum expoſiti fuiſſent inuenti ſunt, cum lupa praebente infantibus rumen, ideſt uberem, quae arbor ideo ruminalis dicta eſt, uel quod aeſtate ſub ea pecora frigora captantia, herbasque uellentia ruminabant, uel a rumine id eſt mamma, quod ſub ea pueri Romulus & Remus lupae rumina ſugebant, unde Ouidius II. Faſtorum

Arbor erat remanent ueſtigia, quaeque uocatur
Romula. nunc ficus, rumina ficus erat

Adulti autem inter paſtores, ob quotidiana certamina, uires & pernicitatem auxere. Igitur quum latrones a rapina pecorum ui arcerent, Remus ex improuiſo ab eis captus, regi Amulio offertur, criminiq́; ei datum, quod greges Numitoris infeſtare ſolitus eſſet. Tunc a rege in ultionem Numitori traditur puniendus, qui robore & regia iuuenis adoleſcentia permotus, in ſuſpicionem expoſiti nepotis adducitur; & quum eum nunc lineamentorum filiae ſimilitudo, nunc expoſiti tempus anxium teneret, Fauſtulus cum Romulo ſuperuenit, a quo cognita iuuenum origine, ualidaq́; inter ipſos coniuratione facta, Amulium obtruncant. Quo occiſo & in regnum reſtituto Numitore, ſequenti eius recuperati regni anno, poſt Troiam captam CDXXXII. Romulum Remumq́; cupido caepit, in ijs locis, ubi expoſiti et educati fuerant, urbem condere, maxima uicinorum Albanorum, Graecorum, paſtorum, & latronum multitudine, ad eos in dies confluente. Quod ubi ex ſententia ceßiſſet, ne aliqua de principatu inter fratres contentio ſuborıretur, iureiurando conueniunt, ut is urbi praeeſſet, eique nomen imponeret, cui in augurio plures aues apparuiſſent, ſex

prius uisae Remo in Auentino auguranti uultures, sed pau lo post XII. apparuere Romulo in Palatino auguria captã ti; quum utraque multitudo augurium ex sua parte trahe=ret, utraque regem suum consalutauit; tempore illi prae=cepti augurii, hi uero numero auium maiore regnum tra=hentes. Tunc post altercationem ad foedum (ut solet) cer=tamen uersi, ibi in turba ictus Remus concidit. Licet uul=gatior fama sit, Remum ideo extinctum, quod nouos contra fratris edictum transilire muros ausus fuisset. Quare solus imperio potitus Romulus; conditaq; urbs conditoris super stitis nomine appellata est, a qua & Romanis nomen quoq; inditum. Romam autem & non Romulam idcirco urbem Romulus nominauit, ut ampliore uocabuli significatu pro=speriora patriae suae ominaretur. Alterum quoque urbs nomen proprium habuit, ut Plinius & Solinus scripserunt, quod publicari uetitum est: quando quidem quo minus id enuntiaretur, caerimoniarum arcana sanxerunt; ut hoc pa cto notitiam eius aboleret fides placitae taciturnitatis. Va=lerium denique Soranum, quod optima atque salutari fide abolitum, atque contra interdictum euulgare id ausus foret, ob meritum profanae uocis poenas luisse. Inter antiquissi=mas sane religiones sacellum colitur diuae Angeronae, ob hoc maxime silentium institutum, cui sacrificatur in Curia ante diem XII. Kal. Ianuarii. Haec est diua praesul silen=tii, quae simulachrum ore obligato obsignatoq; habet. Hos igitur gemellos ita genitos, hac ratione educatos, Vrbem Romam condidisse, Dioclis Piparetii, qui primus litteris Graecis urbis originem exposuit, L. Cincii, Q. Fabii Pi=ctoris, Eratosthenis, Polybii Megalopolitani, M. Catonis, Q. Lutatii Catuli, Cornelii Nepotis, L. Taruntii Firma=ni, M. Varronis, Pomponii Attici, M. Tullii, Dionysii Ha=

licarnassei,

licarnassei, T. Liuii, C. Solini, Plutarchi, Sex. Pompeii, Eutropii, & aliorum ueterum grauißimorum scriptorum testimoniis satis confirmatum esse existimo

De anno, & die quo vrbs condita est

SICUT uariae sunt ueterum scriptorum de ijs qui urbē cōdiderunt, et de Romulo ipso sententiae, ita etiam diuersae sunt opiniones de anno in quo condita fuerit. Quas quum iuxta instituti mei rationem omnes prius enumerauero, postea eā quae mihi uera, uel uerae proximior uidebitur, accurate breuiterque exponam

Timaeus Siculus, ut ab ijs qui communi aliorum sententia remotius eam conditam fuisse scripserunt, incipiam; nescio qua ductus ratione, urbem ipsam a Romulo aedificatam rettulit, eodem fere tempore quo a Tyrijs Carthago in Africa, octauo & trigesimo ante primam olympiadem anno

L. Cincius uir senatorius, anno quarto duodecimae olympiadis

Q. Fabius Pictor rerum Romanarum grauißimus, & antiquißimus scriptor, anno primo octauae olympiadis

Polybius Megalopolitanus, & Diodorus Siculus, olympiadis septimae anno secundo

Apollodorus, Q. Lutatius Catulus. C. Cornelius Nepos, Erathostenes, M. Porcius Cato, Dionysius Halicarnasseus, & Theophilus Antiochenus, olympiadis septimae anno primo

M. Verrius Flaccus auctor tabularum Capitolinarum, T. Liuius, C. Iulius Solinus, Clemens Alexandrinus, & alij olympiadis sextae anno quarto

L. Taruntius Firmanus, M. Terentius Varro, T. Pomponius Atticus, M. Tullius Cicero, Augustus Caesar, C. Velleius

Paterculus, Ti. Claudius Caesar Augustus, C. Plinius Secundus, Plutarchus Chaeroneus, Domitianus Caesar Augustus, P. Cornelius Tacitus, Caßius Dio, A. Gellius, L. Septimius Seuerus Augustus, Censorinus, M. Iulius Philippus Augustus, Eusebius Pamphili Caesariensis, Eutropius, Paullus Orosius, Paullus Diaconus Longobardus, & post C. Caesaris dictatoris tempora communis populi Romani sententia, quam nos quoque sequimur, olympiadis sextae anno tertio conditam urbem uolunt. Illud autem non ignorandum, quod etiam in commentarijs in Fastos explicaui, me annorum olympicorum initium a solstitio aestiuo, circa Kal. Iulias ordiri. Qua ratione fit, ut quum dicitur urbem tertio, uel quarto anno sextae, aut primo uel secundo septimae olympiadum, conditam, id intelligi debeat circa finem illius anni olympici, hoc est XI Kal. Maij. Anni enim sequentis principium proximo solstitio futurum erat. Primumq; urbis conditæ annum, si tertio sextae olympiadis constructam asseuerauerimus, concurrere fere totum cum quarto eiusdem sextae olympiadis anno, duobus mensibus, & aliquot diebus exceptis, qui sunt extremi anni olympici tertij eiusdem olympiadis in quo aedificatam urbem credimus: sic quoque dicendum de ceteris annis olympicis, quibus urbs condita secundum scriptorum uarias opiniones dicitur

Quibus uero rationibus persuasi singuli harum de urbe condita opinionum auctore sententias suas confirmauerint, superuacaneum hoc loco esse existimo demonstrare, tum quod hoc alterius sit negocij, speculari, tum etiam quod id accurate sane a me factum est in ijs commentarijs, quos in Fastos consulares conscripsi

Dies autem quo urbis fundamenta iacta a Romulo fuerunt, fuit XI. Kal. Maij. Qui Parilia uel Palilia appellabatur. Haec autem erant Pales pastorum deae festa, quae a pastoribus XI Kal.

Kal. Maij in agris celebrabantur, ad lupos arcendos, morbos-que a pecore pellendos, ſeu pro partu pecorum, unde & Pari-lia dicta. De hac re Propertius libro IIII

Vrbi feſtus erat dixere Palilia patres
Hic primus coepit moenibus eſſe dies

Ouidius quoque IIII. Faſtorum ait

Apta dies legitur qua moenia ſignat aratro
Sacra Pales aderat, inde mouetur opus

Idem confirmant M. Tullius, Solinus, Plutarchus, & alij. Pa-lilia autem celebrari ſolita fuiſſe XI. Kal. Maij habetur ex an-tiquis marmoreis Romanis Kalendarijs, ijsdemq́; quos citaui auctoribus

De primis vrbis moenijs, & ijs qui pomerium pro-tulerunt, vſque ad Auguſtum Caeſarem

QVVM de conditore urbis Romulo, & tempore quo condita eſt iam uerba fecerim, rem non inutilem antiquitatum Romanarum ſtudioſis me facturum exiſtimo, ſi quæ quinto an-te anno de ijs qui populi Romani pomerium protulerunt, item de muris, portis, uijs, collibusq́; Romanis edidi, hic ſubiicerem. Quod & ſi ab inſtituto meo paululum abhorreat, quippe quod breuiſsime omnia deſcribere deinceps mihi propoſuerim; tamē hac tantum in re minime lectorem fallere ueritus ſum, quum nō dubitem, me non parum commodi ei hoc uno commentariolo eſſe allaturum; ſimulq́; aliquod ſpecimen daturum, qualis futu-rus ſit commentarius, quem in uniuerſum hoc opus adorno. Porro autem quum in hoc libello, de ijs qui pomerium protu-lerunt ſim diſputaturus, neceſſarium eſſe primo arbitror, quid pomerium apud ueteres fuerit demonſtrare; poſtea uero reli-qua de quibus diſſerere inſtitui, perſequi. Pomerium itaque lo-

cus erat, tam intra, quam extra urbis murum, quem antiqui in condendis urbibus augurato consecrabant, neque in eo ullum fieri aedificium patiebantur. Dictum est autem pomerium, ut auctor est Varro libro IIII. de lingua Latina, quasi post merium, nam quem antiqui merum dicebant, nos murum dicimus. Vnde ita nonnulli apud Virgilium legunt libro X

Atque ipsis proelia miscent

Aggeribus merorum. Varro autem sic: Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu multa, id est, iunctis bubus tauro, & uacca interiore aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis caussa die auspicato, ut fossa, & muro essent munita. Terram unde excalpserant, fossam uocabant; & introrsum factum murum. Postea quod fiebat orbis, urbs. Principiũ, quod erat post murum, pomerium dictum; eiusq; ambitu auspicia urbana finiuntur. Cippi pomerii stant circum Romam. Quare & oppida, quae prius erant circumducta aratro ab orbe, & urbo urbes: & ideo coloniae nostrae omnes in litteris antiquis scribuntur urbes; quod item conditae ut Roma; & ideo coloniae ut urbes conduntur, quod intra pomerium ponuntur. Liuius quoque libro primo, de Ser. Tullio loquens: Aggere (inquit) fossis, & muro circundat urbem. Item pomerium profert. Pomerium uerbi uim solam intuentes, post merium interpretantur esse. Est autem magis circa moenium locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, quae nunc uulgo etiam coniungunt, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spacium quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum est, quàm quod murus post id, pomerium Romani appellarunt. Et in urbis incremento semper quantum moenia processura erant, tantum termini

mini ij consecrati proferebantur. Ita ut pomerium proferre nihil aliud sit, quàm ampliare moenia urbis. Augures autem populi Romani, ut est apud M. Messallam in libro quem de auspiciis scriptum reliquit: Pomerium sic definierunt: Pomerium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii. Sex. Pompeius libro XIIII. Pomerium (inquit) ubi pontifices auspicabantur, dictum est quasi pomurum, id est proximum muro. Alij pomerium quasi post moenium interpretantur, quod post moenia locatum sit. Is qui primo urbem condebat, pomerium etiam urbi addere solebat, ut Romulus qui urbi nouae a se figura quadrata cum tribus portis conditae, pomerium more Etrusco addidit, ut auctores sunt Dionysius, Solinus, Plinius, & Plutarchus. Cuius tamen pomerium, quo ambitu, quibusue terminis clauderetur, uarie auctores prodidere. Gellius Romuli antiquißimum pomerium tantum Palatij montis radicibus terminatum fuisse scribit. Liuius quoque libro primo: Palatinum (inquit) Romulus primum in quo ipse educatus erat muniit. Horum sententias confirmat Cornelius Tacitus libro XII. Qui etiam Capitolium forique Romani partem a T. Tatio Sabinorum rege urbi addita his uerbis docet: Sed initium condendi, & quod pomerium Romulus posuerit noscere haud absurdum reor. Igitur a foro Boario, ubi aereum tauri simulachrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi coeptus, ut magnam Herculis aram complecteretur. Inde certis spacijs interiecti lapides, per imma montis Palatini ad aram Consi, mox ad curias ueteres, tum ad sacellum Larum; Forum enim Romanum, & Capitolium non a Romulo, sed a T. Tatio additum urbi creditur. Quibus uerbis conijcio T. Tatium, posteaquam aequo iure in regnum a Romulo adscitus est, Sabinique post foedus ra-

ptarum precibus cum Romanis initum in ciuitatẽ recepti ſunt, ambitum murorum urbis una addita porta, ut quattuor eſſent, hoc modo ampliaſſe. Capitolij primum eam partem quae nunc nouam urbem, & Pantheum aſpicit, ubi extat ſtatua equeſtris M. Aurelij imperatoris, muro circumdedit, deinde ductis moenibus a rupe Tarpeia, ultimaque Capitolij parte, ubi paulo ante noxij plecti ſolebant, in occaſum ad uiam qua itur ad circi maximi partem extremam Tiberim uerſus, ſe extendit. Inde ad aliam circi maximi nouiſſimam partem uerſus Septizonium retorquens, mox in orientalem partem parum ultra Titi amphitheatrum ſe conuertit, hincque uerſus Septentrionem paulo ultra uiam ſacram uſque ad Naruae forum reuerſus eſt, poſtremo paruo tractu flectens ipſum murum cum altera Capitolij parte coniunxit: atque hac ratione Palatium primo, mox Capitolium urbi addidit. Huic autem antiqui pomerij deſcriptioni, & ſi eam ex optimis grauiſſimisque ſcriptoribus acceperim, Dionyſius tamen, Liuius ipſe, Plutarchus, Strabo, & pleriq; alij nobiliſſimi rerum Romanarum auctores repugnare uidentur. Liuius enim, Dionyſius, & Plutarchus in Romuli uita Sabinorum, atque T. Tatij in urbem aduentum, Capitolium a Romulo munitum fuiſſe ſcribunt, arce Romana ibidem locata, quam quũ Tarpeiae proditione poſtea Sabini cepiſſent, ex eo loco nunquam a Romanis pelli potuere. Strabo quoque ait. Priſci namque Capitolium, & Palatium, collemque Quirinalem ſic muniere muris, ut uenientibus aliunde, exterius facilis foret aſcenſus, adeo ut T. Tatius primo aduentans incurſu, locorum potitus ſit, quum raptarum uirginum ulciſceretur iniuriam. Dionyſius quoque libri II. initio: Romulum Palatium & Capitolium muris & foſſa communiſſe ſcribit, ante T. Tatij aduentum, & poſt eius in urbem receptum: Romulus (inquit) & Tatius urbem ſtatim maiorem effecere, duos ei colles alios adijcientes,

ciẽtes, Quirinũ & Coeliũ separãtesue habitationẽ, alter ab altero, in proprijs locis utrique uitam agebant. Romulus quidem Palatium occupans & mõtem Coelium, Palatio propinquum; Tatius uero Capitolium quod ab initio ceperat, & Quirinalẽ collem. Si igitur iuxta horum historicorum sententias, Capitolium, & Quirinalis ante Tatij aduentum muniti fuerunt, necesse est, ut eos non nisi a Romulo munitos fuisse dicamus. Non ergo Romulus tantum Palatium tenuisse uidetur. Quas controuersias, una hac responsione tolli posse existimo. Dicerem enim Romulum quidem quum urbem conderet tantum Palatium munijsse, idque solum primo pomerio clausisse, uerum ne qua uis externa urbem adoriri posset, atque finitimi colles, hostium aliquando arces essent, ex quibus Romam uexarent, non quod ijs locis indigeret, perinde ac etiam Ancus Marcius rex de Ianiculo fecit, Capitolium primo, mox Quirinalem & Coelium colles, qui urbi erant proximiores, & ex quibus urbs ipsa magis oppugnari poterat, fossa siue aggere, aut muro firmasse, praesidioq; locato tanquam arces munijsse, quum nihilominus extra urbis ipsius moenia, pomeriumque essent. Quod etiam idẽ Strabo affirmare uidetur. Qui colles urbi uicinos ideo munitos fuisse scribit, ne hostes eis occupatis, castellisque factis, ciuitati negotium facerent. Illud adde, quod quum arcem Tarpeiam captam a Sabinis scribant, nõ tamen urbem ipsam captam fuisse dicunt, sed Romanos (inquit) Liuius cum Sabinis post arcem Tarpeiam occupatam pugnantes, hostes usque ad portam Palatij fugarunt, quae urbis tunc erat. Eos postremo colles, extra urbis pomerium, quamquam munitos, fuisse, exemplo esse potest Auentinus mons, qui quum totus habitaretur, atq; ab Augusto una ex XIIII. regionibus, quibus urbem diuisit factus esset, tamen usque ad Ti. Claudij imperatoris tempora, a quo primum intra urbem locatus est, extra urbis pomerium

fuit. Palatino igitur colli, in quo primum a Romulo urbs condita est, T. Tatius Sabinorum rex Capitolium, forumque Romanum addidit, & auctis moenibus intra urbis pomerium inclusit. Quod non obscure etiam Liuius innuere uidetur, qui Palatium tantum a Romulo munitum scribit, & quum in urbis ampliatione post Romulum, quid unoquoque tempore, et a quo rege additum fuerit enumerat, nullam de Capitolio facit mentionem. Porro autem si duo illi colles Quirinalis & Coelius sub Romulo urbis pomerio clusi essent, sibi ipsis repugnarent ijdem scriptores, qui eos sequentibus regibus postea additos fuisse scribunt. Nec ulla ratione uerisimile uideri potest, pastores, aduenas, hominesque inopes, rebus adhuc angustis tantum campum, in tanta hominum paucitate intra urbis muros complexos, quum Plutarchus tantum mille domus, Dionysius uero nõ nisi tria millia peditum, trecentosque equites ueterem Romam habuisse scribant. Vrbis autem pomerium pro incrementis rei publicae postea saepius prolatum est, multique colles additi.
Ius autem proferendi pomerij habebat, qui rempublicã agris de hostibus captis auxerat. Tacitus libro XII. Mox pro fortuna (inquit) pomerium auctum. Idem refert in Aureliani imp. uita Fl. Vopiscus. Post Romulum (inquit libro II. Dionysius) adaucto urbis ambitu Quirinalem collem Numa rex urbi addidit, eousque enim muris septus non fuerat. Eum autem primo munitũ à Romulo scribit Strabo; mox a T. Tatio idẽ Dionysius, quẽ nunc contra omniũ auctorũ sententiã scribit a Numa pomerio inclusũ fuisse, quũ alij id uel Romulo ipsi, uel T. Tatio, uel qđ uerius est Ser. Tullio adscribũt. Tantã aũt inter auctores uarietatẽ, hinc ortã existimo, qđ aliqui reges primi adiecerint aut habitarint, reliqui aedificijs alijsue reb. ornarint, aut auxerint; uel pars ab uno reliquũ, ab altero additũ forte fuerit. Tertius a Romulo, Albanis uictis, Alba euersa, ipsisq; in ciuitatẽ ad scitis,

ſcitis, addito urbi Coelio monte, quem Romulus primo munierat, pomerium protulit Tullus Hoſtilius rex Romanorum tertius; unde Liuius libro primo: Roma interim creſcit Albae ruinis, duplicatur ciuium numerus, Coelius additur urbi mons. Et quo frequentius habitaretur eandem ſedem Tullus regiam cepit, ibiq; deinde habitauit. Et Dionyſius lib. III. At ne ullus ſine domicilio eſſet, eũ collẽ qui Coelius dicitur, muro cõmuniẽs, urbi addidit, ubi quidem quicunque erant ſine laribus Romani, ex eo loco ſortiti quod ſatis eſſet, ſibi aedes conſtruerent, ipſo quoque in eodem colle habitante. Eutropius idem confirmat, & Plinius in libello de uiris illuſtribus. Hunc porro montem urbi adiectum fuiſſe ab Anco Marcio, non a Tullo Hoſtilio ſcribit Strabo. Ancus (inquit) etiam Marcius montem Coelium, & Auentinum, & iacentem inter hos campum aſſumens inuicem diſiunctos, ab alijs ante muro cinctis aedificijs, urgente neceſſitate prioribus copulauit, colles enim adeo munitos extra muros illis permittere, qui incumbentia ſuperne caſtella cuperent, nequaquam recte ſe habebat: totum etiam explere circuitum uſque in Quirinalem minime ualuit. Quem quidem locorum defectum Seruius redarguit, nam ſuppleuit ipſe adiecto Eſquilino & Viminali. Cor. uero Tacitus; eum a Tarquinio Priſco additum fuiſſe innuit: quum ait libro IIII. Eum montem Coelium fuiſſe dictum a Coele Vibenna, qui dux gentis Etruſcae, quum auxilium appellatum ductauiſſet, ſedem eum acceperat, a Tarquinio Priſco, ſeu quis aliorũ regum dedit; nã ſcriptores in eo diſſentiunt; cetera non ambigua ſunt magnas eos copias per plana etiam ac foro propinqua loca habitauiſſe: unde uicum Tuſcum e uocabulo aduenarum dictum. Quartus Ancus Marcius rex, ut auctores ſunt libro III. Dionyſius, & libro primo Liuius, Strabo libro. V. Plinius de uiris illuſtribus, & Eutropius, morem regum priorum ſequutus, qui rẽ Romanam

nam auxerant, hostibus in ciuitatem accipiendis Politorio urbe Latinorum ui capta, uictorum multitudinem omnem Romam traduxit. Et quum circa Palatium sedẽ ueteres Romani, Sabini Capitolium, Quirinalem, atque arcem; Coelium uero montem Albani implessent, Auentinum montem nouae Latinorum multitudini datum, additi eidem haud ita multo post Tellene, Ficanaque captis noui ciues; & paulo post: Ad ultimum omnibus copijs connixus Ancus acie primum uicit. Inde ingenti praeda potitus, Romam redijt. Tum quoque multis millibus Latinorum in ciuitatem acceptis, quibus ut iungeretur Palatio Auentinus, ad Murciae data sedes. Ianiculum quoque adiectũ urbi, non inopia loci, sed ne quando ea arx hostiũ esset. Id nõ muro solũ, sed ẽt ob itineris cõmoditatẽ, põte sublicio tũ primũ in Tiberi facto cõiũgi urbi placuit. Et Strabo: Ancus Marcius montes Coeliũ, & Auentinum, & iacentem inter hos campum urbi coniunxit. Plinius de uiris illustribus: Auentinum & Ianiculum montes urbi addidit. Noua moenia oppido circundedit. Quod autem hi scriptores ducunt Ancum Auentinum nouæ multitudini concessisse, non propterea eum intra pomerium recepisse significant. Multa enim erant loca ut (inquit) Dionysius circum urbem extra moenia, proximis collibus & uallibus habitata, & praesertim Auẽtinus. Quem extra urbis pomerium quoque fuisse refert. Liuius item libro XLI. Aediles (inquit) extra portam Trigeminam in Auentinum porticum silice strauerunt. Gellius quoque libro XIIII. hoc idem docet quum ait: Dein autem quaesitum est, diuq; in quaestione fuit, quam ob caussam, ex septem urbis montibus, quem ceteri sex intra pomerium sint Auentinus solus, quae pars non longinqua, nec infrequens est, extra pomerium sit. Huius rei M. Messalla augur aliquot caussas uideri scripsit, sed praeter eas omnes, ipse unam probat; quod in eo monte Remus urbis condendæ

dendæ gratia auſpicauerit, auesq; irritas habuerit, ſuperatusq; in auſpicio a Romulo *ſit.* Idcirco *(inquit)omnes qui pomerium protulerunt, montem iſtum excluſerunt,quaſi auibus obſcoenis ominoſum.* Dionyſius *quoque libro* III. *Primum quidem An-cus* Marcius *non paruam urbi partem addidit, cingens muro eum collem, qui* Auentinus *dicitur.* Eſt *enim mons modice edi tus, & in orbem ſtadia fere* XVIII. *ambiens,qui tunc ingenti ſilua omnis generis arborum plenus erat, tum uero plurima ac pulchra lauro, a qua locus quidam eius a* Romanis Lauretum *dicitur.* Segregabatur *autem a* Palatio,*circa quem urbs prima condita eſt,profunda & anguſta ualle.* Et *paulo poſt:* Hunc *igitur collem uidens futurum aliquando propugnaculum urbis, ſi quis ſuperueniret ex inſperato exercitus: muro foßaq; com-muniuit.* Et *traductos ex* Tellene & Politorio, *alijsq; urbibus quas ceperat, ibi collocauit.* Quae *tametſi dicat* Dionyſius,*eũ tamen non pomerio urbis incluſiße ſcribit.* Vnde Strabo: Ne *colles (inquit) adeo munitos extra muros hoſtibus permitteret, qui incumbentia ſuperne caſtella deſiderarent.&c.* Ipſum *enim clauſiſſe collem illum ea puto cauſſa, quo multitudo, quam in ip ſum capta* Politorio *traduxerat, ab hoſtili incurſione eſſet tu-ta, non ut obſeruaretur intra pomerij fines, aut urbis terminus eſſet;* Et *idcirco* Dionyſius *non dixit urbi addidit, ſed muro cin xit.* Quum *enim eſſet malis auſpicijs ominoſus,neque intra ur-bem receptus fuit, neque totus habitabatur, ita ut* M. Valerio Maximo, & Sp. Virginio Coelimontano Cos. *anno urbis* CCXCVI. *adhuc publicus, & ſiluarum plenus eſſet, ut prodit idem* Dionyſius. Quamuis *autem* Ancus Auentinum *extra po merium eſſe uoluerit, illud tamen* Ianiculo & Tranſtiberina *re gione urbi adiunctis,quartus a* Romulo *protulit.*Dionys.*Muni uit item muro eum quem* Ianiculum *uocant montem aeditum,* Tranſtiberim *poſitum, praeſidiumq; idoneum ei impoſuit,pon-temque*

temq; ligneum super amnem fecit. Quod confirmant Plinius, et Eutropius. Vrbem quoque in planioribus locis maxima & ingenti fossa muniuit, quae quod plebis Romanae manibus facta eßet, Quiritium foßa appellata est, ut scribit Sex. Pompeius quum ait: Quiritium foßae dicuntur, quibus Ancus Marcius urbem circumdedit, quas secundum ostium Tiberis posuit, quo etiam Ostiam; & quia populi opera eas fecerat appellauit Quiritium. Et Liuius: Quiritium quoque foßa haud paruum monumentum a planioribus aditu locis, Anci regis opus est. L. autem Tarquinius Priscus rex quamuis perduellibus uictis, multoque agro de hostibus capto imperium populi Romani propagauerit, pomerium tamen uetere contentus non auxit. Qui quum extremo imperij sui tempore urbem amplioribus muris dilatare coepißet, saxis magnis ad regulam formatis adductis, prius enim ruderibus uilibusque structuris aedificati fuerant, mortuus est. Quare eius succeßor Ser. Tullius rex sextus quintus a Romulo pomerium protulit, Vrbisque muros a Tarquinio inchoatos perfecit, ut auctores sunt Dionysius libro IIII. Liuius libro primo, & libro decimotertio Gellius, Plinius de uiris illustribus, & Eutropius, Liuius enim muro (inquit) Priscus lapideo circundare urbem parabat, quum Sabinum bellum coeptis interuenit. Et paulo post: Pax deinde facta. Maiore inde animo pacis opera inchoata, q̃ quãta molle gesserat bella, ut non quietior populus domi eßet, quã militiae fuißet. Nã & muro lapideo cuius exordium operis, bello Sabino turbatum erat, Vrbem qua nondum munierat cingere parat. Quod opus tamẽ eum non perfecisse refert. Quum autem Seruij gesta describit. Ad eam (inquit) multitudinem urbs quoque amplificanda uisa est. Addidit igitur Seruius duos colles Quirinalem, Viminalem. Inde deinceps auget Esquilias, ibique ipse ut loco dignitas fieret, habitat; aggere foßis, & muro circundat urbem. Item

pome=

pomerium profert &c. Dionysius autem, & Strabo duos tantum colles a rege Ser. Tullio additos fuisse scribunt Viminalem uidelicet, & Esquilias. Quippe quod Quirinalem alter a Numa, a Romulo alter adiectum existimauerunt. Quod Liuio, Tacito, Eutropio, & alijs antiquis scriptoribus, quorum ego sententias sequor, repugnare uidetur. Quam contradictionem etiam hac ratione tolli posse existimo; si dicamus Numam partem Quirinalis Capitolio olim adiunctam, quam postea Traianus imp. ut forum exaedificaret complanauit, Ser. uero Tullium reliquum montis, quod supererat pomerio clusisse. Dionysius: Tullius urbi duos colles addidit Viminalem, & Esquilinum. Quorum uterque urbis habet magnitudinem, diuisitque eos ijs qui sine laribus Romani essent, ad aedes in his construendas, ubi ipse sibi quoque habitationem fecit in illustri Esquiliarum loco. Idem prodit & Strabo lib. V. Plinius autem, & Eutropius Liuij sententiam sequuntur, qui tres colles ab eo urbi additos scribunt Quirinalem, Viminalem, & Esquilias; adduntque aggeres, fossasque fecisse. Muros autem a Tarquinio Prisco inchoatos, ab ipso uero perfectos ex ingenti quadrato saxo ad regulam formato Gabino, Albano, Tiburtino, & Praenestino firmissimis, ignique imperuijs fuisse constat. Muro autem lapideo sex colles complexus, primus in quattuor tribus urbanas urbem diuisit, Palatinam, Suburanam, Esquilinam, & Collinam: de quibus latius paulo post uerba faciã. L. uero Tarquinius Superbus rex VII. Latinorum, ceterorumque hostium incursiones, quibus urbs ipsa uexari poterat, ueritus, urbem ab oriente ingenti aggere munijt. De quo Plinius libro III. cap. V. Clauditur (inquit) urbs ab oriente aggere Tarquinij Superbi, inter prima opere mirabili, namque eum muris aequauit, qua maxime patebat aditu plano, cetera munita erant, praecelsis muris, aut abruptis montibus, nisi quod

expa-

expatiantia tecta multos addidere orbes in prima regione. Adhuc ij aggeres parum ultra Diocletiani thermas uisuntur, ab eo loco usque ad arcum Gallieni fere porrecti. De hoc quoque aggere Strabo: Quem quidem (inquit) locorum defectum Seruius redarguit, nam suppleuit ipse adiecto Esquilino colle, & Viminali, ea uero loca aduentantibus hostibus facile capi poterant, quocirca profundiore exterius ducta fossa, & accepto solo stadiorum sex, aggerem porrexerunt super fossae supercilio interiore, murumque cum turribus e Collina porta usq; ad Esquilinam imposuerunt; in aggere autem medio tertia est porta eiusdem nominis cum colle Quirinali. Haec autem fossa cuius Strabo meminit, forte est ea quam Liuius Quiritium appellat, ab Anco facta, ut scribit Sex. Pompeius. Ambitum autem urbis ea aetate hunc fuisse existimo. Muri haud longe a ponte, qui nunc dicitur Xystus uersus Farnesiorum palatium inchoabāt, ex aduerso murorum ab Anco Marcio rege in Transtiberina regione structorum, & portae, quae nunc Septimiana dicitur, qui per mediam urbem planam circa campos Florae Agonalemque, & Pantheum usque ad Quirinalis radices, ea parte in qua cardinalis Carpensis horti sunt collocati protendebantur; gyrabantque paulo ultra thermas Diocletiani, & circa basilicam S. Mariae Maioris secundum ipsos Tarquinij aggeres, prope arcum Gallieni, aediculam S. Matthaei, & basilicam Lateranensem, hinc per dorsum Coelij montis paulo ultra formas aquae Claudiae, prope templum S. Stephani in Coelio monte, & S. Mariae in nauicula, Piscinam publicam, thermasque Antoninianas, usque ad circum maximum ducebantur: eorumque finis erat haud longe ultra pontem Sublicium, e regione murorum Transtiberim, qua naualia sunt positorum. Transtiberinae uero regionis moenia ab Anco Martio condita adhuc uisuntur, quae etsi saepius restituta esse credendum sit, paululum

lulum tamen ab antiquis sedibus mutata fuisse constat. Atque hic, uel non multo diuersus fuit urbis ambitus extremis regum, & primis reip. temporibus. Quibus portae urbis Romuli, quas tres, uel ut alijs placet quattuor fuisse constat, paulatim cum usu & nomen amiserunt antiquum, una Carmentali excepta, quae diutius ueteris nomen obtinuit. Post Ser. uero Tullium regem, usque ad Sullae Felicis dictatoris tempora pomerium amplius prolatum fuiße Dionysius negat: Post Seruium (inquit) Tullium urbis ambitus non proceßit, numine (ut aiunt) prohibente, sed sunt omnia circa urbem habitata loca, multa ea & magna exposita facillimaque, ut aduenientibus hostibus praedae essent obnoxia. Quod si quis haec spectans uoluerit urbis magnitudinem exquirere, is errare cogetur, nec ullum signum certum quo dignoscatur habebit, quousque sit haec urbs progressa, aut unde eße non amplius urbs incipiat, ita urbi cō texta est regio, praebetq; spectantibus opinionē extensae in infinitum urbis. Si uero muro uix perscrutabili propter aedes cō plectentes eum undique, uestigia autem quaedam locis multis seruanti structurae ueteris, metiri idem eam uelit, Athenarum urbis circuitu non multo maior est urbis ambitus. A Gallis autem Senonibus urbe capta, atque incensa, quum Galli caesi fuissent, muri eius Capitoliumque lapide quadrato refecti sunt, ita tamen ut pomerium nunquam ampliatum sit, quamuis & numero ciuium, & ambitu ualde creuißet. L. autem Cornelius Sulla Felix bellis ciuilibus uictor, & lege Valeria dictator factus, reipublicae constituendae caussa, Mithradate potentißimo Ponti rege uicto, multisque Asiae & Graeciae populis bello domitis, factione Mariana ad internicionem usque caesa, primus post Ser. Tullium urbis pomerium protulit, ut Seneca, Cornelius Tacitus, & A.Gellius prodidere. Tacitus enim libro XII. Nec tamen duces Romani (inquit) quamquam magnis nationibus

tionibus subactis, ius proferendi pomerij usurparunt, nisi L. Sulla, & diuus Augustus, regum in eo ambitio, & gloria ualde uulgata. Ceterum omnes qui post Sullam urbis muros, uel ampliauerunt, uel restituere curarunt, eos deinceps lateritios fecisse existimo, neque enim facile lapides quadrati in hoc murorum circuitu lateritio uideri possunt, qui uel ex antiquis sunt, uel ex eorum reliquiis fabricati. Iulium uero Caesarem dictatorem, post Sullam pomerium protulisse auctores sunt Dio, & Gellius. Qui libro XIIII. capite XIIII. ait: Neque id Ser. Tullius rex (de Auentino loquitur) neque Sulla, qui proferendi pomerij titulum quaesiuit, neque postea diuus Iulius, quum pomerium proferret, intra effatos urbis fines incluserunt. Apud Ciceronem quoque libro XIII. epistolarum ad Atticum legitur, sub Caesare dictatore ampliandi pomerij mentionem factam. De urbe (inquit) augenda, quid sit promulgatum non intellexi, id sane scire uelim. Et paulo post in alia tamen eiusdem libri epistola ait: Sed casu sermo a Capitone de urbe augenda a ponte Miluio, Tiberim duci secundum montes Vaticanos, campum Martium coaedificari, illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum. Quem extra urbem fuisse eo tempore constat, ut ostendunt etiam Appiani uerba qui ait: Sullam ulterius progressum in campo Martio exercitum ante urbis portas statuisse. Satis autem liquet, antiquos quum uellent urbis moenia, quae Collinam non excedebant portam, ad Miluiū pontem usq; perducere ab haruspicibus prohibitos fuisse, quod in urbe comitia facere, uel milites legere, non licebat. Martiū autem campum Aureliani imp. temporibus urbi additum fuisse existimo, praesertim quum sub Seuero imperatore, ut est apud Herodianum, adhuc extra urbem fuerit. Aurelianus enim pomerium ea urbis parte protulit. Sed haec paulo post: Diuum uero Augustum pomerium protulisse docet Cor. Tacitus libro

bro XII.*cuius uerba ſupra citaui, idem quoq; confirmant antiqui lapides, ex ijs qui pomerij cippi a Varrone dicuntur, haud procul a Tiberi extra Flaminiam portam inuenti, quorũ exempla ſunt haec*

C.MARCIVS.L.F.L.N
CENSORINVS
C.ASINIVS.C.F.GALLVS
COS
EX.S.C.TERMIN
item
IMP.CAESAR.DIVI.F
AVGVSTVS
PONTIFEX.MAXIMVS
TRIBVNIC.POTEST.XVII
EX.S.C.TERMINAVIT
R.R.PROXIM.CIP.PED.CLXI
item
C.MARCIVS.L.F.L.N
CENSORINVS.ET.C.ASI
NIVS.C.F.GALLVS
COS
EX.S.C
FIN.POMER.TERMIN

Hos autem conſules Auguſti tempore fuiſſe, Faſti docent conſulares. Quos autem pomerij terminos, ſeu quam urbis partem Sulla primo, deinde Iulius Caeſar, poſtea Auguſtus ampliauerint, incertum: quantum tamen coniectura conſequi potui; Sullam eam urbis partem, quae eſt uerſus hortos Saluſtianos, portasque Collinam & Viminalem ampliaſſe crederem, quum hortos ipſe Saluſtius intra urbem emerit, qui poſtea dicti ſunt Saluſtiani, quorum locum ſi ad antiquum urbis pomerium ante Sullam aſpiciatur, extra urbem fuiſſe conſtat. Iulius autem Caeſar, ſi is modo pomerium protulerit, (ambiguum

enim est) & Augustus eam murorum partem, quae est inter portas Collinam & Capenam produxerunt. Liquet enim ante Augusti obitum, eum murorum ambitum, qui est a Collina ad Capenam adiectum esse, idque duabus rationibus collegi: primo quia Tiberius Caesar post Augusti obitum Romae (ut auctores sunt Tacitus & Tranquillus) castra constituit, quibus praetorianae cohortes uagae ante id tempus, & per hospitia in urbe dispersae, continerentur. Haec autem castra prope muros urbis locata fuisse, referunt Plinius libro III. Herodianus VII. & Iulius Capitolinus in Maximi, & Balbini imperatorum uitis. Compertum autem est paulo ante hos dies, eum locū quem hactenus superioris aetatis antiquarij ex loco Procopij male intellecto, Viuarium appellauerunt, castra praetoria esse, ut inferius disseram, quae si muris urbis coniuncta erant, eos ad eum locum ubi nunc castrum praetorium uidetur, protractos fuisse necesse est, uel a Sulla, uel a Iulio, aut Augusto Caesaribus; nam ante Sullae tempora moenia urbis aggerem Tarquinij non excedebant, a quo orientem uersus longo interuallo distat castrum praetorium. Deinde, quum Tranquillus in Augusti uita dicat, ipsum urbis spacium in XIIII. regiones diuisisse, multaque a Sex. Rufo, & P. Victore in ijs libris, quos de regionibus urbis Romae scripserunt, enumerentur quae Augusti imperio intra urbis muros aedificata fuerunt, atque nunc paulo intra hunc murorum ambitum contineantur, necesse est urbem ipsam, ea parte ante ipsius Augusti excessum ampliatam fuiße. Nihil autem accuratius praeterea quod in hac re afferā habeo. Si qui meliora habent ea prodant, nos interim ad institutum reuertamur

De

De castro praetorio

Quum Augustus prouidentißimus princeps, sibi uni imperium populi Romani confirmare studeret, inter cetera multaque tanto imperio stabiliendo saluberrime excogitauit, nouem quoque militum cohortes urbis praesidio, & ad sui corporis custodiam legit, hae praetorianae appellatae fuerunt. Post cuius obitum Ti. Caesar, *ut* Tranquillus *capite* XXXVII. *eius uitae scribit,* Romae *castra constituit praetoria, quibus ipsae cohortes praetorianae uagae ante id tempus, & per hospitia dispersae continerentur. Quod etiam libro* IIII. *historiae Augustae* Tacitus *refert, quum de praetorij praefecto* Seiano *loquitur his uerbis:* Initium *& caussa penes* Aelium Seianum *cohortibus praetorijs praefectum, cuius de potentia supra memoraui. Is uim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes, una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque & robore, & uisu inter se fiducia ipsis in ceteros metus crederetur.* Praetendebat *lasciuire militem deductum.* Si *quid subitum ingruat maiore auxilio pariter subueniri, & seuerius acturos si uallum statuatur, procul urbis illecebris.* Vt *perfecta sunt castra, inrepere paulatim militares animos, adeundo, appellando simul centuriones, ac tribunos ipse deligere. &c.* Haec *autem castra prope urbis muros locata fuisse docet* Plinius *libro* III. *cap.* V. Herodianus *libro* VII. *&* Iulius Capitolinus *in* Maximi *&* Balbini *imperatorum uitis.* Compertum *est uero proximis diebus eum locum, quem huc usque* Viuarium *appellarunt forma quadrata, inter portas* Viminalem *&* Tiburtinam *situm, urbisque muris coniunctum castrum praetorium fuisse.* In *uineis enim aliquot in eius medio sitis plures inuenti sunt plumbei tubuli, & fistulae, quibus a-*

qua Marcia, ex proximo castello in eum deriuabatur, cum ijs inscriptionibus

L. IVN. CLARO. ET. AVR. SEVERO. COS
CASTRVM. PRAETORIVM. P. LXX

Item in alio

CLARO. ET. SEVERO. COS. QVADRAT. SER. FEC
CASTRVM. PRAETOR. P. CC

Item in alio

T. VESPAS. AVG. VII. FLAV. DOMIT. VI. COS
Q. CLAVD. SER. OFF. FEC. CASTR. PRAET

Et in alio

Q. AQVILLIO. SABINO. II
SEX. AVR. ANVLLINO COS
CASTR. PRAET. L. VRVAS. OFF. PED. CCCLXXXIII
AQVA. MARC

Item in antiqua figulina

CASTRVM. PRAETORIVM
EX. PR. VINI. QVAD. ET. ANT. OP
EX. FIG. SEX. AT. SILV. F. VI

item in alia

CASTR. PRAET
L. SILVINI
HELPIDIANI

Porro autē de his aquae Marciae fistulis quae castri praetorij usui erant, mentionem facit Herodianus libro VII. Vbi de seditione inter milites praetorianos, & populum Romanū orta sub Maximi & Balbini imperio loquitur, ijs uerbis. Postremo quando castrorum oppugnatio parū procedebat, uisum ducibus interuertere omnes riuos, qui in castra peruenirent, ut

milites

milites aquarum penuria, sitique conficerent. Igitur abscinden do obstruendoq;, cunctos e castris aquarum riuos auertebant. Sed intellecto periculo milites, ac rebus desperatis erumpunt uniuersi patentibus portis, congreßique multitudinem fugientem in urbem usque persequuntur. & Iulius Capitolinus in Maximo & Balbino Augustis: Inter haec Romae iterum seditiones inter populũ et milites exortae sunt, & quũ mille edicta Balbinus ꝓponeret, nec audiretur, ueterani se in castra prætoria contulerunt cũ ipsis praetorianis, quos coepit populus obsidere, nec unquã ad amicitiã eßẽt redacti, nisi fistulas aquarias populus incidißet. Porro aũt ea parte castra praetoria quoque fuisse cõfirmari potest Tranquilli auctoritate in Neronis uita, ubi de eius destitutione, & morte uerba facit: Sed reuocato (inquit) rursus impetu aliquid secretioris latebrae ad colligẽdũ animũ desiderauit, & offerente Phaonte liberto suo suburbanũ suum inter salariam & Nomentanam uiam, inter quartum miliarium, ut erat nudo pede, atque tunicatus, penulam obsoleti coloris superinduit, adopertoque capite, & ante faciem obtenso sudario equum insedit, quattuor solis comitantibus, inter quos & Sporus erat. Statimque tremore terrae, & fulgure aduerso pauefactus, audijt ex proximis castris clamorem militum sibi aduersa, & Galbae prospera ominantium. Non longe ergo a porta Viminali erant castra praetoria, qua Nero per Numentanam uiã egreßus clamorem militum audire potuit. De ijs autem castris saepißime Herodianus in Commodi, Pertinacis, Iuliani, Seueri, Caracalli, & aliorum imperatorum gestis mentionem facit, sed unum eius locum non omittam, quo aediculae quae in medio castrorum erat meminit, ait enim: Antoninus inrupto fratris Getae cubiculo, nihil cum tale expectantem supra matris pectus multo undantem sanguine saeuus obtruncat. Quo facto exilit statim, ac per totam regiam currens cla-

mitat, magnum se periculum effugisse, uixque euasisse incolumen. Simul imperat militibus regiae custodibus, raperent ilico se atque in castra deducerent, ubi tutius asseruaretur, periturum dictitans, si diutius in aedibus moram trahat. Illi pro ueris ea dicta accipientes, simul ignari quae intus gesta, currentem eum currentes & ipsi comitantur. Fit ingens populi tumultus raptim agente se sub uesperam principe per mediam urbem: ut castra attigit, aediculamque eam intra quam signa ac simulachra exercitus adorantur, procidens humi gratias agebat, uotis quasi pro salute susceptis. &c. Huius uero aediculae aliquot figulinae ijsdem in uincis inuentae sunt, cum hac inscriptione

EX. AEDICVLA. AVGVSTORVM. OPVS. DOL
EX.FIG.C.PANISEI.HERMETIANI.ET. VRBICI

Castrum autem praetorium exauctoratis praetorianis, euertit Constantinus Magnus imperator, quando Maxentio tyranno, quem contra se imperatorem praetoriani appellauerãt, uicto, & mortuo urbem Romam cepit, ut refert libro historiarum secundo Zosimus. Qui eam castrorum muri partem, quae intra urbem erat, castrumque ipsum ab urbe diuidebat, substulit: militum quoque stationes & cellulas uastauit. Quo facto, urbis ambitum ampliorem fecit, castri praetorij muri tribus reliquis partibus relictis, forma enim quadrangula castra erant, & idcirco nostra quoque aetate urbis moenia eo loco in formam quadrangulam adhuc extra porriguntur, qui nunc dumis sepibus, & uinetis plenus est; atque a rusticis & eius loci incolis adhuc castrum custodiae appellatur. Viuarium autem circa eum locum fuisse Procopius Caesariensis libro primo de bello Gothico ijs uerbis demonstrat: Vitiges acie instru

cta circa portam Praenestinam, ad eam muri partem mox ducit, quam Romani Viuarium dicunt, unde & expugnari moenia perquam facile poterant. Et paulo post: Bessas interea Paraniusque, Vitige ipso e regione Viuarij, ualidissime his insistẽte, eodem ad se Belisarium uocant. Ille uero, ut qui ei muro minus confideret, his opem laturus mox aduolat, & quum milites in Viuario, id loco nomen, offendisset, ex inuadentium ingenti multitudine hostium insultu nimio trepidantes, statim ijs ipse animos facere, atque ut hostes paruifacerent commonere. Erat nimirum ea ex parte planior locus, atque adeo ad inuadentium insultus peroportunus. Adhoc accedebat, quod ea e regione, murus ita dissoluebatur, ut uel lateres ipsi haud sat multum in sua compage subsisterent. Huic muro alterum & breuẽ forinsecus, ueteres quondam Romani modico interuallo adiecerant. sed non ad tutelam, ut qui sine propugnaculis fuisset extructus, sed ad delitias factus haud satis decentes; & ut leones eo in loco coercitos, & bestias alias asseruarent, unde & Viuarium is locus est dictus. Quae uerba non recte intellecta, occasionem dederunt antiquarijs ijs, qui ante nos fuerunt, ut castrum ipsum Viuarium esse affirmarint, quod turribus et propugnaculis cõtra Procopij dicta, adhuc munitum cernitur. Viuariũ uero haud procul a castro praetorio extra castri muros erat, ubi nunc parietinae quaedam fenestratae altissimae uidentur, ea ratione aedificatae, qua Procopius scribit fuisse Viuarij muros; quae ipsis olim castrorum nunc urbis moenibus adhuc propinquae sunt. Haec autem satis sint de castro praetorio dicta, nunc ad Ti. Claudium Augustum reuertamur, qui primus post Augustum pomerii terminos protulit

De iis, qui poſt Auguſtum pomerium urbis adauxerunt

Claudius enim admiſſo intra pomerium Auentino monte, urbis ambitum auxit, quo tempore portam Trigeminam, eò ubi nunc eſt translatam fuiſſe exiſtimo, quum prius nõ longe ab aede S. Mariae Scholae Graecae fuiſſet. Ceterum Claudium imperatorem urbis circuitum propagaſſe, teſtantur antiqua tàm lapidum, quàm librorum monumenta. In lapide Tiburtino antiquo effoſſo prope cloacam S. Luciae, eſt eiuſmodi inſcriptio

TI. CLAVDIVS
DRVSI . F . CAISAR
AVG . GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII
CENSOR . P . P
AVCTIS. POPVLI. ROMANI
FINIBVS . POMERIVM
AMPLIAℲIT. TERMINAℲITQ

Item in tabula aenea baſilicae Lateranenſis, in qua imp. Caeſaris Veſpaſiani Auguſti priuilegia ei a ſenatu conlata continentur

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE
PROMOVERE. CVM. EX. REPVBLICA. CENSEBIT
ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT
TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO

Cor-

Cornelius uero Tacitus libro XII. Pomerium urbis (inquit) auxit Claudius Caesar more prisco, quo ijs qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Et quos tũ Claudius terminos posuerit facile cognitu, & publicis actis perscriptum. Gellius quoque libro XIII. cap. XIIII. ait: Sed de Auentino monte praetermittendum non putaui, quod non pridem ego in Elidis grammatici ueteris commentario offendi. In quo scriptum erat: Auentinum antea sicut diximus extra pomerium exclusum, post auctore diuo Claudio receptum, & intra pomerij fines obseruatum. Quos uero terminos Claudius posuerit nusquam inueni. Quum igitur tot pomerij prolationibus, urbs adeo aucta sit, uerum demum erit, quod libro III. cap. V. refert Plinius: Moenia (inquit) urbis collegere ambitu, imperatoribus, censoribusque Vespasianis, anno conditae DCCCXXIIX. passuum XIII. ∞ CC. (quae mensura stadijs plus minus X. hac nostri temporis maior est.) Complexa montes VII. ipsa diuiditur in regiones XIIII. Compita earum CCLXV. eiusdem spatij mensura currente à miliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, quae hodie numero sunt XXXIIII. alias XXIIII. ita ut XII. portae semel numerentur, praetereanturq; ex ueteribus VII. quae esse desierunt; efficit passuum per directum XXX ∞ DCCLXV. ad extrema uero tectorum cum castris praetorijs ab eodem miliario per uicos omniũ uiarũ mensura colligit paulo amplius LXX ∞ passuum. Quò si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto aestimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Pomerij autem terminos non nisi augurum consilio poni, mutari, ac restitui potuisse satis constat, innuitque haec inscriptio

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP . CAESARE. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
DIVI. NERVAE. NEPOTE
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB
POT. V. COS. III. PROCOS
TERMINOS . POMERII
RESTITVENDOS. CVRAVIT

Post Claudium, imperatorem Neronem Ponto Polemoniaco, et alpibus Cottijs imperio populi Romani adiectis: & post eum Traianum Augustum Dacia in prouinciae formam redacta, pomerium urbis protulisse, auctor est in Aureliani imp. uita Fl. Vopiscus. Pomerio autem (inquit) nemini principum licet addere, nisi ei qui agri barbarici aliqua parte Romanam remp. locupletauerit; Addidit autem Augustus, addidit Traianus, addidit & Nero, sub quo Pontus Polemaniacus, & alpes Cottiae Romano nomini tributae. Quos autem fines Nero & Traianus posuerint, incertum. Post Traianum autem nullum Romanorum principum, usque ad Aurelianum pomerium protulisse legi, qui ut Fl. Vopiscus, Eutropius, & Zosimus libro primo auctores sunt, ex S. C. muros urbis Romae ampliauit. Iis actis (inquit Vopiscus) quum uideret posse fieri, ut aliquid tale iterum, quale sub Gallieno euenerat prouenire, adhibito consilio senatus muros urbis dilatauit, nec tamen pomerio addidit eo tempore, sed postea. Eutropius uero ait: Aurelianus muris ualidioribus, & laxioribus urbem sepsit: eos uero Zosimus ab Aureliano quidem imp. inchoatos, uerum ab eius successore

Tacito Augusto perfectos fuisse scribit. Aurelianum autem urbis moenia a porta Collina per collem hortulorum usque ad Tiberim, ut nunc uisuntur, campumque Martium deduxisse existimo, uetere paulatim labante disciplina, quae eum extra urbem esse uolebat: praesertim quum hoc neminem nec superiorum, nec posteriorum principum fecisse legatur; satisque constet diu ante Belisarij & Theoderici regis Gothorum tempora, eam murorum partem conditam fuisse. Nã quod Vopiscus dicere uidetur, Aurelianum muros urbis sic ampliasse, ut quinquaginta prope millia passuum eorum ambitus teneret, ingenue fateor me ignorare. Existimarem autem, uel in numeri nota mendum esse, uel ipsum errasse, nec quid diceret intellexisse: Fieri enim nullo modo posse arbitror, ut urbis ambitus L. passuum millia unquam fuerit, idque quibus mihi persuadeã rationibus, alio loco disseram. Hinc quidam Vopisci uerbis, uel ueris, uel deprauatis, tanquam oraculo Pythio fidem adhibentes, dum eum uera scripsisse contendunt, leuia quaedam et puerilia afferunt. Alius enim more iurisconsultorum, urbis nomen accipi debere censet, alius usque ad primam portam urbis ambitum adauctum fuisse existimat, alij alia dicunt, quae an uera sint, uel uerosimilia doctioribus uiris iudicãda relinquo. Tametsi scribat Tranquillus, Neronem Ostia tenus urbis moenia promouere, atq; inde fossa mare urbi inducere uoluisse; sed facile est loqui Nero, difficile praestare quae loqueris. De urbis uero magnitudine Aristides Smyrnaeus in panegyrico de eius laudib. ait: Descendit haec usque ad mare, ubi commune emporium, communisque omnium, quae terra proueniunt dispensatio. Q acunque in parte eius urbis constiterit quis, nihil prohibet, quo minus sit pariter & in medio. & infra: Quicquid nunc Italiae restat, completum iri uniuersa mihi uidetur, unaque futura urbs perpetua in Ionium mare protensa. Haec Aristides.

ſtides. Quem tamen de ſuburbijs urbis, non dè ambitu murorum intelligas oportet, quandoquidem feratur uiam Flaminiam totam ab urbe Ocriculum uſque aedificijs ex utraque parte plenam fuiſſe: Itidẽ de Oſtienſi uia Oſtia uſque dicatur. Hinc eſt, quod Dionyſius ait, ſi quis uelit Romae magnitudinem exquirere, nullum habebit certum ſignum, quo cognoſcatur, quouſque ſit haec urbs progreſſa, aut unde non eſſe amplius urbs incipiat. Poſt Aureliani tempora Conſtantinus imperator, diruto caſtro praetorio, ea qua diximus ratione urbis ambitum latiorem fecit. Qui non longe poſt translato in Thraciam populi Romani imperio, uiribus, & fortuna, urbem ipſam barbarorum ſaeuitiae expoſuit, adeo ut muri eius partim uetuſtate, partim barbarorum ui & iniuria ſaepe multis in locis diſiecti fuerint, & demoliti, a poſterioribusq; principibus ſaepe reſtituti; inter quos ipſa urbis moenia uetuſtate diſrupta inſtaurarunt, poſt Aurelianum, Arcadius, & Honorius imperatores Theodoſij Auguſti filij, ut indicat eiuſmodi inſcriptio Tiburtino lapide ſuper portam Portuenſem inciſa, quam proxima pagina, quo integram eam, & non conciſam uno aſpectu ſubijcerem, exaraui. In qua quamquam Flaui Stiliconis nomen ita erraſum ſit, ut uix cognoſci queat, id tamen ex his quae ſuperſunt litterarum fragmentis accurate reſtitui

S . P . Q . R
IMPP. CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS
PRINCIPIBVS. ARCADIO. ET. HONORIO
VICTORIBVS. AC. TRIVMFATORIBVS
SEMPER. AVGG
OB. INSTAVRATOS. VRBI. AETERNAE
MVROS. PORTAS. AC. TVRRES. EGGESTIS
INMENSIS. RVDERIBVS. EX. SVGGESTIONE
V.C. ET. INLVSTRIS
MILITIS. ET. MAGISTRI. VTRIVSQ. MILITIAE
FL. STILICONIS. AD. PERPETVITATEM
NOMINIS. EORVM. SIMVLACHRA
CONSTITVIT
CVRANTE. FL. MACROBIO. LONGINIANO
V. C. PRAEF. VRBIS. D. N. M. Q. EORVM

Post Arcadium, & Honorium moenia urbis partim a barbaris Gothis, & Vandilis, Alarico, & Genserico regibus, partim uetustate consumpta, instaurata sunt Theoderici regis Gothorum tempore, posteaquam totius Italiae principatum, occiso Odouacre Herulo tyranno, a Zenone imp. adeptus est: ut auctor est in epistolis Caßiodorus, qui S. P. Q. R. tradit Theodericum Gothorum regem quum Romae & in Italia imperaret, rogasse, ut marmora amphitheatri dißipata, ac iacentia, sibi ad muros urbis, partim uetustate collapsos, partim a barbaris disiectos, instaurandos concederet, idque facile obtinuisse. Post Theodericum magnam murorum urbis partem quae a Vitige primo dißipata, mox ab eius successore Totila Gothorum regibus bello Gothico Italico omnino euersa fuerat, restaurarunt Belisarius, & Narses VV.CC. patricij, & Iustiniani imp.

in

in Italia contra Gothos copiarum praefecti, ut auctor est Procopius Caesariensis, qui per ea tempora uixit, atque Belisarij a secretis fuit, in ijs libris quos de bello Gothico Italico scriptos reliquit. Libro enim III. Quibus (inquit) cognitis Totilas, Romam in primis ad solum prosternere decernit, & maiore exercitus parte ibidem relicta, cum reliqua aduersus Ioannem in Lucanos contendere. Sed muri tantum, & diuersis in locis hic diruit, quantum totius partem esse hanc tertiam, coniectura quis consequi poterit &c. & non longe post: Belisarius interim audacißimum aggreditur facinus, quod ferme tunc primum spectantibus, & audientibus multis, furentis est uisum non sani hominis esse, quum alias tamen egregium & excellentius esset. Paucis namq; in Portus custodiam relictis militibus, ipse cum ceteris Romam peruenit. Hanc enim animo destinarat omni conatu in potestatẽ redigere, a Gothis muris euersis, relictam. Quum itaque minime posset eam moenium partem quã Totilas diruerat, breui instaurare, lapides qui in proximo erant, in unum coaceruatos nullo ordine componebat, nec ulla prorsus, intermixtos materia, ut cui cementi nil praesto esset, nec eiusmodi aliud quidpiam, sed id duntaxat efficere nitebatur, ut aedificij saltem facies seruaretur. Exteriori uero parte ingentem uim sudium fixit. Ad haec accedebat, quod fossam, & hanc quidem profundiorem circa muros produxerat, unde totius exercitus incredibili promptitudine operantis, per dies cõtinuos XV. quod muri fuerat per Totilam disturbatum reficetur. Romani praeterea, qui circumiecta urbi incolerent loca in patriam reduces cogebantur, desiderio partim Romam rursum inhabitandi, partim rerum necessariarum inopia, cum omnium in urbe copiam inuenissent, quam Belisarius completis omni commeatum genere nauibus, & in urbem inuectis iam fecerat. Totilas interim his auditis profectus statim cum uniuer

so

so exercitu aduersus Belisarium ad urbem peruenit. Nondum enim Belisarius poterat, ut muris reficiendis intentus, prae opifi cum raritate, portis seras imponere. Belisarius interim foribus ubique ad portas impositis ferro contectis, claues iterato impe ratori transmisit. Haec Procopius: Quae postea moenia, bel- lo Gothico per Narsem finem imposito, ab eodem Narse addi- to cemento & calce ijs locis, quibus ea Belisarius primo statue rat, commode postea firmata. Anienis pontes a Gothis disie- ctos restituit. &c.

A condita autem urbe usque ad Belisarij tempora, semper urbs ampliorem murorum ambitum, nouo adiecto pomerio ad quisiuit, nec unquam muri restituti sunt, quin uel superioribus ampliores, uel saltem aequales redderentur. In ea uero murorũ quae a Belisario facta est restitutione, urbis circuitus ita distor tus, & incomptus factus est, ut nunc conspicimus; nam etsi tot pomerij prolationibus urbs antea aucta fuerit, ut ex forma fe- re circulari & pulcherrima, ad aliam satis distortam, Martio campo, castro praetorio, & monte Auentino additis, reddita es set, murorum tamen compago, ambitus, & ordo, semper appo- site ornateque extructa fuerunt. Quum autem tertia eius mu- rorum pars hinc inde a Totila euersa fuisset, ut superius ex Pro copio accepimus, atque discedentibus Gothis a Belisario rece- pta urbs fuisset, ipse eam murorum disiectorum a Gothis par- tem restituere aggressus est. In qua restitutione, antiquae mu- rorum concinnitatis & elegantiae, ueterisque pomerij ratio- nem habere non potuit ob temporis celeritatem; Totilam enim denuo cum ingenti exercitu ad urbem uenientem uerebatur; Quare inter ipsam murorum instaurationem modo maiorem, modo minorem orbem, quàm antiquus fuerat, prout occasio aliqua antiqua aedificia amplectendi se se offerebat, fecit. Intra eos enim urbis muros tumultuario opere a se excitatos, palatia,

me-

metas,amphitheatra,aquarū castella,aquaeductus, et alia pleraque publica antiqua aedificia, non longe ab antiquo pomerio, intus extraque existentia, quò celerius muros perficeret inclusit, antiquumque pomerij ordinem necessitate belli coactus turbauit, quod nunc adhuc extra portas Populi, Maiorem, S. Sebastiani, & S. Paulli uideri potest, ex quibus porta Maior olim erat aquaeductus forma, S. Sebastiani uero aquae castellū. Ita quoque amphitheatrum castrense prope S. Crucem in Hierusalem, sepulchrum C. Cestij pyramidis specie, aliquot aquaeductuum formae, & alia similia uisuntur murorum compagini insita. Ita ut noster murorum urbis ambitus, aliquot locis antiquo maior, aliquot uero minor, aliquot autem antiquis adhuc fundamentis situs credi posit. Quam sententiam confirmant uariae atque diuersae murorum species, quibus conditi sunt, alicubi enim opere reticulato, alicubi lapidibus quadratis, alibi lateritia strue, alibi muro arcuato, alibi alia ratione fabricati uidentur. Omnino autem hunc murorum urbis circuitum paulo minorem eo esse existimo, qui ante Belisarij tempora fuit, & praesertim a muro castri praetorij ad Tiberim usque uersus portam Ostiensem

Post Belisarij & Narsis tempora, murorum urbis circuitum motum non fuisse creditur, & si saepißime a uarijs pontificibus Romanis, aut uetustate, aut barbarorum uì distectum renouatum fuisse constat. Inter quos Gregorius secundus, & Hadrianus primus ambo Romani, pontifices maximi, magnam urbis murorum, propugnaculorum, & portarum partem refecerunt, ut auctor est Anastasius Bibliothecarius in eius uitis. Leo uero IIII. patria item Romanus XV. nouas turres urbis muris adiecit, ex quibus una adhuc sub Ianiculo ad Tiberis ripam erecta in murorum urbis fine conspicitur, e regione cuius sub Auentino alteram quoque erexerat, quae uetustate delapsa

lapsa est. quibus Sarracenorum, aliorumque piratarum & praedonum, per Tiberim subeuntium uis arceri poßet. Eam quoque urbis partem, ubi in colle Vaticano sita est basilica principis apostolorum Petri, muro ueteri, qui circa Hadriani molem & S. Spiritus Xenodochium tantum protendebatur, producto, urbis moenibus inclusit, urbemq; Leoninianā de suo nomine appellauit: quam Corsis a Sarracenis patrijs sedibus pulsis habitandam tradidit. Eam autem ideo muro cinxit, ut Sarracenorum incursiones, qui eo tempore Italiam omnem uexabant, euitaret, qui basilicā ipsam, eo interregno, quod ante eius creationem fuerat, captam, omnibus ornamentis spoliauerant. Vrbanus V. Nicolaus V. & Alexander VI. Romani pontifices, urbis Leoninianae, quā nunc Burgum uocamus, muros uetustate dilabentes restituerunt, ut eorum insignia ijs affixa testātur. Primus Romanorū pontificū Bonifacius IX. pont. max. Hadriani molem muniuit, atque ea pro arce ad pontificum custodiam usus est. Quam Alexander VI. additis latioribus muris, & propugnaculis, fossaque & aggeribus tutiorem reddidit. Nouißime Paullus Papa IIII. additis amplioribus propugnaculis, prope inexpugnabilem fecit. Qua ratione autem, uel forma fuerint ueteres urbis muri circa molem Hadriani, inferius quum de portis Triumphali & Aurelia loquar, quae ijs locis erant, differam. Porro post Leonem papam IIII. uarijs temporibus urbis muros hinc inde uetustate dilabentes, refici curarunt Martinus V. Nicolaus V. Pius II. Paullus II. Xystus IIII. Alexander VI. & plerique alij Romani pontifices. Nouum murorum urbis ambitum, & quidem sumptuosißimum aetate nostra aliquot locis, sed praecipue prope Auentinum montem, & S. Spiritus aedem inchoauit Paullus papa III. Farnesius Romanus, ingentis animi, & spiritus pontifex, uerum eum uix inchoatum imperfectum reliquit. Nouißime Paullus IIII.

pont. max. additis per totam urbem terreis propugnaculis, & aggeribus, urbem proximo bello muniuit

Vrbis moenia aetate nostra uix XIIII. *millibus passuum complectuntur. Turres habent uel integras, uel semifractas* CCCLXVII. *portas* XX. *ex quibus* XIII. *sunt urbis* Ro*mae.*VII. *Vrbis* L*eonianae, quae nostro tempore* B*urgus* S. Pe*tri appellatur, pontificum* R*omanorum perpetua sede, & toto orbe augustissima, atque celebratissima principis Apostolorum* P*etri basilica clarus. Atq; hactenus de urbis pomerio*

Breuis epilogus omnium, quae de urbis pomerio dicta sunt

Vrbis R*omae fundamenta auspicato a* R*omulo iacta sunt* P*arilibus, ante diem* XI. *Kal. Maij. sextae olympiadis anno tertio. Ex quo tempore, hoc die, qui est* K*al. Iuli. Anno à partu uirginis* ∞ DLVIII. *agitur annus urbis conditae* ∞ ∞ CCCX. *Ex proximo* XI. *Kalend. Maij die inchoatus*

Romulus Siluius rex primus urbẽ quadratam in monte Palatino condidit. Montes Saturnium, post Tarpeium, qui & Capitolinus dictus est, ac Quirinalem additis praesidijs muniuit, non tamen urbis pomerio inclusit

T. Tatius Sabinorum rex, qui Romae cum Romulo regnauit, ueteris urbis pomerio Tarpeium montem adiunxit; quem Sabinis qui secum Romam commigrauerant habitandum dedit, ipseque habitauit. Quirinalem quoque addita custodia firmauit

Romulus uero post Capitolium urbis pomerio adiunctum, eumque T. Tatio cum Quirinali concessum, Coelium montem Palatio uicinum militum praesidio adposito muniuit

Numa Pompilius Pomponis F. rex secund. si Dionysio Halicar-

licarnasseo credere uolumus, Quirinalem collem urbis circuitu inclusit

Tullius Hostilius Hosti F. rex tertius, Alba lõga diruta, Albanisque in ciuitatem receptis, montem Coelium, quem pomerio addidit, colendum aßignauit. Quem montem pomerio inclusisse Ancum Marcium regem, Strabo; uel L. Tarquinium Priscum Tacitus produnt

Ancus Marcius Numae filius rex quartus, Politorio Latinorum urbe excisa, Latinisque in ciuitatem adscitis, montem Auentinum habitandum conceßit, quem tamen tanquam ominosum urbis pomerio non inclusit

Idem rex fossas circũ urbem fecit, quae Quiritium appellatae sunt; Ianiculum, quem facto super Tiberim ponte Sublicio, muro cinxerat, urbi addidit

L. Tarquinius Damarati filius Priscus rex quintus, urbis muros ruderibus uilibusque structuris ad eam diem aedificatos, primus coepit saxis magnis Albano, Tiburtino, & Praenestino ad regulam formatis extruere, quos Ser. Tullius rex perfecit

Ser. Tullius Ser. F. rex sextus Esquilias, Quirinalem, & Viminalem mõtes urbis pomerio adiunxit, Romam aggere, foßis, & muro lapideo circumdedit

L. Tarquinius L. F. Superbus rex VII. immenso ab oriente aggere addito, Romam tutiorem fecit

L. Cornelius L. F. P. N. Sulla Felix dictator primus post reges urbis pomerium protulit

C. Iulius C. F. C. N. Caesar dictator } urbis ambitum adauxerunt
Imp. Caesar diui F. C. N. Augustus }

Ti. Iulius diui Augusti filius, diui nepos Caesar Augustus castra praetoria urbis muris inter portas Viminalem, & Gabiusam, alias Tiburtinam adiunxit

Ti. Claudius Drusi F. Caesar Augustus Germanicus Auentinum montem urbis pomerio inclusit

Nero Claudius Caesar Augustus Germanic. } Vrbis pomerium protulere
Imp. Caesar Nerua Traianus Augustus }

Imp. Caesar L. Domitius Aurelianus Augustus murorum urbis ambitum, campo Martio incluso ampliauit

Imp. Caesar Fl. Constãtinus Maximus Augustus, castro praetorio exciso, urbis ambitum ampliorem fecit

Impp. Caesares Flaui Arcadius & Honorius Augusti, muros urbis uetustate dilabentes restituerunt

S.P.Q.R. urbis moenia temporum iniuria collabentia ex auctoritate regis Italiae Theoderici Amali refecit

Fl. Belisarius patricius V.C. sub imp. Iustiniano Augusto, tertiam murorum urbis partem, bello Gothico a Totila rege disiectam, refecit

Fl. Narses V.C. Vrbis moenia uetustate et ruinis quassata, sub Iustiniano, & Iustino iuniore Augustis, quorum in Italia exactis Gothis praefectus fuit, firmauit

Gregorius II. } Pontifices maximi, muros urbis temporis diuturnitate consumptos, additis turribus restituerunt
Hadrianus I. }

Leo papa IIII. moenia urbis refecit, XV. turres addidit, Vaticanum montem, in quo sita est basilica principis Apostolorũ, aucto murorum ambitu cinxit. Quos postea temporis iniuria conlabentes uarijs temporibus sua impensa restituerunt

Vrbanus V. & } Pontifices maximi
Nicolaus V. }

Martinus V.
Nicolaus V.
Pius II.
Paullus II.
Xystus IIII.
Alexander VI.

Pontifices maximi urbis moenia hinc inde conlabentia restituerunt

Paullus III. *pontifex maximus nouum murorum urbis ambitum inchoauit, quem imperfectum reliquit*

Nouißime Paullus papa IIII. *additis tota urbe aggeribus, terreisque propugnaculis Romam muniuit*

Bonifacius IX. *pontifex maximus primus mole Hadriani munita, Romanorum pontificum ditionem stabiliuit. Quam postea*

Alexāder VI. *pontifex maximus additis fossa, aggeribus, latioribusque propugnaculis tutiorem fecit. Postremo proximo anno Paullus* IIII. *pont. maximus additis amplioribus propugnaculis tutißimam reddidit*

De portis & uijs Romanis. Et primo de portis vrbis Romuli

Vrbem (inquit) Plinius libro III. *cap.* V. *treis portas habentem Romulus reliquit, aut (ut plurimas tradentibus credamus) quattuor. Qui tamen earum nec locum, nec nomina ponit; quae ego ex Varrone, Sex. Pompeio, & alijs antiquis scriptoribus, coniecturisque aliquot explicare conabor. Primam igitur fuisse existimo portam Mucionis dictam; de qua sic Varro libro* IIII. *mentionem facit: Praeterea intra muros uideo portas dici, in Palatio Mucionis a mugitu, quod ea pecus in Bucitatum antiquum oppidum exigebant. Hanc etiam fuiße crediderim, quam Verrius Flaccus Trigoniam dixit, a tribus*

angulis cognominatam. Quam in urbe Romuli uersus arcum Titi Caesaris fuisse, ex loco Dionysij liquet, & ex aliarum descriptione manifestũ erit. Dionysius enim lib. II: Ioui quidẽ Statori Romulus templum dedicauit, apud portam Mucionis uocatam, qua in Palatium ex sacra uia itur. &c. Altera Palatij porta fuit nomine Romanula, de qua sic Varro: Alteram Romanulã, quae est dicta ab Roma, quae habet gradus in naualia ad Volupiae sacellũ. Et a Sex. Pompeio Romana appellatur: Romanam (inquit) portam uulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua, qui locus ab antiquis appellari solitus ẽ statuae Cinciae, quod in eo fuit sepulchrum eius familiae. Sed porta Romana instituta est a Romulo in infimo cliuo Victoriae, qui locus gradibus in quadraturam formatus est; appellata autem Romana a Sabinis praecipue, quod ea proximus aditus erat Romam. Hanc autem ex hoc loco ea urbis parte fuisse oporteret, qua nunc Titi arcus est, quo in Sabinos iter erat. Tamen Dionysij & Varronis uerba accurate consideranda sunt, quibus etiam magis credendum est; qui hanc portam, (si modo ea est, quam Sex. Pompeius Romanam uocat) gradus in naualia habuisse scribunt; quae Tiberim uersus, & non amphitheatrum erant: Atque eam alio loco, prope Velabrum fuisse affirmat Varro ijs uerbis: Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in nouam uiam exitur, ut aiunt quidam, ad sepulchrum Accae: qui locus extra urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula, de qua in priore libro dixi. Hoc autem peritis antiquarijs discutiendum relinquo, satis mihi sit, controuersias scriptorum annotasse. Tertia porro Palatij porta forum uersus Ianualis appellata fuit. De qua sic Varro: Tertia est Ianualis dicta ab Iano: & ideo ibi positum Iani signum, & ius institutum a Numa Pompilio, ut scribit in annalibus L. Piso, ut sit clausa semper, nisi quum bellum sit. Nusquam enim traditum

est

est memoriae fuisse apertam: & post T. Manlio cos. bello Carthaginiensi confecto, & eodem anno apertam. Haec Varro. Quam quidem caerimoniam prius in urbis porta obseruatam fuisse arbitror, post ampliato pomerio, portaque loco mota, id institutum fuit, ut in portis templi Iani, quod uicinum huic portae erat, obseruaretur. Hoc autem manifeste ex nummis aereis Neronis, Dione, & Procopio colligitur. Haec autem porta in foro Romano erat, appellaturque a Liuio libro primo, porta uetus Palatij, ijs uerbis: Vt Hostius cecidit, confestim Romana inclinatur acies (erant autem in foro) fusaque est ad ueterem portam Palatij. &c. Quo nomine etiam in Fastis ab Ouidio appellatur. De hac loqui puto Macrobium in libris Saturnalium, quum ait: Quum bello Sabinorum, quod uirginum raptarum gratia commissum est, Romani portam quae sub radicibus collis Viminalis erat, claudere festinarent, quia in ipsam hostes inruebant, postquam est clausa, mox sponte patefacta est. Quumque iterum, ac tertio idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt; quumque ex alia parte acerrimo proelio certaretur, subito fama pertulit, fusos a Tatio nostros, quam ob caussam Romani, qui tuebantur territi profugerunt. Quumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex Iani aede per hãc portam, magnam uim torrentium undis scatentibus erupiße, multasque perduellium cateruas, aut exustas feruenti aqua, aut deuoratas rapida uoragine deperijsse, ea re placitum ut belli tempore, ueluti ad urbis auxilium profecto deo, fores reserarentur. Piso etiam in annalibus memoriae prodidit, Ianualem dictam ab Iano, & ideo ibi positum Iani signum, & ius institutum a Numa Pompilio, ut esset semper clausa, nisi quum bellum foret. &c. Quod autem sub Viminalis collis radicibus fuisse scribit, non intelligo: magis Varroni aßentior, qui eam Palatij portam,

tam prodit, non Viminalis.

Has autem treis portas fuisse ex Varrone ipso liquet, quae primis muris urbis Romuli fuerunt, ab eodem institutae. Qui numerus in urbe adhuc parua publico usui satisfacere posse uidebatur. Portas Pandanam, Mugionam, & Carmentalem a primo Romuli murorum ambitu, ex Varronis sententia exclusi. Sabinis autem cum eorum rege T. Tatio in ciuitatem a Romulo adscitis, quum aucto pomerio, Capitolium urbi inclusum fuisset, quartam demum sub Romulo portam urbi additam fuisse constat; quae Carmentalis nuncupata fuit: atque hac ratione tolli poterit contradictio inter eos auctores, qui a Plinio citantur de urbis Romuli portis, quum alij de primo, alij de posteriore Romuli pomerio loquantur. Carmentalis autem porta ab Euandri matre Carmenta nominata, sub Capitolio sita fuit, inter saxum Tarpeium, et Tiberim, uersus circum Flaminium. Quod his uerbis declarat Liuius lib. XXVII. Ab aede Apollinis boues foeminae duae albae, porta Carmentali in urbem ductae. Post eas duo signa cupressea Iunonis reginae portabantur. A porta Iugario uico in forum uenere. &c. Iugarius autem uicus ea Capitolij parte erat. De ea Virgilius

Et carmentalem Romano nomine portã. Plutarchus in uita Camilli. Ad Carmentalem (inquit) portam Pontius contendit, ut quid ageretur per silentium specularetur, nam huic maxime directo Capitolium incumbit. Et Solinus: Pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentae fuit, ubi & Carmentale fanum nunc est, a quo Carmentalis portae nomen est. Eadem ratione Sex. Pompeius, qui templum aliud Iani fuisse extra portam Carmentalem prodit. Haec postea (ut inquit idem Sex. Pomp.) Scelerata porta dicta est, quod per eam sex & trecenti Fabij, cum clientium millibus quinque egressi, aduersus Etruscos ad amnem Cremeram omnes sunt interfecti.

Vnde Ouidius in Fastis

Carmentis portae dextro est uia proxima Iano
Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet
Illa fama refert, Fabios exisse trecentos
Porta uacat culpa, sed tamen omen habet &c.

Haec ab alijs Tarpeia, & Veientina solet appellari. Atq; hacte nus de portis urbis, quam Romulus decedens reliquit

De reliquis vrbis Romæ portis

Tẽporis ratio exigere uidebatur, ut expleto de portis urbis Romuli sermone, de reliquis deinceps uerba facerẽ; quae singil latim post eum diuersis tẽporibus, singuloq; pomerij auctu adie ctae sunt, perinde ac feci de ijs qui pomerium protulerunt, usq; ad nouißima tempora. Quod quum ob rei difficultatem, atque ignorationem, me omnino facere poße diffiderem, commodißi= mum mihi, lectoribusque fore existimaui, si de portis quae nunc in urbis moenibus sunt, primo differerem, et postea ad antiqui= ores deuenirem. Quum quod ante millesimum annum ijsdem in locis fuerint, tum etiam quod ijs quae modo supersunt portis cognitis, facilius in ueterum, uetustißimarumque urbis porta= rum notitiam deuenire poterimus. Quae & si ijsdem in locis, quibus antiquißimae primo, mox recentiores portae fuerunt, non sint; ijsdem tamen uijs incumbunt, atque non multum ab antiquo situ distant, rectaque eo deducunt, quo & antiquae portae. Procopius itaque Caesariensis libro primo de bello Gothico, quem ante mille annos scripsit XIIII. portas suo tẽ= pore urbem Romam habuiße ijs uerbis docet: Habet autem circumiectus urbi murus portas. XIIII. portulasq; alias quas= dam, unde & Gothi quum minime possent, cum uniuerso exer= citu longiorem moenium ambitum circumplecti, senis positis

ca

castris portarum intercapedines infestabat. Quae omnes praeter unam tantum Aureliam, quae urbi Leonianae inclusa est, adhuc ijsdem fere nominibus supersunt. De quibus uerba facturus, aliorum scriptorum exemplo, a porta Flumentana Tiberi uicina, atque ea parte in ordine prima, initium sumam

De porta Flumentana, alias Flaminia

Prima post Tiberim in ordine portarum urbis est porta antiquitus Flumentana, postea Flaminia, nunc Populi dicta. Cuius sic meminit Sex. Pompeius: Flumentana (inquit) porta, Romae appellata, quod Tiberis partem ea fluxisse affirmant, Haec antiquitus: nõ eo loco erat, quo nostra aetate ẽ porta Populi, alioqui Martius campus intra pomerium fuisset clusus, quod dicere absurdum est. Erat igitur ad Tiberis ripam, circa loca ubi nunc sunt ades Farnesiorum, uel haud longe a campo Florae, ad Tiberis ripam, e regione murorum, quos Ancus rex in Ianiculo erexerat; Vnde Liuius: Tiberis (inquit) infestiore quam prius impetu illatus urbi, duos pontes, aedificia multa, maxime circa portam Flumentanam euertit. Extra quam portam lucum Petilinum fuisse testatur idem, ijs uerbis: Ita praedicta die in Petilinum lucum, extra portam Flumentanam, unde conspectus in Capitolium non est, concilium populi indictum. Hanc autem eo loco ubi nunc est, transtulisse credo Aurelianũ, quãdo ea parte urbis moenia propagauit, quae postea a uia Flaminia nomen obtinuit. De ea Procopius sic scribit: Inter portam nãq; Flaminiam & Praenestinam cis Tiberim, castra una locauerant. Et alibi: Belisarius Praenestinam portam Beßae tradiderat custodiendam, Flaminiae Cõstantianum praefecerat, quae tamen prius impositis foribus, et ingentium lapidum mole inaedificata, ita obstruxerat, ut uix ullo molimine aperiri

per

per quempiam poſſet, ueritus maxime ne ex tam propinquis hoſtium caſtris, ea inſidiae fierent, ceteras portas peditum ducibus cuſtodiendas permiſit. Et non longe poſt: Nec portam quidem Flaminiam Gothei tentarunt, ut loco praecipiti ſitam, atque adeo ut adiri non facile queat. Haec porta nunc uiae Flaminiae, a qua (ut dixi) nomen obtinuit, impoſita eſt

De vijs Romanis extra vrbem

Maximam priſcis temporibus ſenatus diligentiam, in faciēdis, ſarciendisque uijs tam intra, quam extra urbem fuiſſe cōſtat. Nulla enim gens unquam fuit, quae publicae ciuium commoditatis, urbisque ornamenti ſtudioſior extiterit, quam Romana. Hinc tot uiae, templa, aedes, delubra, circi, theatra, amphitheatra, fora, baſilicae, aquae, pontes, thermae, lacus, balinea, piſtrina, & alia ſine numero publica aedificia. Optimis enim reipublicae temporibus, quibus maximus paupertati, parſimoniaeque honos extitit, ueteres illi Romani, non priuatæ rei augendæ, ſed publico decori, ciuiumq; commodis mirū in modum ſtuduere. Quare inter cetera praeclari exempli geſta, reique publicae utillima ab eis excogitata, fuit uiarum tota Italia ſtratarum magnificentia; quarum potiſſimum rationem ſemper habuere. Vnde merito Dionyſius tria in Romanis fabricis admirabatur; aquae ductus, uias, & cloacas. Quibus uel faciendis, uel ſarciendis nobiliſſimos primariosque ciues praepoſuere. Porro autem uiarum curandarum munus primo cenſoribus a ſenatu cōmiſſum fuit. Deinde quum cenſores alijs rebus pro officio occupati, huic muneri ſolicite uacare nequirent; ex S. C. magiſtratus alius ſpeciatim ob eam cauſſam craeatus eſt: Ii quattuor uiri uiarum curandarum uocabantur. Poſtremo creſcente uiarum numero, quum hi non ſufficerent, ſingu

singulis, uel duabus, aut tribus, pluribusque uijs restituendis sarciendisq;, pro ut temporis necessitas exigebat, singuli ciues praepositi fuerũt, qui curatores earum uiarum appellabantur. Quorum magistratus, quum prius incertus esset, nec nisi ad tẽpus crearẽtur, tandem eũ ordinarium fecit Caesar Augustus. Quae omnia antiquis monumentis ita fuisse disseram. Vias igitur. Sp̃. Postumio Albino Paullulo, & Q. Mucio Scaeuula cos. anno urbis DXXC. Q. Fuluium Flaccum, & A. Postumiũ Albinus censores sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substruendas, marginandasq; primos omnium locauisse auctor est T. Liuius libro XLI. Postea autem, tam extra quam intra urbem, silice stratas fuisse, earum quae adhuc tota Italia supersunt uestigia indicant. De quibus Procopius libro primo belli Gothici, loquens, de uia Appia, ita disserit: Appius siquidem ex alia & lõginqua tunc regione (ut reor) excisos lapides, & hos quidem siliceos, & suapte natura durissimos, in hanc uiam uehendos curauit. Quos complanatos, & leues postea redditos, quadratosque circuncidendo factos, inuicem collocauit, metalli nihil, uel rei alterius interserendo. Sunt autem ita connexi, & inter se tam ualide condensati, ut speciem prae se ferant uisentibus, non compositos esse, sed natura sic editos; & quãuis diuturno hi tempore atterrantur, plaustrisque frequentibus, & quibusuis animantibus continenter peruij sint, suo tamen ex nexu ne parumper quidem discedunt, uel comminuti frãguntur, nec sui quicquam amittunt nitoris, &cet. Ad cuius postea formam, ijsdem lapidibus siliceis ceterae quoque uiae stratae fuerunt. Quidam porro referunt duos se montes in Campania uidisse: ex quibus saxa illa coloris duritieique ferreæ excindi essent solita, alterum prope Suessam, alterum ad mare inter Puteolos & Neapolim: qui silices lati sunt quaque uersus ternos, quaternos, & aliquando quinos pedes. Ve-

teres

teres autem uias, C. Gracchum certis regionibus direxiſſe, & paſſim lapide ſtrauiſſe, partimque muniuiſſe, aggeribus iniqua adaequando & quantum ualles torrenteſque abrumpebant, pontibus aequali altitudine cõiungẽdo, tradit Plutarchus. Qui Gracchus dimenſo quoque uiarum ſpacio, ſingulis interuallis columnas lapideas ſignum milliariorum praeſeferentes, conſtituit. Hinc origo manauit pro tertio, uel quarto milliario tertio uel quarto ab urbe lapide dicendi. Pomponius Tit. II. de origine iuris; poſt creationem duorum praetorum urbani uidelicet & peregrini: Conſtituti ſunt (inquit) eodem tempore & quattuor uiri, qui curam uiarum agerent. Quorum in antiquis inſcriptionibus frequens mentio eſt ita

CN. DOMITIO. SEX. F
AFRO. TITIO. MARCELLO
CVRINO. LVCANO
COS. PRO. COS. PROVINCIAE. AFRICAE
LEGATO. EIVSDEM. PROVINCIAE. T. VI
FRATRIS. SVI. SEPTEMVIRO. EPVLONVM
PRAETORI. LEGATO. PROVINCIAE. AFR
IMP. CAESAR. AVG. PRAEF. AVXILIORVM. OMNIVM
ADVERSVS. GERMANOS. DONATO. AB
IMP. VESPASIANO. AVG. ET. T. CAESARE. AVG. F. CORONIS
MVRALI. VALLARI. AVREIS. HASTIS. PVRIS. III.
VEXILLIS. II. ADLECTO. INTER. PATRICIOS. PRAETORI
TR. PL. QVAEST. PRO. PRAET. PROVINCIAE. AFRIC
MIL. LEG. V. CLAVD. IIII. VIR. VIARVM. CVRANDARVM
PATRONO

Item

. . . .
PRAED. CER. Q. PROVINC
CYPRI. PRO. PR
TRIB. MIL. LEG. II. AVGVST
IIII. VIRO. VIAR. CVRAND
PATRONO. COL
D. D. P

Item

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI . PARTHICI
FIL. DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB
POTEST . COS. II. P. P
IIII. VIR . VIAR
Q. TAMVDIVS. Q. F. PALAT
GRAIVS. VIENNA
L. AVRELIVS. L. F. OVF
TYRANNVS. INTERAMN
NAHAR. TI. IVLIVS. TI. F. STEL
VERECVNDIANVS. BONONIA
Q. TAMVDIVS. SEX. F. ARRIVS
REATE. FAC. CVR

Item

Item

CERERI . SACRVM
L . AP. . . . . . PAL . ET
P.STATIVS.P.F.PAL.AVRELIVS.II.VIR
CVRATORES
Q.LARONIVS.Q.F.HOR.QVADRATVS
L.MEMMIVS. SEX.F. PAL. PETRONIVS
L.MEMMIVS.L.F.PALAT.GALBIVS
MENSOR.ITER.HONOR. IN. CVR.FVNCT
IIII.VIR.VIAR

Item in antiquo epigrammate, quod Romae adhuc extat in hortis Gentilis Delphinij sine principio ita

. . . .
DACICVS.GENTEM.DACORVM.ET
REGEM.DECEBALVM.BELLO.SVPERAVIT
SVB.EODEM.DVCE.LEGATVS.PR.PR.AB
EODEM.DONATO.HASTIS.PVRIS.VIII
VEXILLIS.VIII. CORONIS.MVRALIBVS.II
VALLARIBVS.II. CLASSICIS.II.AVRATIS.II
LEG. PR. PR. PROVINC.BELGICAE.LEG.I
MINERVIAE.CANDIDATO.CAESARIS.IN
PRAETVRA.ET.IN.TRIBVNATV.PLEB
QVAESTORI.PROVINCIAE.ACHAIAE
IIII . VIRO . VIARVM . CVRANDARVM
HVIC.SENATVS.AVCTORE . IMP
TRAIANO . AVG . GERMANICO . DA-
CICO . TRIVMPHALIA . ORNAMENT
DECREVIT.STATVAMQ.PECVN.PVBLIC
PONEN.CENSVIT

Item

C.RVSTIVS.C.F.FLAVOS.ITER
L.OCTAVIVS.L.F.VITVLVS
IIII. VIR . D . S . S
VIAM.INTEGENDAM
CVRAVERE

De *curatoribus uero uiarum*, Cicero *epiſtola prima ad* Atticum, *meminit*: Thermus (*inquit*) *curator eſt uiae* Flaminiae, *quae quum erit abſoluta, ſane facile eum* Caeſari *conſulem addiderim*. Et Plinius *iunior, libro* V.*epiſtola ad* Pontiū; Receſſeram *in municipium, quum mihi nuntiatum eſt* Cornutum Tertullum *accepiſſe* Aemiliae *uiae curam*. Exprimere *non poſſum, quanto ſim gaudio affectus, & ipſius & meo nomine*. Quod *tamen munus prius non perpetuū fuiſſe crediderim, ſed temporaneum: quod* Tranquillus *in* Auguſti *uita cap*.XXXVII.*ita dicat*: Quoq; *plures partem adminiſtrandae reip.caperent*, Auguſtus *noua officia excogitauit, curam operum publicorum, uiarum, & aquarum, aluei* Tiberis, *ac cloacarum, frumenti populo diuidendi, præfecturam urbis, triumuiratum, legendi ſenatus, & alterum recognoſcendi turmas equitum, quotieſcunque opus eſſet*. Extantq; *eiuſmodi inſcriptiones*;

L.FABRICIVS.L.F.CVR.VIAR.FACIVNDVM.COERAVIT
IDEM.QVE.PROBAVIT
Q.LEPIDVS.M.F.M.LOLLIVS.M.F.COS
EX.S.C.PROBAVERVNT

L.AP-

item

L. APPVLEIVS
C.F. ANI.NIGER
II.VIR
CVRATOR.VIARVM
STERNENDARVM
PEDVM. DECEM
MILLIA. VIAM
SVA. PECVNIA
FECIT

Item

L.VARRONIO.L.F
PAL.CAPITONI
SCRIBAE. AEDILIC
ACCENSO.VELATO
II.VIRO.QVINQVENN
CVRATORI. VIARVM
PATRONO.COLONIAE
ORDO.REGALIVM
QVORVM.HONORE
CONTENTVS.SVA.PECVN
POSVIT.L.D.D.

Viarum autem quaedam extra urbẽ quaedam intra, initium habuerunt; ut Flaminia, Praeneſtina, Lauicana, Campana, Appia, & Ardeatina. Reliquae uero omnes ab ipſis portis incipiebant, atque extra urbem protendebantur. Nomina autem a uarijs caſibus ſortitae ſunt. Aliae enim ab auctoribus; ut Flaminia, Aemiliae duae, Caſsia, Clodia, uel Claudia, Annia, Augusta, Quinctia, Iunia, Sempronia, Valeriae duae, Appia, Numicia, tres Traianae, Vitellia, Aurelia, Cornelia, Domitiana,

Postumia, Flauia, Pompeia, & Domitia. Aliae ab urbibus ad quas deductae erant, ut Collatina, Numentana, Tiburtina, Gabina, Praenestina, Labicana, Laurentina, Setina, Ardeatina, Ostiensis, Portuensis, Amerina. Aliae a prouincijs, ut Campana, Ausonia, quae & Latia, uel Latina, Gallicana, & Gallica. Aliae a diuersis euentibus, ut Cimina, Salaria, Asinaria, Triumphalis, Tiberina, Sacra, Noua, Lata, Fornicata, Recta, Alta. Aliarum uero etymologiam ignoro, ut Patinariae, & Laticulensis. Quaedam autem ex ijs, tam latae fuerunt, & praesertim Appia, ut plaustra duo ex aduerso inuicem occurrentia caperent: tam longae, ut prouinciarum terminos attingerent. Primum (ut dixi) in urbe tantùm silice sternebantur, extra uero glarea, ut ex Tibullo quoque & Plinio constat; posterioribus uero temporibus omnes silicibus stratae sunt. Viarum autem nomina enumerabo ad rationem portarum, quibus perducuntur. Quod autem interdum inter se scriptores, de ijs loquentes discrepent, id accidit, quod non uno tempore omnes sint stratae, & una in alteram saepe exiguo, saepe longiore interuallo incidens, nomen alterius immutat

De via Flaminia

Via Flaminia, quae a porta Flumentana initium habuit, a C. Flaminio iterum cos. qui apud lacum Trasimenum cũ XV. Romanorum millibus, bello Punico secundo ab Hannibale caesus est, ex hostium Gallorum, de quibus triumphauit, manubijs, in censura, quam cum L. Paullo, anno urbis DXXXIII. gessit, strata fuit. Quam tamen Strabo contra Liuij, & Sex. Pompei, ac Caßiodori sententias, ab eius filio stratam fuisse scribit ijs uerbis: Eodem in consulatu M. Lepidus, & C. Flaminius collegae fuere, uictores autem Ligurum strauere, hic quidem Fla-

Flaminiam e Roma per Tuſciam,& Vmbriam,uſque Ariminũ; alter reliquam porro uſque Bononiam,& ex ea Aquileiã prope alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere. L. uero Florus ex Liuio in epitoma libri ab urbe condita XX. huius patrem fuiſſe ſcribit, quum ait: C. Flaminius cenſor, uiam Flaminiam muniuit, & circum Flaminium extruxit. Et Feſtus: Flaminius circus, & Flaminia uia a Flaminio cos. dicta ſunt, qui interſectus eſt ab Hannibale, ad lacum Traſimenum. Et Caßiodorus: L. Veturio,& C. Lutatio cos. qui fuit annus urbis DXXXIII. Via Flaminia munita, & circus factus, qui Flaminius appellatur. Fieri autem poteſt, ut a patre, inchoata, a filio uero perfecta fuerit, uel partem eius a patre & partem a filio factam. Quod indicare ijs uerbis uidetur lib. XXIX. Liuius. Liguribus domitis, Flaminius cos. pacem dedit finitimis, & quia a bello quieta ut eſſet prouincia, effecerat, ne in otio milites haberet, uiam a Bononia perduxit Arretium. &c. Huius curatorem Q. Marcium Thermum fuiſſe, refert Cicero epiſtola prima ad Atticum. Et Tranquillus in Augusti uita capite XXX. Quo autem facilius (inquit) undiq; urbs adiretur, deſumpta ſibi Flaminia uia Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus uiris ex manubiali pecunia ſternendas diſtribuit. Martialis libro X

Totaque Flaminia Roma uidenda uia

Huius uiae adhuc per Vmbriam,& inter Ocriculum, & Romam multa ueſtigia apparent. Crebra eius apud Cornelium Tacitum mentio eſt, qui Flaminiam uiam ponti Miluio impoſitam etiam ſcribit; de eadem quoque & uno ex eius curatoribus mentio eſt in inſcriptione hac antiqua Tarraconenſi

L. OVINIO. L. F. QVIR
RVSTICO. CORNELIANO
COS. DES. PRAET. INTER
TRIBVNICIOS. ADLECTO
CVRAT. VIAE. FLAMINIAE
LEG. LEG. VII. MYS. INFERIOR
CVRAT. VIAE. TIBVRTINAE
CVRAT. REIP. RICINENSIS
RVSTICA. OVINIA
CORNELIANA. FILIA
PATRI. PIENTISSIMO

In hac uia plurima cernuntur sepulchra, quae uetustate cō sumpta uix cognosci possunt. Hac uia ad nonum lapidem fuit, uilla Caesarum, quae ad Gallinas dicebatur, ut auctor est Plinius; qui eius nominis rationem reddens, sic ait: Gallinam cōspicui candoris sedenti Liuiae Drusillae aquila ex alto abiecit in gremium inlæsam, intrepideque miranti accesit miraculum, quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis baccis; conseruari alitem, & sobolem iussere haruspices, ramumque eum seri, ac rite custodiri; quodque factum est in uilla Caesarum fluuio Tiberi imposita, iuxta nonum lapidem Flaminia uia, quae ob id uocatur ad Gallinas. Et Tranquillus capite primo in Galba: Progenies Caesarum in Nerone defecit. Quod futurum compluribus quidem signis, sed duobus euidentißimis apparuit. Liuiae olim post Augusti statim nuptias Veientanum suum reuisenti, praeteruolans aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium, quumque nutriri alitem, pangi ramulum placuisset; tanta pullorum soboles prouenit, ut hodie quoque ea uilla ad Gallinas uoce-

uocetur. Tale uero lauretum, ut triumphaturi Caesares, inde laureas decerperent; fuitque mos triumphantibus, alias confestim eodem loco pangere, & obseruatum est, sub cuiusq; obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. Ergo nouissimo Neronis anno, & silua omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat interijt. In eadem uia erant Clitellae, de quibus Sex. Pompeius: Clitellae (inquit) non tantum hae quibus sarcinae colligatae mulis portantur, dicuntur, sed etiam locus Romae per similitudinem, & in uia Flaminia loca quaedam de uexa & accliuia. Via Flaminia quoque locus erat Saxa rubra appellatus; de quo mentio est apud Cornelium Tacitum. In hac uia fuit sepulchrum pantomimi Paridis Aegyptij Neronis liberti, de quo Martialis libro XI

Quisquis Flaminiam teris uiator
Noli nobile praeterire marmor

Item Glauciae liberti Melioris, de quo idem Martialis lib. VI

Hoc sub marmore Glaucias humatus
Iuncto Flaminiae iacet sepulchro

Et de eodem Statius II. Siluarum

. . . Plebs cuncta nefas & praeuia flerunt
Agmina Flaminio, quae limite Muluius agger
Transuehit.

Fit quoque eius uiae mentio in libello Velij Fidij Iubentij. Nostra aetate paulo extra urbis moenia uia Flaminia Iulius III. pontifex maximus, mirabili in primis atque sumptuosissimo opere uillam Iuliam exaedificauit, de qua alio loco disseram. Inchoabat uia Flaminia ab urbe porta Flumentana, inde ut inquit Antoninus, hac ratione Ariminum usque pertinebat

Ab urbe
Rostratam uillam, hinc
Vtriculum, deinde

Narniam, post
Interamnam
Spoletium
Forum Flaminij
Heluillum
Callem
Forum Semproni
Fanum Fortunae
Pisaurum, & postremo
Arimini desinebat

De via Aemilia Lepidi

Due uiae Aemiliae fuerunt, altera Lepidi, de qua nunc sermo est, altera Scauri, de qua paulo post scribam. Hanc strauit M. Aimilius M.F. Lepidus, qui pontifex maximus, iterum consul, censor, & princeps senatus sexies lectus fuit, in primo cōsulatu, quem cum C. Flaminio, eius, qui ad Trasimenum cecidit filio, anno urbis DLXVII. geßit. De hac Strabo: Eodem in consulatu M. Lepidus, & C. Flaminius collegae fuere, uictores autem Ligurum strauere hic quidem Flaminiam e Roma per Tusciam & Vmbriam usque Ariminum. Alter reliquam porro usque Bononiam, & ex ea in Aquileiam, prope alpium radices, ducto per gyrum circa paludes opere. Liuius quoque libro XXIX. commemorat M. Aimilium consulem subactis eisdem Liguribus uiam a Placentia productam Flaminiae com misisse, ijs uerbis: Cos. Aimilius pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit, uiamque ab Placentia ut Flaminiae committeret Ariminum perduxit. &c. Quibus uerbis liquet Aemiliam uiam initium habuisse ab Arimino, Ariminum enim usque Flaminia pertinebat: hincque ducto in gyrum opere circa radices alpium, hac ratione Aquileiam usque perductam esse, ut ex Antonini Pij imp. itinerario liquet

Ab Arimino
Caesenam, deinde
Forum Liui, post

Fauen-

Fauentiam, post
Forum Corneli
Clacerinam
Bononiam
Mutinam
Regium
Tannetum
Parmam
Fidentiolam
Placentiam
Laudem
Mediolanum
Bergomum
Brixiam
Syrmionem
Veronam
Vicentiam
Patauium
Altinum
Concordiam, & postremo
Aquileiae desinebat

Martialis libro III. alloquens librum suum de hac uia sic scribit

Romam uade liber, si ueneris unde, requiret
Aemiliae dicas de regione uiae
Si quibus in terris, qua simus in urbe rogabit
Corneli referas me licet esse foro

Idem de eadem uia libro VI. & Plinius libro primo, agens de portento agri Mutinensis: qui in eadem quoque Fauentiam positam fuisse, significat libro XIX. & Plinius Iunior in epistola ad Pontium. Mihi nuntiatum est Cornutum Tertullum accepisse Aemiliæ uiae curam. Ab hac uia ea Galliae togatae regio, Aemilia appellata est, sicut etiam Flaminia ab alia uia

De alijs vijs incidentibus in Flaminiam, & primo de uia Cassia

Caßiam uiam a Caßio, qui eam strauit dictam fuisse, auctor est Sex. Pompeius. De qua Cicero Philippica XII. Tres uiae sunt ad Mutinam a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Caßia. Haec a Flaminia extra pontem Miluium diuisa

Sutrium, Vetrallam, Viterbiumque, & Vulsinios mittebat; cuius rudera quaedam inter ipsa oppida adhuc extant. Huius, & aliquot aliarum uiarum mentio est in hac antiqua Auximate inscriptione

C . OPPIO . C . F . VEL
SABINO.IVLIO.NEPOTI
M'.VIBIO.SOLLEMNI.SEVERO
COS
ADLECTO.A.SACRATISSIMO.IMP
HADRIANO.AVGVSTO
INTER.TRIBVNICIOS.PR.PEREGR
CANDIDATO.AVG
LEGATO.PROV.BAETHICAE.CVR.VIAR
CLODIAE.ANNIAE. CASSIAE
CIMINAE.TRIVM. TRAIANARVM
ET.AMERINAE.LEG.LEGION.XI
CL.P.F.LEG.AVG.PR.PR
PROVINCIAE. LVSITANIAE
PRO.COS.PROV.BAETHICAE
PATRONO.COL
LEONAS.LIB.ADCENSVS.PATRONI
ET.IN.DEDIC.STATVAE
COLONIS.CENAM.DEDIT

De uia Clodia, uel Claudia

¶ *Et haec in Flaminiam incidebat, ut ijs uersibus testatur Ouidius libro primo de Ponto*

Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiae Claudia iuncta uiae

Eius

Eius quoque mentio eſt in ſupra relata Auximate inſcriptione, in qua Clodia appellatur. Inchoabat a Roma atque Lucam uſque hac ratione, ut ex Antonini Pij itinerario didici, perducebatur

Roma
Baccanas, deinde
Sutrium
Forum Caßi
Vulſinios
Cluſium
Ad ſtatuas
Arretium
Ad fines ſiue Caſas
Caeſarianas
Florentiam
Piſtorium, & poſtremo
Lucam

De via Annia

Hanc quoque uel Faminiae coniunctam, uel ab ea incepiſſe teſtatur ordo, quo hae uiae referuntur in inſcriptione Auximate iam poſita uidelicet. Curator uiarum Clodiae, Anniae, Caßiae, Ciminae, trium Traianarum & Amerinae. Nā hac parte, has omnes uias fuiſſe, praeter Traianas, conſtat. Idem quoque ſequenti antiqua marmorea inſcriptione confirmatur, quae nunc in horto eccleſiae cathedralis urbis Caſtellanae in Faliſcis adhuc extat, non longe eò translata

HONORI
IMP.CAESARIS.DIVI.F
AVGVSTI.PONT.MAXIM
PATR.PATRIAE.ET.MVNICIP
MAGISTRI.AVGVSTALES
C.EGNATIVS.M.L.GLYCO
C.EGNATIVS.C.L.MVSICVS
C.IVLIVS.CAESAR.LISOCHRYSVS
Q.FLORINIVS.Q.L.PRINCEPS
VIAM.AVGVSTAM.AB.VIA
ANNIA.EXTRA.PORTAM.AD
CERERIS.SILICE.STERNENDAM
CVRARVNT.PECVNIA.SVA
PRO.LVDIS

De uia Augusta

Hanc in Faliscis fuisse, non procul a Flaminia, & in Anniam incidisse testatur superior inscriptio, de qua nihil praeterea compertum habeo

De via Cimina

Haec Casßiae & Flaminiae propinqua fuit, colles, lacusque Ciminos, haud procul a Viterbio sitos petens, a quibus & nomen accepit. Virgilius: Cimini cum monte lacus, camposque Velinos. Siluae Ciminae meminit libro IX. *ab urbe condita Liuius. De ea quoque mentio est in Auximate inscriptione*

De via Amerina

Amerinam uiam cuius Auximas inſcriptio meminit, ijs ſubieci, quod ex uia Flaminia diſcedens, Ameriam ducat.

De vijs Sempronia, & Poſtumia

Viam demum Semproniam a Flaminia oriri Fulginei in Vmbria, & uſque ad Forum Sempronij protendi, a quo nomen acceperit, quidam ſcribunt. De Poſtumia mentionem facit ijs uerbis Tacitus: Siſtere tertiam legionem in ipſo uiae Poſtumiae aggere iubet. &c. haec autem in Gallia togata fuit, non procul a Bebriaco, uico Veronenſium Hoſtilia, & Cremona, quam hic adpoſui, quod uerſus Flaminiam, & Aemiliam ſtrata eſſet.

De porta, & via Collatina

Poſt Flumentanā portam, proximo loco eſt Collatina colli hortulorum impoſita, de qua Sex. Pompeius: Collatia oppidum fuit prope Romam, eo quod opes aliarum ciuitatum ibi fuerint collatae, a qua porta Romae Collatina dicta eſt. Liuius quoq; libro primo: Collatia & quicquid circa Collatiam agri erat Sabinis a rege Tarquinio ademptum. &c. Seruat quoque aetas noſtra morem appellādi in Collatia, quicquid e regione eius portæ habet ager Romanus. Haec antiquitus moenibus a Collina porta uerſus Tiberim ampliatis, cum Flumentana cōiuncta fuit, non longe a campo Florae collocata; poſtea pomerio ampliato ad eum locum ubi nunc eſt ſuper hortulorum collem cū Flumentana ipſo forte Aureliani Imp. tempore translata fuit.

Quam a proximis Pinciorum aedibus Pincianam libro primo de bello Gothico Procopius suo tempore appellatam fuiße scribit. Belisarius (inquit) interim quae ad urbis custodiam facerēt, praeparare, molirique omnia. Pincianam is ferme, & proximam huic ad dexteram Salariam portam tenebat, ut suspectiores & neceßarias; ea namque parte oppugnari facile poterat murus &c. Et nō longe post: Nec portam quidem Flaminiam Gothi tentarunt, ut loco praecipiti sitam, atque adeo ut adiri non facile queat. Inter hanc portam, & alteram ad dexteram huic proximam portulam, porta alia est quae Pinciana uocatur. Huic proximi muri pars quaedā, lapidum laxata iam pridē compage, seiuncta spectatur; non tantum a solo sed a medio ad summum fastigium scißa. Nec sane collapsa, nec alias resoluta, sed utrinque sic inclinata, ut cetero muro extrinsecus partim prominentior esse appareat, partim retractior. Hanc muri partem quum demoliri tunc primum Belisarius niteretur, & iterato aedificare instituisset, obstitere Romani, Petrum Apostolum pro indubitato se comperiße asseuerantes, eius loci tuendi pollicitum curam se suscepturum, quod utique Romanis ex uoto succeßit, quandoquidem nec eo die, quo per Gothos sunt moenia oppugnata, nec per omne id tempus, quo urbem obsederunt barbari, hostilis uis ulla ad hunc locum peruenit, nec plane unquam eodem tumultuatum. Et sane me admiratio subijt, nec Romanis, nec hostibus ipsis in ea tam diutina urbis obsidione, in memoriam ueniße muri hanc partem: quae res quum miraculi postea loco sit habita, nec sarcire quidem in posterum quisquam, nec de integro restituere ausus est, sed ad hūc diem, ea e regione seiunctus permanet murus. Haec Procopius Quae uerba ideo adposui, quod usque ad nostra tēpora, adhuc ea muri pars superſit, ut a Procopio describitur, appellaturq; a Romanis murus inclinatus. Porro autem ea portula quam

supra

ſupra Pincianam fuiße ſcribit idem Procopius, omnino eſſe desijt. A porta Collatina exijt uia eiuſdem nominis, de qua Frõtinus libro primo de aquaeductibus ſic ait: Aquae Alſietinae Auguſtae ramus proxime uiam Collatinam accipit fõtẽ &c. Item concipitur aqua Virgo uia Collatina ad milliarium octauũ paluſtribus locis etc. Haec autem uia non procul ab ipſa porta incidit in uiam Salariam

De porta Collina, & via Salaria

Collatinam proxime ſequitur porta antiquitus Agonenſis, poſt Quirinalis, deinde Collina, poſtremo Salaria appellata. Sex. pompeius: Agonia (inquit) ſacrificia, quae fiebant in mõte; hinc Romae mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonenſis. Et alibi Quirinalem eam quoque uocatam fuiße his uerbis docet: Quirinalis porta dicta, ſiue quod ea in collem Quirinalem itur, ſiue quod proxime eam eſt Quirini ſacellum. Agonenſem autem idcirco appellatam ſcribit, quod inundato circo Flaminio, agonales ludi, qui in eo celebrabantur, extra ipſam portarentur, ludosque ipſos ideo agonales eſſe dictos, uel quia locus in quo initio facti ſunt, fuerit ſine angulo; uel quod ijs ludis rex hoſtiam immolare ſolitus eßet, quam antiqui agoniam uocabant, uel quod in montibus, quos agones dicebãt, fierent. Ex Quirinali autem uel Agonenſi, Collina a collibus Quirinali, Eſquilino, & Viminali; uel ab urbis tribu, & regione in qua ſita erat, quae Collina dicebatur, deinceps longo tempore appellata eſt. Per Collinam portam ſcribit Liuius libro V. Gallos Senones urbem ingreſſos, eam incendiſſe, de qua ſaepißime etiam alibi mentionem facit. Et alio loco: Quum murus (inquit) & turres quae ſunt inter portam Collinam & Eſquilinam de coelo eſſent tacta. & cetera

Ouidius

Ouidius IIII. Fastorum

Templa frequentari Collinae proxima portae

Et Iuuenalis Satyra VI

Proximus urbi
Hannibal,& stantes Collina in turre mariti

Haec posterioribus temporibus a uia,cui imposita erat,Salaria appellari coepta. Procopius libro primo de bello Gothico: Belisarius interim Pincianam & proximam huic ad dexteram Salariam portam tenebat,ut suspectiores & necessarias. Et paulo post: Apud Salariam autem portam, uir quidam procerae staturae Gothus crebrius sagittando propugnacula infestabat. &c. Salariam autem uiam a Collina porta initium habuisse, refert Tacitus L. XIX. ut transuersis itineribus per agrum Sabinum, uia Salaria urbem introirent. Et paulo post: Tertium agmen per Salariam portae Collinae appropinquabat. De hac Sex. Pompeius: Salaria uia Romae est appellata,quia per eam Sabini sal a mari deferebant. Et Strabo: Rerum(inquit) scriptor Fabius auctor est,Romanos tum primum diuitiarum sensus accepisse, quū Sabinorum potiti sunt gentis, per ipsos uia Salaria; in quam apud Heretum Sabinorum uicum supra Tiberim iacentem Numentana incidit, non magnae longitudinis strata est,ex eadem Collina porta inchoans. Martialis

Illic Flaminiae Salariaeque
Gestator patet essedo tacente

Plinius libro XXXI. cap. VII. Sal (inquit) magna apud antiquos auctoritate, sicut apparet ex nomine Salariae uiae, quoniam illa sal in Sabinos portari consueuerāt. Prope hanc portam fuit templum Veneris Erycinae; cuius Liuius, Strabo, Plinius,& alij ueteres scripores meminerunt. Extra eam uero fuit templum Honoris, de quo sic Cicero secundo de legibus: Nostis extra portam Collinam aedem Honoris? & aram

ram in eo loco fuisse memoriae proditum est. Ad eam quum lamina fuisset inuenta in qua scriptum ; domina Honoris ; ea caussa fuit aedis eius aedificandae : sed quum multa in eo loco sepulchra fuissent , exarata sunt, statuit enim collegium locum publicum non potuisse priuata religione obligari . Via quoque Salaria ad secundum lapidem; fuit insigni,& magnifico monumento sepultus Augusti tonsor Licinus,uir ijs temporibus ditißimus, quem satyrici insectati sunt, & Varro hoc epigrammate , ut est apud Cornutum acerbißime perstrinxit

Marmoreo tumulo Licinus iacet , at Cato paruo
Pompeius nullo , credimus esse deos

In eadem uia prope Anienis ripas fuit etiam C.Marij VII.cos. sepulchrum.Eadem uia ad tertium lapidem supra Anienem extat pons eiusdem cum uia nominis , quem cum ceteris Anienis pontib.a Gothorum rege Totila (ut refert Procopius) disiectum , restituit Narses. Quod etiam hae duae inscriptiones, ab utraq; eius parte incisae demonstrant. In dextra enim est haec, quam ne concisam ponerem sequenti pagina integram concinnaui

IMPERANTE. D.N. PIISSIMO. AC
TRIVMFALI.IVSTININIANO.PP.AVG
ANNO. XXXVIIII
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX
PRAEPOSITO.SACRI.PALATII.EX CONS
ATQVE.PATRICIVS. POST.VICTORIAM
GOTHICAM.IPSIS.ET.EORVM.REGIBVS
CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV
PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE
PROSTRATIS
LIBERTATE.VRBIS.ROMAE.AC.TOTIVS
ITALIAE. RESTITVTA.PONTEM. VIAE
SALARIAE.VS
QVE. AD. AQVAM A.NEFANDISISMO
TOTILA. TYRANNO. DISTRVCTVM
PVRGATO. FLVMINIS.ALVEO
IN.MELIOREM.STATVM. QVAM
QVONDAM.FVERAT.RENOVAVIT

A ſiniſtra uero leguntur haec carmina

QVAM. BENE. CVRBATI. DIRECTA. EST. SEMITA
PONTIS
ATQVE. INTERRVPTVM. CONTINVATVR. ITER
CALCAMVS.RAPIDAS.SVBIECTI.GVRGITIS
VNDAS
ET.LIBET. IRATAE. CERNERE. MVRMVR. AQVAE
ITE.IGITVR. FACILES.PER. GAVDIA.VESTRA
QVIRITES
ET.NARSIN.RESONANS.PLAVSVS. VBIQ. CANAT
QVI.POTVIT.RIGIDAS. GOTHORVM.SVBDERE
MENTES
HIC.DOCVIT.DVRVM. FLVMINA. FERRE. IVGVM

Salaria autem ex urbe in Sabinos sic exibat, Antonino Pio in itinerario auctore

Ex urbe	Interocream
Heretum	Falacrine
Vicum nouum	Vicum Badies
Reate	Ad centesimum
Cutylias	

In hac uia ad XIIII. lapidem ut Vibius, uel XI. ut Liuius, prope Alliam flumen uictoria contra Romanos potiti sunt Galli Senones. Quare inter eam, & Tiberim fuit lucus permagnus, in quo Romani Lucaria festa celebrabant, pro eo quod uicti a Gallis ad Alliam, fugientesque e proelio ibi se occultauerunt, ut auctor est Sex. Pompeius. Allia autem flumẽ e Crustuminis montibus praealto defluẽs alueo, haud multo infra hanc uiam, Tiberi (ut prodit Plinius) miscetur. De hac uia mentio est in antiquo hoc epigrammate ita

L.RANIO.OPTATO.C.V.COS
CVRATORI.REIP.MEDIOLANENSIVM
CVRAT
REIP.NOLANORVM.PRO.COS
PROVINCIAE
NARBONENSIS.LEGATO.AVG.ET
IVRIDICO
ASTYRIAE.GRAECIAE.CVRATORI.VIAE
SALARIAE.CVRATORI.REIP.VRVINATIVM
METAVRENSIVM.LEGATO.PROVINCIAE
ASIAE.PRAETORI.TRIB.PLEBEI
QVAESTORI.PROVINCIAE.SICILIAE

De uijs Quinctia, & Iunia

Viarum Quinctiae, & Iuniae meminit libro primo antiquitatum Dionysius Halicarnasseus. Quas idcirco hic adposui, quod eas e regione huius uiae fuisse aperte innuat, quum ait: Palatium quidem quinque & uiginti stadijs (haec urbs Aboriginum erat) a Reate distans, urbe nunc etiam a Romanis habitata, uiae Quinctiae proximum. Hinc ipsam, ex antiquo P. Victoris manuscripto codice eandem cum Nomentana esse quibusdam uisum fuit, quum tamen ex eius uulgatis codicibus diuersam fuisse cōstet. Ad haec, Dionysius a Reate (inquit) rursus stadijs LXXX. uia Iunia eundo iuxta Coritum montem Cursula est nuper diruta. Quibus uerbis colligitur, uiam quoque Iuniam ijsdē regionibus fuisse. De ijs aũt uijs quid praeterea afferam, non habeo. De uia Quinctia mentio est in hac uetusta inscriptione

C. CVRTIVS. P. F. PAL. NERVA. IIII. VIR
P. SILIVS. P. F. ARNIEN. PAETINVS. IIII. VIR
C. RVSTVS. C. F. QVARTVS. VEL. IIII. VIR
T. FLAVIVS. T. F. ARN. SABINVS. IIII. VIR
ARAM. ET. SIGN. VIA. QVINCT. D. D

De porta Viminali, & uia Nomentana

Viminalis porta Collinae succedit, eiusdem cum monte, in quo sita est nominis, a quo & nomen sortita est. Sex. Pompeius; Viminalis (inquit) & porta, & collis appellabantur, quod ibi uiminum silua fuisse uidetur, ubi est & ara in uimino consecrata. Hanc regum tempore in aggere Tarquinij fuisse Strabo

bo ijs uerbis prodit: In aggere autem medio tertia est porta, eiusdem nominis cum colle Viminali. Tertiam autem dicit, quod Flumentana, & Collina tum ea priores essent. Collatina enim tunc non erat, quae postea in ampliatione murorum urbis fuit interposita. Huic portae nunc S. Hagnetis, a proxima eius diuae aede nomẽ est. A Viminali autem porta incipit uia Nomentana, qua iter erat Nomentum Sabinorum oppidum. Haec alio nomine Ficulnensis appellata fuit. Liuius libro III. ait: Via Nomentana, cui tam Ficulnensi nomen fuit, profecti, castra in mõte sacro locauere. Haec, ut Strabo refert, in uiam Salariam apud Heretum Sabinorum oppidum supra Tiberim iacens incidebat. Ouidius IIII. Fastorum

Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem
Obstitit in media candida turba uia

Extra portam Viminalem Naeniae deae sacellum fuit dedicatum, ut refert Sex. Pompeius. Naenia autem est carmen, quod in funere laudandi gratia cantabatur ad tibiam. Sunt etiã qui eo uerbo finem significari putent. Quidam uolunt naeniam ideo dici, quod uoci similior querimonia flentium sit. Haec autem dea cantu querulo, a praeficis mulieribus aduocari, ut funeribus adesset, putabatur. Deorum enim quos obesse arbitrabantur templa secundum stationis decorem extra urbem ponebantur. Et si autem in Palatio febris aram, in Esquilijs malae Fortunae ad Auentini radices Scordiae templa locata fuerint, ea tamen non ut opem ferent, sed ne obessent numina colebantur. Ea uia ad secundum lapidem uisitur adhuc templum sphaericum, quod quidam Bacchi esse scribunt, sepulchris Constantini familiae inlustre. Quod nunc in eius sororis Constantiae honorem dedicatum est. Non longe ab hoc templo alius pons Anieni impositus est, a uia nomen habens, quem sicuti Salarium a Totila bello Gothico confractum restituit Narses, ut

Procopius prodit. Inter Salariam, & Nomentanam uias quarto ab urbe lapide, fuit suburbanum Phaontis Neronis liberti; quò ut Tranquillus, & Eutropius scribunt, Nero fugiens, quũ a senatu hostis iudicatus esset, se ipse interfecit. Huius *uiae mentio est in hac uetusta inscriptione sic*

CN. MVNATIVS. M. F. PAL.
AVRELIVS. BASSVS
PROC. AVG
PRAEF. FAB. PRAEF. COH. III
SAGITTARIOR. PRAEF. COH. ITERVM. II
ASTVRVM. CENSITOR. CIVIVM
ROMANORVM. COLONIAE. VICTRI
CENSIS. QVAE. EST. IN. BRITANNIA
CAMALODVNI. CVRATOR
VIAE. NOMENTANAE. PATRONVS
EIVSDEM
MVNICIPI. FLAMEN. PERPETVVS
DVVM. VIRALI. POTESTATE
AEDILIS. DEDICATOR. IIII

De porta Gabina, alias Gabiusa; & vijs Tiburtina, & Gabina

Prope castrum praetorium inter portas S. Hagnetis, & S. Laurentij adhuc extat porta clausa, quam aliquot rationibus adductus Querquetulariam, uel Querquetulanam fuisse olim crediderim: de qua, quum tam nostro, quam etiam Procopij tempore, ante millesimum annum, in usu esse desierit, postea uerba faciam, quum de eis portis loquar, quae esse desierunt; atque ad eius portae descriptionem ueniam, quae ab antiquis Gabi

Gabina,uel Gabiusa,nostro uero saeculo S. Laurentij appellatur. Gabiusam autem portam fuisse Romae testatur Liuius:qui eam de coelo tactam fuisse scribit. Hanc autem Gabiusam fuisse, ut credam adducor,quod in antiquo codice manuscripto P. Victoris,quem in communem antiquitatis studiosorum gratiã, cum hisce commentarijs publicaui, Tiburtina uia,quae hac porta incipit, eadem esse cum Gabina dicatur. Gabina autem uel Gabiusa porta, non nisi a Gabijs nomen habuisse liquet, sicut etiam & uia, quae ex hac porta dextera parte uersus Praenestinam uiam deducta, recta Gabios, quibus nunc Gallicanum nomen est, perducit, Tiburtina interim uia a laeua relicta. Viã autem Tiburtinam hac porta initium habuisse satis liquet,quae etiam nũc Tibur deducit. De qua uia praeter P. Victorẽ,& antiquam Tarraconensem inscriptionem, mentionem quoque facit Horatius primo sermonum

Quum Tiburte uia praetorem quinque sequuntur

Hac uia intra primum lapidem fuit sepulchrum Pallantis Ti. Claudij Caesaris Augusti liberti, splendidum,cum hoc arrogantißimo titulo

TI . CLAVDIVS . AVG . L
P A L L A S
HVIC.SENATVS.OB.FIDEM
PIETATEM.QVE . ERGA
PATRONOS . ORNAMENTA
PRAETORIA . DECREVIT
ET.H-S.CENTIES.QVIN
QVAGIES.CVIVS.HONORE
CONTENTVS . FVIT

De quo Plinius epistolarũ libris VII.et VIII. ad Montanũ multam mentionem facit. Ab una autem porta, plures uias deduci, atque eas in diuersa loca diuidi manifestum est. Nam ab hac quoque porta Gabinam uiam exire demonstrat P. Victor; quũ Gabinam eandem cum Tiburtina uiam facit, quod ob loci uicinitatem aliquando fieri solet. Quod hac una demum ratione confirmatur, quia Gabios perducit. De Gabina uia Liuius libro V. Iustiore altero deinde proelio ad octa uum lapidem Gabina uia quò se ex fuga contulerant, eiusdem ductu, auspicioq; Camilli Galli uincuntur. Item libro II. P. Valerius T. Herminium cum modicis copijs ad secundũ lapidẽ Gabina uia in occultum considere iubet. & paulo post: Ad tertium lapidem uenere Gabina uia. Hanc uiam breuem fuisse, incidisseque in Praenestinam significat Strabo, quum ait: Sunt & Romanorum oppida a sinistra Latinae inter eam & Valeriam, sane Gabij extant in Praenestina uia siti. &c

De porta Esquilina, & viis Praenestina, & Labicana

Proximam Gabinae fuiße Esquilinam portam multis ueterum scriptorum auctoritatibus demonstrari potest, cuius nunc Maior porta, uel locum obtinet, uel non longe a loco, in quo antiqua Esquilina quondam fuit, nostro tempore sita est. Ceterum multum mihi laboris esset, & male mecum agerem, si omnes ueterum antiquariorum errores nunc uel reprehendere, uel explodere uellem, quos in hisce rebus describendis admiserunt, ut de amphitheatro Statilij Tauri, basilica Caij & Lucij, foro Romano, templo Saturni, & aerario, porta Gabiusa, templo Mineruae medicae, carceribus populi Romani, & alijs eiusmodi sexcẽtis; quae loca contra antiquorum scriptorum auctorita-

*ritates, male & nimium inepte collocarunt, perinde ac etiam fecerunt de porta Esquilina, de qua mihi nunc sermo est. Ego autem ijs reprehendendis quoties occasio se se offeret, tempus non conteram, sed quae illi male dixerunt, nulla eorundem mẽtione facta, emendare, rationibusque adductis restituere curabo. Quis igitur non est, ex ueteribus antiquarijs a Blondo usq; ad Marlianum, qui nouißimus Vrbis topographiam (quod sciã) scripsit, qui portam quae nunc Maior dicitur, Naeuiam non uocet? Quam aperte P. Victor in regione XII. Piscinae publicae, inter portam Capenam, & Ostiensem cõlocauit, quum uicos portarum Naeuiae & Raudusculanae in ea regione fuiße prodat? Varroque ipse libro IIII. de lingua Latina, eas portãque Lauernae uicinas scribat, atque extrema urbis regione fuiße aperte innuat? quamquam enim is locus mancus sit, aperte tamen colligitur, eum portarum omnium descriptionem eo loco feciße, atque a Flumentana inchoasse, quae prima erat, desijßeque in Lauernalem portam, quae non procul a Trigemina fuit, cui uicinas fuiße Naeuiam, & Raudusculanam exponit. Cui rei maxime quadrat, quod ante Naeuiae portae descriptionem dicit, ubi paginae tres desunt: * Religionem Porcius designat, quum de Ennio scribens dicit: Eum coluisse Tutilinae loca. Quae ea parte fuisse alibi demonstrabo. Quod etiam libro II refert Liuius de portis Collina, Esquilina, Coelimontana, & Naeuia meae huic sententiae maxime conuenit, ut paulo post ostendam. Ex quibus rebus manifeste uideri potest, an porta Maior, quae longißimo interuallo distat a regione Piscinae publicae, ubi erat porta Naeuia, haec porta esse poßit? Quam Esquilinam fuiße, uel Esquilinae potius locũ tenere, aperte ijs uerbis Strabo indicat: Porro in unum cadit Labicana, a porta quidem Esquilina incipiens, a qua & Praenestina; a sinistra uero & hanc, & Esquilinum omittens cam-*

pum, ultra centum & XX. stadia pergit. Quum autem Labico uetusto sane oppido, ceterum disiecto, & in sublimi sito propinquat, & hoc, & Tusculum reliquit a dextra. Videant igitur hi, qui portam S. Laurentij Esquilinam faciunt; an Labicana, & Praenestina uia, Gabina simul & Tiburtina ea una porta incipiant? quum manifeste constet a porta Maiore duas nunc exire uias, quarum altera Labicos, altera Praeneste recta deducit. Quo fit, ut hanc pro indubitato potius Esquilinam olim fuisse credam. Confirmatur etiam mea haec sententia Ciceronis auctoritate, qui Esquilinam & Coelimontanam portas propinquas fuisse demonstrat, quum ait: Quum ego Coelimontana porta introijsse dixissem, responsione me inimica, Esquilina introijsse homo promptissimus lacessiuit, & cet. Quod ei proximior esset. Haec autem Liuij uerbis non aduersantur, qui non semel ait: Castra inter Collinam Esquilinamque posita. Nam Viminalē & Gabiusam eo tpe aut non fuisse, aut has duas tantū, quod notiores essent, nominasse existimo. Huius autem, & aliarum quarundam portarum ordo ex uerbis Liuij facile apparebit, quae ideo subiunxi: Porsenna (inquit) primo conatu repulsus, consilijs ab oppugnanda urbe ad obsidendam uersis, praesidio in Ianiculo locato, ipse in plano, ripisque Tiberis castra posuit, nauibus undique accitis, & ad custodiam, ne quid frumenti Romam subuehi sinerent, & ut praedatum milites trans flumen, per occasiones alijs atque alijs locis traijcerent. Breuique adeo infestum agrum Romanum reddidit, ut non cetera solum ex agris, sed pecus quoque omne in urbem compelleretur, nec quisquam extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiae Etruscis, non metu magis quam consilio concessum est. Namque Valerius cos. intentus in occasionem, multos simul & effusos improuisos adoriendi, in paruis rebus negligens ultor, grauem se ad maiora uindicem

serua

seruabat, itaque ut eliceret praedones, edicit suis, postero die frequētes porta Esquilina, quae auersissima ab hoste erat (erāt enim in Ianiculo) expellerent pecus scituros id hostes ratus, quod in obsidione & fame seruicia infida transfugerent: & sci ere perfugae inditio, multoq; plures ut in spem uniuersae prae dae flumen traijciunt. P. Valerius inde T. Herminium cum mo dicis copijs ad secundum lapidem Gabina uia, (quae laeua por tae Esquilinae proxima erat) occultum considere iubet, Sp. Lartium cum expedicta iuuentute ad portam Collinam stare, donec hostis praetereat, inde se obijcere, ne sit ad flumen re= ditus. Consul alter T. Lucretius porta Naeuia, quum aliquot manipulis militum egressus, ipse Coelimontana (tanquam medio loco sita, ut omnibus, si opus esset praesto esse posset) delectas cohortes educit, hique primi apparuere hosti. Hactenus Li= uius. Quibus uerbis innuitur Coelimontanam portam mediā in ter Esquilinam, & Naeuiam fuisse, Collinamque Gabinae pro ximam, atque haec Esquilinae. Flumentanæ autem non memi= nit, quia etsi Etrusci recta per campum Martium transire po= tuissent, tamē quia inter urbis moenia abruptosque montes i= ter erat, ne in aliquod discrimen inciderēt eam portam non in= uaserunt, simulque quo propinquiore a nauibus cursu ferren= tur in pecus, ad eum forte Tiberis locum deuenere, qui medius est inter pontem Miluium & Anienis ostia. Quare non opor tuit ad portam Flumentanam militum stationem locare. Colla= tinae & Viminalis eum non meminisse existimo, uel quia ad- huc non erant, uel forte eo bello clausae, usum amiserant, ut in bellis fieri consuetum est, uel quia alijs portis satis fuerat & struere insidias, & exponere pecus, ac turmas presidiaque emit tere. De hac porta multa apud omnes auctores ueteres mentio est. Hanc autem aliquando Maeciam uocatam fuisse ex Plauto coniyci potest, quod idē de porta Maecia scribat Plautus, quod

de

de Esquilina Horatius: utriusque sententiam confirmat Cornelius Tacitus, qui libro II. historiae Augustae ait; Sumptum more prisco extra Esquilinam de nocentibus supplicium. Plautus uero in Casina

Illum Aedepol uidere ardentem te extra portam Maeciam
Credo e castor uelle

Horatius uero V. epod

Post insepulta membra deferent lupi
Et Esquilinae alites

In quem locum annotauit Porphyrio in regione aggeris extra portam Esquilinam solita fuisse pauperum corpora uel comburi, uel proijci: combusta fuisse indicat Plautus, proiecta Horatius. Hanc portam a uia quae per eam exibat, Plinius libro XXXVI. cap. V. Labicanam ijs uerbis uocat: Mars est etiãnum sedens collosseus eiusdem in templo Bruti Callaici apud circum eundem ad Labicanam portam eunti. Quam ab altera quoque uia Procopius Praenestinam appellat. Inter haec (inquit) Bessas, qui Praenestinam portam custodiendam acceperat, ad Belisarium misit, qui nuntiaret teneri ab hostibus urbem, per portam aliam introgressis, quae supra Tiberim est. & paulo post: Praenestinam portam Bessae tradiderat custodiendam. Et alibi: Acie instructa circa Praenestinam portam, ad eam muri partem mox ducit, quam Romani Viuarium dicunt, unde & expugnari moenia per quam facile poterãt. etc. Haec porta nunc porta Maior dicitur, forte ab aedificij magnificentia, cui supposita est, id est aquae Claudiae castellum, Hancque ibi locatam fuisse a Belisario crediderim eo tempore quo urbis muros a Gothis disiectos restituit, atque e proximo loco ibidem translatam, neque enim mihi uerisimile uidetur ueteres portam urbis aquaeductuum formis, uel castello subiecisse. Ab hac autem porta etiamnum exeunt uiae Labicana quidẽ

a dextra

a dextra, & Praenestina a laeua, quae Praeneste, & Labicos deducunt. Praenestina autem per Gabios Praeneste, Labicana uero, Tusculum, & Labicos a dextera relinquens, per Quinctanas ad Pictas perueniēs, in Latinam uiam terminabantur: ut ex itinerario Antonini Pij constat. Porro autem in Praenestinam incidit uia Gabina. Gabij enim Praenestina uia siti sunt, ut prodit Strabo rursus haec a Praeneste Anagniam usque deducta ibi in Latinam incidebat. In Praenestina uero uia fuit sepulchrum Q. Attae togatarum scriptoris secundo lapide situm. In Lauicana autē, sepultus fuit Didius Iulianus imp. ut in eius uita scribit Aelius Spartianus, in sepulchro proaui sui Saluii Iuliani, quod quinto ab urbe lapide situm erat

De porta Coelimontana, & vijs Campana, Tusculana, Albana, & Valerijs duabus noua, & vetere

Proxima Esquilinae, ut innuere uidetur Cicero, fuit porta Coelimontana, nunc S. Ioannis appellata, a monte Coelio, in cuius parte sita est, olim Coelimontana dicta. Quam L. Cornelio, & Q. Minucio tactam de coelo narrat Liuius. Hanc posterioribus saeculis Asinariam fuisse dictam referunt Procopius libro primo de bello Gothico, & Anastasius Bibliothecarius in uita Siluerij papae. Procopius quidem: Contigit autē ut die una, eodemque tempore, & Belisarius cum Imperatoris exercitu per portam quam Asinariam dicunt (Neapoli enim ueniebat) urbem intret, & per Flaminiam Gothi excederent. Et libro III: Quum itaque perpauci, ut diximus, admodum ad murorum custodiam relinquerētur, & hi quidem iam fame cōfecti, quaterni custodes quidam, & Isauri genere ad portam Asinariam custodias nacti, excepturos se intra urbem Gotho-

rum

rum exercitum pollicentur. Et alibi saepius eius portae meminit: quam Bibliothecarius Lateranensi basilicae proximam fuisse scribit. Per hanc Alarico primũ, postea Totila ducibus, ingressi Gothi urbem captam diripuerunt. Mirandum autem quod quum Sex. Pompeius uiae Asinariae mentionem faciat, eã lõge ab hac porta fuisse scribat, quam inter Latinam Ardeatinamque fuisse tradit, ut inferius explicabo. Hanc uero Coelimontanam fuisse illud etiam confirmat, quod mons ipse nullam aliam praeter hanc habeat portam. Ab hac autem porta incipit uia Campana, cuius Suetonius in Augusto, & aliquot antiquae inscriptiones meminerunt

HVIC. MONVMENTO. ITVS. ADITVS
AMBITVS. DEBETVR. EX. SENTENTIA
EROTIS. AVG. L. IVDICIS . A . VIA
CAMPANA. PVBLICA

Et Neapoli alia inscriptio

M. BASSAEO. M. F. PAL. AXIO
PATR. COL. CVR. R. P. II. VIR. MVNIF
PROC. AVG. VIAE. OST. ET. CAMP

Ab hac etiam porta, uel non longe ab ea ex uia Campana, exibat uia Tusculana, quam una cum Albana instaurauit M. Messalla sub Caesare Augusto: Vnde Tibullus libro. I

Nec taceam monumenta uiae quae Tuscula tellus
Candidaque antiquo detinet Alba lare
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte silex

Vias Valerias duas fuisse nouam uidelicet et ueterem prodit P. Victor, de quarum altera Strabo sic scribit: Praeclarissimae sunt uiae Appia, & Valeria, una quidem ad mare Latinae par

tes

tes ſuperans, uſque Sinueſſam protenditur; altera in Sabinos uſque ad Marſos. Inter has media Latina eſt. & ceter. Quam idcirco hic ſubieci, quod Latinā huic proximam, mediam inter eam & Appiam fuiſſe ſcribat Strabo. Alterius meminit Plinius

De porta Latina, & viis Latina, & Albana

Coelimontanam ſequitur porta Latina ante mille annos appellata, quae quod in Latium mitteret nomen obtinuit, quod etiãnum manet. Quo autem nomine antiquiſsimis temporibus uocaretur, incertum. Verum quum Strabo uia Latina Ferētinum urbem fuiſse afferat, crediderim portam hanc eam eſſe, quam Plutarchus Ferentinam nominauit in Romulo. Nam Romulus (inquit) expiationibus ciuitatem expurgauit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portam obſeruari tradunt. Sicque appellatam exiſtimo, quod ea iter eſſet ad Ferentinos Hernicorum populos A Latina autem porta initium habet uia eiuſdem nominis, in Latinos populos ducens, quae modo Latia, modo Auſonia dicitur a Martiali. Libro enim IX

. . . . ſimili uenerandus ab Hercule Caeſar
Conſecrat Auſoniae maxima fana uiae

Et alibi eodem libro

Herculis in magni uultu deſcendere Caeſar
Dignatus Latiae dat noua templa uiae
Qua Triuiae nemoroſa petit, dum regna uiator
Octauum domina marmor ab vrbe legit

De hac uia mentio eſt in antiquo epigrammate ſic

L.ANNIO.FABIANO
III.VIRO.CAPITALI
TRIB.LEG.II.AVG
QVAEST.VRBAN TR.PLEB
PRAETORI.CVRATORI
VIAE.LATINAE.LEG
LEG.X.FRETENSIS
LEG.AVG.PROPR.PRO
VINC.DAC.COL.VLP
TRAIANA.ZARMAT

Cicero pro Cluentio cauponem quendam de uia Latina nominat. Strabo uero praeclarißimae (inquit) uiae ſunt Appia & Valeria, una quidem ad mare Latinae partes ſuperans, uſque Sinuenßam protenditur, altera in Sabinos uſque ad Marſos. Inter has media Latina eſt, quae ad Caßinum coniungitur Appiae a Capua XIX ſtadijs diſtans. In Latina porro uia fuit tēplum Fortunae muliebris, eiuſdemque deae ſimulachrum, quod nefas erat attingi, niſi ab ea quae ſemel nupſit. Sex. Pompeius. In eadem uia fuit ſuburbanum Phylidis nutricis Domitiani, in quo ipſum funerauit, ſed reliquias templo Flauiae gentis clā intulit, cineribuſque Iuliae filiae Titi, quam & ipſa educauerat, commiſcuit. Auctor Tranquillus. In eadem ſepeliri uoluit Sempronius Tuditanus. Ex uno uero ſepulchrorum uiae Latinae, hoc epigramma refert Auſonius

Non nomen, non quo genitus, non unde quid egi
Mutus in aeternum, ſum cinis, oſſa, nihil
Nec ſum, nec fueram, genitus tamen e nihilo ſum
Mitte, nec exprobres, ſingula talis eris

Lati-

Latina autem ab urbe ad oppidum Caßinum pertinebat sic, ut ex Antonini Pii itinerario didici

Ab urbe	Fabrateriam
Ad Decimum	Aquinum, & postremo
Roborariam	Caßini, inde
Ad Pictas	Beneuentum, sic
Compitum	Venafrum
Anagniam	Theanum
Ferentinum	Allifas
Frusinonem	Telesiam, deinde
Fregellas	Beneuentum

De uia autem Albana, quae hac parte ex urbe exibat, mentionem feci superius ex Tibullo, quum de Tusculana uerba facerem

De porta Capena, & via Appia

Non longe post Latinam extat porta Capena, cuius etymologiam refert Solinus: qui Italum regem ex Sicilia ad Ianum uenisse scribit, tum in Italia regnantem, ac eius auxilio, consilioque ciuitatem iuxta Albam condidisse Capenam nomine, & ab ea post modum denominatam portam Capenam. Seruius uero grammaticus super Virgilij locum, lucosque Capenos, aliter dicit, ait enim: Vnde hoc est a Capenis lucis, & porta Capena, quae iuxta Camoenas est, nomen accepit. Asconius enim Pedianus, Victor, & Sex. Rufus, extra hanc portam aedem Camoenarum fuisse referunt, propterea que Camoenam a nonnullis olim fuisse appellatam. Nunc a proximo templo S. Sebastiani dicitur, quam olim Capenam fuiße hac confirmari potest ratione. Eam enim in uia Appia fuisse ostendit Frõtinus ijs uerbis: Appius Censor uiam Appiam a porta Capena, usque Capuam

puam muniuit. Quum autem uia in qua Septizonium Seueri adhuc extat tendens ad portam S. Sebastiani uia Appia a Spartiano & Iulio Capitolino uocetur, non est quod dubitari possimus, portam quae nunc in uia Appia extat fuisse Capenam, quae apud poetas & historicos celeberrima est. Propertius libro IIII

Armaque cum tulero portae uotiua Capenae.

Et Iuuenalis Satyra III

Substitit ad ueteres arcus madidamque Capenam.

Quam idcirco madidam dixisse opinor, quia uel inter ceteras portas depresso esset loco, uel propter aquaeducti prope ipsam deriuati formam. Priorem sententiam Cicero confirmare uidetur, quum ad Q. Fratrem scribens dicat: Romae & maxime Appia, ad Martis mira proluuies, Crassipedis ambulatio ablata, horti, tabernae plurimae, magna uis aquae usque ad Piscinam publicam. Martialis uero posteriorem innuit, quum ait

Capena grandi porta qua pluit gutta.

Ab hac porta, quum Caesar Augustus urbem in XIIII. regiones diuideret, primam regionem nominauit. Porro a Capena porta, uel ut Spartianus & Iulius Capitolinus scribunt, intra urbem a Septizonio Seueri, Appiam uiam omnium maximam, & laudatissimam exiisse, uel principium habuisse docent Sex. Pompeius, & Frontinus. Sextus quidem: Appia uia & aqua, ab Appio Claudio est appellata, cuius initium est a porta Capena. Et Frontinus: Appia aqua (inquit) inducta est ab Ap. Claudio censore, cui postea Caeco fuit cognomen, M. Valerio Maximo, & P. Decio Mure cos. Anno XX. post initium belli Samnitici, qui & uiam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curauit. Sed Tacitus & Auctor libri de uiris illustribus aliter sentire uidentur; qui eam Brundu-

ſium uſque pertinuiſſe affirmant. Viam (inquit alter) Brunduſium uſque ſtrauit lapidibus, unde illa Appia dicta. Tacitus uero refert Libonem Druſum coniurationis aduerſus Tiberium reum, aliquando conſuluiſſe, an habiturus eſſet opes, quis uiam Appiam Brunduſium uſque pecunia operiret. Certe Auguſti temporibus eò uſque pertinuit, ſi Horatio credimus, item Tiberij principatu ſi Straboni, & hoc ipſum ſub Nerua ignorare potuit Frontinus? niſi dicamus ab Appio quidem Capuam uſq; perductam, hinc uero a C. Caeſare dictatore Brunduſium; praeſertim quum in eius uita Plutarchus dicat; C. Caeſarem quum illi huius uiae cura eſſet commiſſa, ingentes prodegiſſe pecunias, quod ut magis credam facit; quod Appij tempore Romanorum ditio, non ad Brunduſium, ſed uix uſque Capuam ſe extendebat, ad quam uſque uiam ſtratam fuiſſe ab Appio ſcribit Frontinus: Longitudine autem eſt millium paſſuum circiter CCCL. Quam ob rem recte Statius ad Pollium ſcripſit

. . . . . . Quam limite noto
Appia longarum teritur regina uiarum

Haec prope Romam deflectens inter Tuſculum & Albam, per montes deducit Ariciam, Algidum, Pictas, Pandochiam. Hinc ad maritima peruenit Terracinam, Fundos, Formias, Minturnas, Sueſſam, Capuam, Neapolim, hinc Brunduſium uſq; protenditur. Liuius de hac uia: Memoriae (inquit) felicitatis nomen Appij fuit. Qui & uiam muniuit, & aquam Appiam deduxit. Et Cicero pro Milone: Hoc enim ſaepe ab iſtis dicitur, perinde quaſi Ap. ille Caecus uiam munierit, non qua populus uteretur, ſed ubi impune ſui poſteri latrocinarentur. Huius uiae praeter hos meminerunt idem Cicero alibi ſaepius, Diodorus Siculus, Strabo, Pomponius, Euſebius, Eutropius, Caßiodorus, Beda, & plerique ueteres ſcriptores. Eam, ut prodit Dio, reſtituit Traianus, dißiccatisque paludibus Pontinis, exciſis colli-

bus, aggeratis uallibus, saxis constratis, ac pontibus extructis permeabilem fecit. Antoninus quoq; Pius imp. Capuã uersus eã restituit, ut inscriptio pontis supra Vulturnum amnem demonstrat. Eam accurate sane describit libro primo de bello Gothico Procopius. Tum ille (inquit) uia Latina exercitum duxit, Appia ad laeuam dimissa, quam Appius censor nongentis ante annis construxerat, exque se illi indiderat nomen. Appiae uiae longitudinem quinque dierum spacio emetiri expeditus uir aliquis poterit, ab urbe Roma haec Capuam pertinet, sed ea latitudine patet, ut plaustra duo ex aduerso inuicem occurrentia libere hac queant peruadere, & sane haec est praeter ceteras omnes uia quidem spectatu dignissima. Appius siquidem ex alia & longinqua tunc regione (ut reor) excisos lapides, et hos quidem siliceos, ac suapte natura durissimos, in hanc uiam uehendos curauit; quos complanatos, & leues postea redditos, quadratosque circumcidendo factos, inuicem collocauit, metalli nihil, uel rei alterius interserendo. Hanc uiam intra urbem principium habuisse haud procul a Piscina publica, demonstrat Spartianus in uita Getae, quũ ait: Occisus Geta illatus est maiorum sepulchro, hoc est Seueri, quod est in Appia uia euntibus ad partem dextram, specie Septizonij extructum, quod sibi ille uiuus ornauerat. Hoc autem sub Palatio fuisse demonstrat idem Spartianus in Seueri uita: Quũ (inquit) Septimius Pertinax Seuerus Septizonium faceret, nihil aliud cogitauit, quàm ut ex Africa uenientibus suum opus occurreret; & nisi absente eo per praefectum urbis medio simulachrum eius esset locatum, (additũ Palatinis aedibus id est) regium atrium ab ea parte facere uoluisse perhibetur. Quod etiam post Alexander, quum uellet facere, ab haruspicibus dicitur esse prohibitus, quum hoc sciscitatus non litasset. Eius Septizonij adhuc pars superest cum hoc epigrammate

G.TRIB.POT.VI.COS.FORTVNATISSIMVS
NOBILISSIMVS.QVE

Porro paulo extra portam Capenam, uia Appia fuit elegans et magnum Martis templum, quod Martis extramuranei diceba=tur, de quo ſic Liuius: Quum omnes extra portam Capenam ad Martis aedem conuenire iuniores armatos iußiſſet. Et alibi: Semitamque ſaxo quadrato ad Martis aedem a Capena porta ſtrauerunt. Idem alibi: Viam cenſores ſternendam a porta Ca pena ad Martis templum locauere; & Ouidius

Lux eadem Marti feſta eſt, quam proſpicit extra
Appoſitum rectae porta Capena uiae

Hoc templum a Sulla Felice reſtitutum, ampliatumque, ac ſu=pra C. columnas poſitum ferunt. Iuxta hoc templum extra portam Capenam, ut refert Sex. Pompeius, erat manalis la=pis, quem cum propter nimiam ſiccitatem, in urbem deferrent, ſequebatur ſtatim pluuia, eumque quod aquas manaret, mana=lem lapidem dixere. Martis ſignum uia Appia Cn. Seruilio. C. Flaminio cos. ſudaſſe teſtatur Liuius. In eadem uia, fuit Bonae deae ſacellum, apud quod P. Clodius a Milone, ut refert Pedia nus interfectus eſt. Vicus etiam, & aedes Camoenarum extra eandem portam fuerũt, quae a M. Fuluio Nobiliore cõdita eſt; in qua fuiſſe ſtatuam Attij poëtae, ita prodit Plinius: Nota=tum ab auctoribus, & L. Attium poetam in Camoenarum ae=de maxima forma ſtatuam ſibi poſuiſſe, quum breuis admodum fuiſſet. Via quoque Appia fuerunt aedes Honoris & Virtu=tis, item Tempeſtatis dedicatae a M. Marcello, ut referunt Va=lerius Maximus, & Ouidius. Cicero in L. Piſonem. Et Pedia=nus: M. Marcellus nepos eius Marcelli, qui bello Punico ſecun do Syracuſas uicit, & quinque conſulatus adeptus eſt, qui nau=

fragio ad Africam perijt, paulo ante coeptum bellum Punicū tertium; Idem cum statuas sibi, patri, auoque poneret in monumentis aui sui, ad Honoris & Virtutis aedem, scripsit III. MARCELLI. NOVIES. COS. fuerat aūt auus eius quinquies, pater semel, ipse ter; itaque neque mentitus est, & apud imperitiores patris sui splendorē auxit. Extra Capenam lapide II. fuit templum Ridiculi, ibi excitatum quod eo loco Hannibal castrametatus, retrocesserit illusus. Hac uia erant horti Terentiani XX. iugerum, item adhuc supersunt reliquiae cuiusdā circi, prope templum S. Sebastiani, quem Antonini Caracalli fuisse plerique, sine certa tamen auctoritate, tradunt. Fuit quoque hac uia locus Mercurio sacer, & aqua Mercurij dicta, ad quam quum populus conuenisset, unusquisque lauri ramo alterius caput ea adspergebat aqua Mercurium inuocantes, qua lustratione periuria dilui credebant. Hinc Ouidius sic inquit

Est aqua Mercurij portae uicina Capenae
Si iuuat expertis credere numen habet. & reliqua

Fuere uia Appia tabernae Caediciae, de quibus Sex. Pompeius sic: Caediciae tabernae in uia Appia, domini nomine sunt uocatae. Item lucus Egeriae, quem Camoenis Numa sacrauit. Forum quoque eiusdem cum uia nominis, & tres tabernae, de quibus Cicero ad Atticum meminit, & D. Lucas in actis apostolorum. Fuit hac uia monumentū Basilij; de quo Pedianus in Miloniana: Via Appia est prope urbem monumentum Basilij, qui locus latrocinijs fuit per quam infamis. Multa demum in hac uia fuerunt nobilissima sepulchra, quarum uestigia adhuc supersunt, quod etiam significat Cicero quum ait: An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorum sepulchra uides, miseros putas illos? Quae omnia quum suis ornamentis, & titulis praeter unum spoliata sint, quorum fuerint ignorantur. Vnum autem ex ijs adhuc in

tegrum

tegrum parum ultra Caracalli circum, diciturque caput Bouis, adhuc superest, habetque hanc inscriptionem

CAECILIAE
Q. CRETICI. F
METELLAE. CRASSI

Haec autem fuit Craßi diuitis, qui contra Parthos bello periit, uxor. Fuit quoque in hac uia sepulchrum Horatiae sororis Horatii illius, qui ex Tergeminorum pugna superstes, ipsam necauerat. Item ad quintum lapidem sepulchrum Q. Caecilii auunculi Pomponii Attici fuit, in quo ipsum Atticum sepultum fuisse scribit Cornelius Nepos in eius uita. Ad nonum lapidem hac uia eodem sepulchro conditi sunt Gallienus imperator, & Seuerus Caesar Galerii sororis filius a Maxentio occisus, ut auctor est Sex. Aurelius Victor. Item tumulatus est in eadem Thessalus Neronis medicus, ut ait libro XXIX. Plinius. In hac ipsa uia fuit sepulchrum corui auis, ut idem Plinius refert, qui duorum Ethiopum humeris elatus est, praecedente tibicine, & praelatis coronis omnium generum, de qua alite libro X. miranda refert. Cicero etiam Archiam poetam gentilibus Scipionum monumentis, hac uia sitis conditum fuisse scribit. Et Liuius Africanum (inquit) alii Romae, alii Linterni & mortuum & sepultum, utrobique monumenta ostenduntur, & statuae, nam & Linterni monumentum, monumentoque statua super imposita fuit, quam tempestate disiectam nuper uidimus ipsi. Et Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, duae P. & L. Scipionum esse dicuntur, tertia Q. Ennii poetae. XLV. tamen libro Linterni esse sepultum asserere uidetur. Quod & Strabo affirmat his uerbis: Prope mare post Sinuessam Linternum oppidum est, ubi

prioris Scipionis cognomento Africani ſepulchrum iacet; ibi enim extremam conſumpſit aetatem. In Ennij uero poetae ſtatuae baſi, cuius ex Liuio modo meminimus, haec fuerunt incarina

ASPICITE.O.CIVES.SENIS.ENNI
IMAGINIS . FORMAM
HIC.VOSTRVM.PANXIT.MAXVMA
FACTA . PATRVM
NEMO.ME.LACRVMIS.DECORET
NEQVE.FVNERA.FLETV
FAXIT.CVR.VOLITO.VIVVS
PER.ORA.VIRVM

Ab urbe Neapolim uſque ſic uia Appia producta erat, ut ex Antonini Pij itinerario liquet

Ab urbe Albanum, &
Ariciam
Tres tabernas
Appi Forum
Priuernum
Terracinam
Fundos
Formias
Minturnas
Sinueſſam
Capuam
Nolam
Neapolim
Nuceriam
Salernum
Ad Calorem &c. uſque
Brunduſium

De tribus uijs Traianis

Appiae uiae pars uerſus paludes Pontinas a Traiano reſtituta, ut refert Dio, Traiana appellata eſt, de qua P. Victor memi

meminit. Extat ſane argenteus Traiani nummus cum hac inſcriptione

VIA.TRAIANA

De reliquis uero duabus Traianis, nihil certi quod afferam habeo, praeter ſuperius citatam Auximatem inſcriptionem, quae trium uiarum Traianarum meminit

De uijs Numicia,& Setina

Via Numicia Appiae uicina fuit teſtimonio Horatij libro primo Epiſtolarum

Brunduſium Numici melius uia ducat an Appi

Prope uiam Appiam, fuit etiam Setina, quae in eam incidebat, a Setia urbe Campaniae nominata, de qua P. Victor

De uia Domitiana

Viae Domitianae in Campania Neapolim uerſus, meminit Statius Papinius in proemio IIII. libri Siluarum, quum ait: Tertio uiam Domitianam miratus ſum, qua grauiſsimam harenarum moram exemit, cuius beneficio tu quoque maturius epiſtolam meam accipies, quam tibi in hoc libro a Neapoli ſcribo. Eam uero in Appiam incidiſſe his uerſibus refert

VIA.DOMITIANA

Quis duri ſilicis, grauisque ferri
Immanis ſonus aequori propinquum
Saxoſae latus Appiae repleuit? &c.

De viis Asinaria, & Ardeatina

Viam Asinariam inter Latinam, & Ardeatinam fuisse refert Sex. Pompeius ijs uerbis: Cato in ea quam scribit oratione, quum edissertauit Fuluij Noblioris censuram, significat aquam eo nomine quae est supra uiam Ardeatinam, inter lapidē secūdum & tertium, qua irrigantur horti infra uiam Ardeatinam, & Asinariam, usque Latinam. Quum autem Ardeatina esset inter uiam Ostiensem, & Appiam, & post Appiam Latina, oportuit inter has Asinariam positam esse. Post Asinariā erat uia, quae ab Ardea, quo protendebatur, Ardeatina dicta est. Haec intra urbem sub Auētino iuxta Thermas Antoninianas principium habebat

De Via Laurentina

Et haec prope Auentinum incboabat, Laurentum usque, a quo nomen accepit deducta, de qua Ouidius II. Fastorum

Est uia quae populum Laurentes ducit in agros

A. Gellius libro X. hanc uiam inter Ardeatinam & Ostiensem ponit, Laurentinamque & Ostiensem uias tanquam propinquas inter se coniungere uidetur. Plinius iunior (cuius in epistolis frequentem mentionem facit) in epistola quadam libri II. ad Gallum: Miraris (inquit) cur me Laurentinum, (uel si mauis) Laurens meum tantopere delectet, desines mirari, quū cognoueris gratiam uillae, oportunitatem loci, littoris spacium. Decem & septem millibus passuum ab urbe secessit, ut peractis quae agenda fuerint, saluo iam & composito die, possis ibi manere, aditus non una uia, nam & Laurentina & Ostiensis eodem ferunt, sed Laurentina a XIIII. lapide,

de, Ostiensis ab XI. relinquenda est. Vtrinque excipit iter ali qua ex parte harenosum, iumentis paulo grauius & longius, equo breue & molle. In hac uia Augustus Caesar ancillae suae quinque liberos uno partu enixae monumentum fieri iussit, ut prodit Gellius libro X.

De porta, & via Ostiensi

Nouissima citra Tiberim porta, quae nunc S. Paulli a proximo templo dicitur, antiquitus Trigemina dicebatur, quod ea contra Curiatios Tergemini Horatij egressi sint, quamquã is qui superstes fuit, porta Capena redierit. Haec antiquitus ad Auentini radices non longe ab aede S. Mariae in Cosmedin, uel Scholæ Graecæ ut refert Liuius, fuit: qui ait: Aediles extra portam Trigeminam in Auentinum porticum strauisse. Et quũ bello Punico secundo, Romae ortum incẽdium narrat, hoc idẽ innuit: Quod incẽdium omnia aedificia quae erant in uico Iugario, sub Capitolio, Aequimeliũq; comprehendit, mox extra Carmentalem portam, per ripam Tiberis in Fortunae, ac Matutae tẽpla debacchatum est, usque ad portam Trigeminam. Et Frontinus: Ductus aquae Appiae habet longitudinem a capite usque ad Salinas, qui locus est ad portam Trigeminam. Et alibi: Cacus habitauit locum ubi Salinae nomen, & ubi Trigemina porta. Multa demum huius portae apud ueteres auctores mẽtio est. Quam eo loco olim fuisse satis liquet. Recepto autem intra pomerium Auentino ab imp. Claudio, ad radices eiusdem mõtis, ubi Testacij planicies primum ingredi incipit, translata est. Postremo a Belisario eò ubi nunc est, locata fuit. Quae à uia ab Ammiano Marcellino, Procopio, & ceteris eius aetatis scriptoribus, etiam Ostiensis appellatur. Extra hanc portam quandã quoq; porticũ fuisse refert in libris de bello Macedoni

co Liuius quum ait: Aediles alteram porticum extra portam Trigeminam inter lignarios fecisse. Plinius quoque scribit extra hanc portam populum Romanum statuam posuisse Minucio Augurino, qui ad assem pretium farris redegerat. Extra hanc etiam tenues stipem petere solitos significat Plinius libro XXXIIII. inquiẽs: Extra portã Trigeminam unciaria stipe collata: Et alludit eodem Plautus in Captiuis, apud quem sic loquitur parasitus

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet
Quod mihi ne eueniat nonnullum periculum est

Ab hac porta initium habuit uia non admodum longa, quae quod Ostiam duceret, Ostiensis uocitata est. In qua ad XII. lapidem diuerticulo a milliario VIII. in agro Solonio, Pomonal fuisse scribit Sex. Pompeius: de quo agro Cicero ad Atticum mentionem facit. Huius uiae frequens mentio est apud Procopium in libris de bello Gothico. Eius quoq; meminit Neapolitana inscriptio, quam superius quum de uia Campana uerba facerem, adposui

De portis Transtiberim, & primo de Portuensi porta, & via

Portam, quae nunc Portuensis dicitur, quod ad Portum Romanum perducat, antiquitus Naualem dictam fuisse a proxima nauium statione, docet Sex. Pompeius: Naualis (inquit) porta a uicina naualium dicta. Ab hac exijt uia quae Portuensis appellata est. Haec ad Portũ Ostiensem totius orbis amplissimum ducebat. Ante Claudij uero tempora, qui hunc Portum excitauit, quo nomine uocaretur, non inueni. A Procopio, & eius aetatis scriptoribus Portuensis uocitatur. Per hanc uiam secundum Tiberim fuerunt horti Caesaris dictatoris

De porta Ianiculensi, alias Pancratiana, & via Vitellia

Quo nomine apud antiquos uocaretur porta quae in dorso Ianiculi est, atque nunc a proximo templo S. Pancratij appellatur, hactenus non inueni. Ego eam a Ianiculo, quum alium nomen non habeam, sicut & pons, Ianiculensem uocatam fuisse existimo. Cuius portae multa mentio est apud Procopium, quam modo Pancratianam, modo S. Pancratij nominat. Inter haec (inquit) Beßas qui Praenestinam portam custodiendam acceperat, ad Belisarium misit, qui nuntiaret teneri ab hostibus urbem, per portam aliam introgreßis, quae supra Tiberim est, & S. Pancratij dicitur. & ceter. Et paulo post: Ad portam uero Pancratianam quae Transtiberim est, quum hostiũ copiae peruenißent, ob loci difficultatem nihil per eos gestum memoria dignum est, namque locus accliuus, & ea e regione murus ad inuadendum difficilis. Hanc autem portam Aureliam non fuiße, ut omnes fere ueteres antiquarij affirmarunt, paulo post ostendam. Ab ea autem exibat uia Vitellia, de qua Tranquillus: Indicia Vitelliae stirpis diu mãsisse constat. Viam Vitelliam ab Ianiculo usque ad mare, itemque coloniam eiusdem nominis. &c.

De porta Septimiana

Tertiam & ultimam Transtiberim portam, quae nunc Septimiana dicitur, Fontinalem priscis temporibus dictam fuiße, aliquot ueterum scriptorum auctoritatibus demonstratur. Sex. Pompeius. Fontinalia(inquit) fontium sacra, unde & Romae Fontinalis porta. Liuius quoque; Aediles alteram porticum ad

portam

portam Fontinalem, ad Martis aram, qua in campos iter esset perduxere. Per campos autem Vaticanos intelligit ex eo quod Plinius scribat Vitellium CC H-S condidisse patinam cui faciẽdae fornax in campis exaedificata erat; Videmusque etiam nunc in campis Vaticanis fornaces esse, eamque terram argillam esse, ad fictilium fabricam commodissimam. Cicero: Campum (inquit) Vaticanum fieri quasi Martium Campum. Hanc autem quidam eandem esse cum Capena dixerunt, sed Liuius primo, & tertio de bello Punico II. de Capena; quinto uero & XXX. de Fontinali ita loquitur, ut diuersas eas esse oporteat. De hac mentio est in uetusto hoc epigrammate ita

DIS . MANIBVS
A . APIDI
MAIIORIS
TABELLARI
A . PORTA
FONTINALI

Haec postea ab imp. L. Septimio Seuero, Septimiana appellata est. Ait enim Spartianus ipsum extruxisse thermas in Ianiculo ad portam sui nominis. Ibi quoque erat Ianus Septimianus, cum ara, quae non paruum huius rei argumentum sunt. Porro autem ab hac porta initium habebat uia incerti nominis, quae in triumphalem non longe a basilica S. Petri incidebat

De eo murorum urbis ambitu, qui erat prope molem imp. Hadriani Augusti, & de porta Aurelia

Quum a Procopio porta Aurelia haud procul ab Hadriani ponte, & sepulchro; Triumphalisq; iuxta pontē & uiam sui nominis eadem regione a Tranquillo, & Iosepho fuisse referantur, necesse fuit aliquam Leonianae urbis, quae nunc Burgus S. Petri dicitur, partem, antiquis Romanis moenibus cinctam fuisse, alioqui urbs uno ponte & duabus portis eò trās mittentibus hostium incursionibus peruia fuisset. Quātum autem coniectura consequi potui, ex ueterum auctorum sententijs, & ijs quae nunc supersunt uestigijs, murum urbis tunc sic fuiße crediderim: Ab una parte Tiberim uersus, muri principium erat, haud longe ab Hadriani sepulchro, & ponte Aelio, qui in eum desinebat, e regione uidelicet aedis S. Mariae Transpontinae, qui mox producebatur uersus locum illum, ubi nunc est porta S. Angeli moli ipsi uicina, deinde deductus paulo infra medium Burgum (ut uocāt) gyrabat uersus Xoenodochium S. Spiritus, atque ad eius portam prope Tiberim terminabatur, Basilica principis Apostolorum, eaque montis Vaticani, quae nunc muro clausa est, parte exclusis: atque hac ratione duas comprehendebat portas, alteram quidem Triumphalē e regione eius pontis, cuius nunc pilas et uestigia prope S. Spiritus aedem in Tiberi uidemus; alteram uero Aureliam uocatam, quae prope eiusdem Hadriani sepulchrum fuit, quàque iter erat ponte ipso triumphali. Quo modo uero sepulchrum Hadriani muris annexum fuerit, paulo post ex Procopio aperiam. Aliquando autem mihi in mentem uenit Triumphalē portam, diu ante usum amisisse, Aureliamque solam eò portam fuisse,

ſe, donec ampliatis a Leone IIII. muris uſum & nomen & ipſa amitteret. Nam Procopius nõ omiſiſſet mẽtionem facere de Triumphali, in ea quam deſcribit urbis oppugnatione, ſi eo tẽpore fuiſſet, quum Aureliae non omittat; ea enim parte Gothi maxime in obſidione laborarũt, unde illum crebrius locorũ illorum meminiſſe oportuit. Adde quod ſi Triumphalis porta eo tempore fuiſſet, non XIIII. portas, ut ſcribit Procopius, tunc circumiectus urbi murus; ſed XV. habuiſſet, nam Aurelia XIIII. eſt decem enim portae urbis, IIII. uero Tranſtiberim fuerunt. Quae omnes praeter hãc Aureliam, ad noſtrã uſque aetatem perdurarũt. Porro autem ex Aureliae portae deſcriptione, quam Procopius facit, egoque hic ſubijciam; locum portae, murorum ambitum, & quale fuerit Hadriani ſepulchrũ cognoſcemus. Gothi (inquit) ſeptima caſtra extra fluuiũ Neronianis in campis fixere, ita ut caſtris omnibus eſſet pons intermedius, unde peractum, ut & portae aliae duae infeſtae ab hoſte eſſent; Aurelia ſcilicet, quae S. Petri, ut ei templo propinquior, nuncupatur, & altera quae Transflumen eſt ſita. (intelligit autem S. Pancratii.) Quibus uerbis eas diuerſas fuiſſe liquet. & alibi: Dum haec peraguntur Aurelianam portam, ex altera parte Gothi hoc modo inuadunt; Hadriani Romanorum quondam imp. ſepulchrum extra portam Aureliam extat, & ad lapidis iactum a moenibus procul extructum, ſpectatu procul dubio dignum: Pario namque ex lapide aedificatum eſt, ſaxa quadrata illi inuicem nexa, alia nulla intermixta materia, & quaternis partitum pari dimenſione lateribus, tam porrectis in latitudinem, ut iactus ex angulo lapis, alterum fere pertingat, altitudine autem haec urbis moenia ſuperant; ſtatuae quoque ex eodem pario marmore uirorum, equorumque miro artificio factae deſuper inſident. Sepulchrum id priſci homines illi, quum uelut moles et arcis in ſpeciem urbi impoſitum uide-

uideretur, brachiis duobus a moenibus ipsis ad sepulchrum id usque porrectis, inaedificatisque complexi sic sunt, ut murorum sit perinde pars quaedam effectum, apparet namque altissimae id turri persimile, & ea e regione imminet portae. Erat itaque peroportunum & munitissimum eo loco praesidium. Cuius custodia per Belisarium tradita Constantiano obtigerat, cui iniunctum, ut & contigui muri curam susciperet asseruandi, ut leuiori & non magni momenti custodia indigentis, si quidem ea ex parte haudquaquam murus flumine subterlabente poterat oppugnari. Constantianus autem, quum ei nuntiatur, hostes transitum per flumen tentare, muro illi diffisus, qui ad fluuium erat, cum paucis ipse statim opitulatum contendit, maiore militum multitudine iussa portam in primis, & in sepulchro ipso praesidium diligentius custodire. Gothi interea Aureliam portam, Hadrianique molem sine ullis machinationibus confestim inuadunt, scalas tamen ingenti manu inferētes, multitudine sagittarum immissa, facile in dubium hostes deducere, & trepidationem inferre, atque adeo ut paruo molimine prae custodum paucitate, potiri se praesidio posse existimarent. Praelatis itaque scutis Persicis, nihil inferioribus ad moenia succedebant, & hostes frustrati quam proxime subierunt. Sub porticum nāque ad sacram beati Petri apostoli pertinentem tum aedem, latitātes hi uenerant. Inde quum de improuiso comparuissent, rem ita aggrediuntur, ut nec balista quidem Romani custodes uti in hostes possent, non enim in nimium subeuntes telum immittere, tormentum ue poterant, nec illis ut scutatis obesse. Sed postquam ualidius Gothi incubuere, & creberrima sagittarum immissione propugnacula infestando admoturi iam erant aedificio scalas, undequaque fere circumuentis iam omnibus, qui de mole pugnando se tuebantur. Aliquandiu Romanis iniectus est terror, de salute iam

iam desperantibus, quando quidem se se ac moenia defensare ut erat necesse, haud quaquam iam poßent, communi tamẽ consensu, diffractis marmoreis illis uastisque simulachris, ex eorum fragmentis ingentia saxa in hostium capita superne deuoluunt, Gothi uero perculsi oppugnationem remittunt, iisque sensim cedentibus, uictoria potiti Romani, hos demum ut uictos propellunt. Iamque & Constantianus perterrefactis, fugatisque qui transitum fluminis pertentassent, redierat, non enim praesidium illud hostes, ut ipsi rebantur neglectum prorsus, uel incustoditum inuenerant. Itaque factum ut circa Aureliam portam omnia in tuto iam essent. Ad portam uero Pancratianam quae Transtiberim est, ob loci difficultatem nil memoria dignũ ab hostibus gestum est. &c. Hactenus Procopius. Pontis autẽ Aeli, & eius sepulchri meminere Dio, & Spartianus in Hadriani imp. uita. Portam uero Aureliam, uel a via eius nominis, quae per eam exibat, uel a tribunali Aurelio, nomen accepit, de quo Cicero mentionem facit sic in L. Pisonem; Persequente connexos his funeribus dies, pro Aurelio tribunali, ne conniuente quidem te, quod ipsum etiam scelus. &c. Quae postea locum cum nomine amisit Leonis IIII. Papae pontificatu, quando is prolatis muris Vaticanum & Basilicam S. Petri apostoli cinxit

De uiis Aureliis duabus

Via Aurelia uetus ab hac porta exiens per maritima Tusciae ora, agros, & siluas Pisas usque extendebatur. Hanc quidam Consularem, & Traianam aliquando dictam fuiße nullo adducto ueteri testimonio, scribunt: eamque ab Aurelio uiro consulari denominatam ferunt. Alij uero ab Aurelio tribunali prope eiusdem uiae principia collocato dictam autumant. De quo

quo Cicero mentionem facit, quum dicit, se homines in tribunali Aurelio palam conscribi, centuriarique uidisse. De hac uia idem Cicero Philippica XII. Tres uiae sunt ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Caßia. Et in Catilinam. Eutropius quoque: Etruriae (inquit) per Aureliam usque ad alpes maritimas ingentes agri sunt, hique fertiles & siluosi. In hac uia fuerunt priuati horti Galbae imperatoris, ubi ipse (ut refert Tranquillus) sepultus est. In hac, ut in Flaminia, Appia, Latina, & alijs uijs, plurimi loculi, urnae, & antiqua sepulchra uetustate fere consumpta adhuc uidentur. Inueni autem in antiqua marmorea inscriptione mentionem fieri uiae Aureliae sic

. . . .

M.F.GAL.PRIMVS.X.VIR.STL
IVD.TRIB.LEG.VII.GEM.FELICIS
HISPAN.CITERIORIS.Q.VRBANO
AEDILI.CVRVL.PRAETORI.CVRAT
VIAE.AVRELIAE.PRO.COS.LY
CIAE.PAMPHILIAE.COS
POLIMVS.LIB

Item in alia uiarum Aureliae, ueteris & nouae, quarum altera forte ab auctore, altera a reparatore dicta fuit. Lapis est Tibure, quem paulo post adponam. Haec uia ab urbe exiens Arelatem, usque sic producta erat, ut ex itinerario Antonini Pij concinnaui

A Roma	Martham
Loriam	Forum Aureli
Ad Turres	Cosam
Pyrgos	Ad lacum Aprilem
Castrum nouum	Salepronem
Centum cellas	Manlianam

H Popu-

Populoniam
Vada Volaterrana
Ad Herculem
Pisas
Papirianam
Tune
Boaceas
Bodecias
Tecolata
Delphinas
Genuam
Libanum
Dertonam
Aquas
Crixiam
Canalicum
Vada Sabatia
Pollupue
Albingaunum
Locobormanum
Costa ballenae
Albintimilium
Lumonem
Alpes summas
Arelatem

De vijs Cornelia, & Triumphali

Viam Corneliam, cuius non nisi in marmoreis inscriptionibus, & apud P. Victorem mentionem extare uidi, mediam inter Aurelias & Triumphalem hac regione fuisse ex ijs inscriptionibus conijcio Romae in domo Caesia

C. SALLIO. ARISTAENETO. C. V
SEPTEM. VIRO. EPVLONVM
SODALI. AVGVSTALI. IVRIDI
CO. PER. PICENVM. ET. APVLIAM
CVRATORI. VIARVM. AVRELI
AE. CORNELIAE. TRIVMPHALIS
PRAETORI. K. TVTELLARIO. QVAESTORI
DESIGNATO. ET. EODEM. ANNO. AD. AEDI
LITATEM. PROMOTO. X. VIRO
STILITIB. IVDICAND. ORATORI. MAXIMO
DECVRIONES. ET. PLEBS. COLONIAE
ASCVLANORVM. ANCONITANORVM
PROPTER. HVMANITATEM. ABSTINEN
TIAM. EFFICACIAM

Item Tibure in pariete aedis S. Paulli

C . POPILLIO . C . F . QVIR . CARO
PEDONI . COS . VII . VIRO . EPVLON
SODALI . HADRIANALI . LEGATO
IMP . CAESARIS . ANTONINI . AVG
PII . PROPR.GERMANIAE. SVPER.ET.EX
ERCITVS.IN.EA. TENDENTIS . CVRATOR
OPER.PVBLICOR.PRAEF. AERAR . SATVR
CVRATORI.VAR.AVRELIAE. VETERIS. ET
NOVAE . CORNELIAE. ET . TRIVMPHALIS
LEGATO . LEG . X . FRETENSIS
A.CVIVS.CVRA.SE.EXCVSAVIT. PRAETORI
TRIBVNO.PLEBIS.Q.DIVI.HADRIANI.AVG
IN.OMNIBVS. HONORIBVS. CANDIDATO
IMPERATOR.TR . LATICLAVIO . LEG . III
CYRENAICAE . DONATO . DONIS . MILI
TARIBVS.A.DIVO.HADRIANO.OB
IVDAICAM.EXPEDICTIONEM . X . VIRO
STLITIBVS . IVDICANDIS . PATRONO
MVNICIPI.CVRATORI.MAXIMI. EXEMPLI
SENATVS . P . Q . TIBVRS
OPTIME. DE.REPVBLICA.MERITO

De via Triumphali

Via Triumphalis initium habebat a ponte, cuius nunc uestigia, & pilas medio Tiberi uidemus prope Xoenodochium S. Spiritus, qui a P. Victore Triumphalis, sicut & uia appellatur; haec deinceps pone basilicam S. Petri, & obeliscum, qui uulgo la Guglia dicitur, protendebatur; ubi adhuc multi silices eius uiae strati uidentur. Hanc autem uiam S. Hieronymus, &

Damasus papa in uita S. apostolorum principis Petri Triumphalem uocant, prope quam in Vaticano eundem apostolum cruci affixum, & sepultum fuisse scribunt; ubi postea in eius honorem maximum ab Augusto Constantino templum conditum est. Ab hac uia, porta de qua mox loquar Triumphalis uocitata est

De via Aemilia Scauri

Viae Aemiliae alterius quae Scauri dicebatur, meminit Strabo ijs uerbis: Hic ille Scaurus, qui per Pisas & Lunam usque Sabatios uiam strauit Aemiliam, hinc per Dertonam. & cetera

Hanc uiam M. Aimilius Scaurus, qui consul, censor, & princeps Senatus fuit, de hostium manubijs strauit, triumphauit enim de Gatisceis, & Liguribus, quos bello uicerat, & magnis cladibus afflictos, in populi Romani ditionem redegerat. De ea praeterea nihil compertum habeo

De vijs Pompeia, & Domitia

Viae Pompeiae in Sicilia, Cicero contra Verrem meminit. Viae quoque Domitiae in Gallia, idem pro M. Fonteio mentionem facit

De reliquis vijs extra vrbem quarum loca ignorantur

Referuntur a P. Victore, in libello de regionibus urbis Romae uiæ Patinaria, et Tiberina, forte quod esset prope Tiberim dicta; Gallica, & Gallicana, quod in Galliam ducerent; Laticulensis, & Flauia. Quarum adhuc loca uel situs inuenire nõ potui

De mancipibus viarum

Curatores uiarum uectigalia earundem certis hominibus locabant, quae qui redimerent mancipes sunt dicti, unde mancipum fraude, & magistratuum incuria uiae saepe interruptae, & imperuiae factae sunt, de qua re conqueritur Cornelius Tacitus. De *eiusmodi mancipe est* Romae *in domo* Cardinalis Carpensis *haec inscriptio*

D . M . S
CN . CORNELIO
CN . F . SAB
M V S A E O
MANCIPI.VIAE.APPIAE
HERENNIA.PRISCILLA
C O N I V G I
BENE . MERENTI
F E C I T

Mancipes quoque, ut in diuinatione scribit Asconius, *fuerunt publicanorũ principes,* Romani *homines, qui quaestus sui caussa, si decumas redimerent decumani appellabantur; si portum aut pascua publica; portitores, aut pecuarij; quorũ ratio scriptura dicebatur.* Hi *omnes exigenda a socijs suo periculo exigebant, & reipublicae repraesentabant, prouidentes tamen in illa redemptione commodis suis.* Licebat *autem si moderate fiat aestimare in cellam praetori frumentum, mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere nõ licebat.etc.* Viarũ *munitio ac restitutio antiquis* Romanis *maximae curae fuit, atque in primis* C.Graccho, *ut* Plutarchus, *item ex imperatoribus* Augusto, *ut* Tranquillus, Tiberio *ut* Tacitus, Vespasiano *ut*

Sex. Aurelius, Traiano ut Dio tradidere; probantque hae marmoreae inscriptiones antiquae. In Capitolio sub porticu Palatij conseruatorum urbis

IMP. CAESARI
VESPASIANO. AVG
PONT. MAX. TR. POT. III
IMP. IIX. P. P. COS. III. DES. IIII
S. C
QVOD. VIAS. VRBIS. NEGLEGENTIA
SVPERIORVM. TEMPORVM
CORRVPTAS. INPENSA. SVA
RESTITVERIT

Item Allifis in angulo parietis cathedralis Ecclesiae

IMP. CAESAR. M. AVRE
LIVS. ANTONINVS. PIVS. FE
LIX. AVG. PARTHIC. MAX
BRITANNICVS. MAXIMVS. P. M. P. P
COS. III. DES. IIII
VIAM. INVNDATIONE. AQVAE
INTERRVPTAM. RESTITVIT

Ad uias autem exaedificatae fuerunt aedes, domus, arcus, hippodromi, praedia, horti, tabernae, & sepulchra tanta frequentia, atque splendore, ut exterarum gentium legati per suburbana uenientes, longe ante urbis portas, iam in ipsa urbe se esse existimarent. Hae itaque sunt XIIII. *urbis portae, quae ante millesimum annum fuerunt, quaeque omnes praeter unam Aureliam, adhuc supersunt. Quibus nomina antiqua quanta maxime potui diligentia afferre curaui. Eas enim omnes antiquitus quoque ijsdem locis, uel et si ab eis procul, at tamen ijsdem*

uiis

uijs fuisse manifeste demonstraui. Quibus etiam uias omnes ex eis exeuntes, quarum apud ueteres auctores, uel antiquas inscriptiones memoriam extare uiderim, adiunxi, ut uno intuitu, & porta & uia cognosci posset. Porro autem si XIIII. his portis decem alias addiderimus, (quas forte Procopius portulas quasdam alias praeter illas XIIII. appellauit) quarum apud ueteres auctores mentio est, uerum demum erit quod libro tertio cap. V. refert Plinius; Vrbem Romam suo tempore XXIIII. portas habuisse. Quae quemadmodum urbis circuitus uarios terminos habuit, sic idem habuerunt & portae, quarum quaedam in pomerij ampliatione in media urbe remanentes, usum & nomen amisere, quadam saepe hinc inde ijsdem tamen uijs translatae, pristinum nomen retinuerunt, quaedam etiam uarijs temporibus antiquis interpositae, nouam consequutae sunt appellationem. Decem autem portarum nomina praeter ea, quae superius adposuimus, sunt haec

De porta Querquetulana

Porta Querquetularia, uel Querquetulana, de qua Plinius sic libro XVI. cap. X. Siluarum certe distinguebantur insignibus, Fagutali Ioui etiam nunc ubi lucus fageus fuit, porta Querquetulana, colle in quem uimina petebantur. Si igitur in Viminali colle extat uiminum silua a qua collis est denominatus, necesse fuit hanc portam in Viminali fuisse. In quo Varro Querquetulanum sacellum, P. uero Victor, ac Sex. Rufus lucum fagutalem ponunt. Quare etiã portam Querquetulanã eam olim fuisse portam, quae nunc clausa est, crediderim, prope Castrum praetorium, uel non longe ab eo. Quamuis non me lateat Cornelium Tacitum scribere montem Coelium Querquetulanum prius uocatum fuisse. Vtcunque autem sit, Varro-

ni, Plinio, P. Victori, & Sex. Rufo magis credendum, qui eam in Viminali fuisse uel innuunt, uel aperte demonstrant. Hãc autem eandem fuiße existimo portam, cum ea quam Sex. Pompeius Querquetulariam appellauit. Querquetularia (inquit) porta Romae dicta, quod querquetum intra muros urbis iuxta se habuerit. & alibi: Querquetulanae reputantur significare nymphae, praesidentes querqueto uirescenti, quod genus siluae indicat fuisse intra portam, quae ab eo dicta sit Querquetularia

De porta Piaculari

Piacularis (inquit Sex. Pompeius) porta Romae appellatur, propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant, uel ut ait Clo atius ex sacro per aliquẽ piaculo soluitur, aut aliqua piãdi pro pitiandique caussa immolatur

De porta Catularia

Idem Sex. ait: Catularia porta Romae est dicta, quia non longe ab ea ad placandum Caniculae sidus frugibus inimicum, rufae canes immolabantur, ut fruges flauescentes ad maturitatem perducerentur

De porta Minucia

Minucia porta Romae est appellata, eo quod proxima sit sa cello, alias arae Minucij, quem deum putabant. Auctor Sex. Põ peius. Forte de haec porta loquitur in Commodi uita Lampridius, quum ait: Herculis signum aeneum sudauit in Minucia per plures dies

De

De porta Mugiona

Idem quoque etiam Mugionae portae his uerbis meminit. Mugiona porta Romae dicta est a Mugio quodam, qui ei tuendae praefuit. Hanc non procul a uia Noua uersus Auentinum fuisse scribit Solinus

De porta Sanquali

Sanqualis (inquit Sex. Pompeius) porta appellatur proxima aedis Anci. Sanqualis autem auis nomen est, quae oßifraga dicitur. Quidam Saginalem portam ab aede Sangi legendum putant. Quod si textum aliquem antiquum adducerent, non improbarem

De porta Naeuia

Hanc, ut duas sequentes inter portam Capenam, & Tiberim fuisse, elicitur, ut etiam supra exposui, ex P. Victore, & M. Varrone libro IIII. de lingua Latina, qui de ea loquens sic ait: Sequitur porta porta Naeuia quod in nemoribus Naeuijs, Naeuius enim loca ubi ea sic dicta, coluit. Hanc omnes superioris aetatis antiquarij inepte nimium Maiorem nunc esse dixerunt

De porta Rauduscula

Deinde (inquit Varro) porta Rauduscula, quod aerata fuit. Aes raudus dictum, ex eo in ueteribus mācupijs scriptum, rauduscula libram ferito. De hac porta mentionem etiam facit Valerius Maximus lib. V. cap. VI. Dignam (inquit) pietatē, quae quod ad solidam gloriam attinet, septem regibus praefera tur,

tur, cuius testandae rei gratia capitis effigies aereae portae qua excesserat inclusa est, dictaque Raudusculana, quod olim rauda aera dicebantur. Vicum portae Raudusculanae P. Victor cum uico portae Naeuiae in regione XII. Piscinae publicae enumerat

De porta Lauernali

Hinc porta Lauernalis ab ara Lauernae, quod ibi ara eius deae fuerit. Auctor Varro

De porta Libitinensi

Portae Libitinensis meminit in Commodi imp. uita Lampridius: Galea eius (inquit) bis per portam Libitinensem elata est. Haec a Libitina dicta fuit, quod per eam cadauera mortuorum ad sepulchrum efferrentur. Libitinam autem & pro dea ipsa, & pro Libitinariorum opera accipi solet. Libitina autem dea erat in cuius templo uendebantur, & locabantur ea, quae ad sepulturam pertinebant, de qua fusius disputabo, quum ad eius templi quod Romae fuit, descriptionem deuenero

De porta Fenestrali

Fuit quoque Romae etiam porta Fenestralis appellata, de qua sic scribit Plutarchus problemate XXXV. Quid est quod portam unam Fenestram appellant, apud quam fortunae thalamus positus est? an quia Seruius rex cum secundissima fortuna rem habuisse creditus est, quum per fenestram ad eum penetraret; an hoc fabulosum, illud aũt uerum; Tarquinio Prisco Romae regnante, quum is a pastoribus esset occisus, Tanaquil eius

eius uxor, mulier ſane prudens & fortis, per feneſtram populũ allocuta, multitudini perſuaſiſſe dicitur, ut Seruium regem declararent, ex quo factum eſt, ut ille locus ita appellaretur. Et Ouidius libro Faſtorum VI

Lux eadem Fortuna tua eſt, auctorque locusquè
    Sed ſuperiniectis quis latet iſte togis?
Seruius eſt, iam conſtat enim, ſed cauſſa latendi
    Diſcrepat: & dubium me quoque mentis habet
Tum dea furtiuos timide profitetur amores
    Coeleſtemque homini concubuiſſe pudet
Arſit enim magna corepta cupidine regis
    Caecaque in hoc uno non fuit illa uiro
Nocte domum parua ſolita eſt intrare Feneſtra
    Vnde Feneſtralis nomina parta tenet
Nunc pudet & uultus, uelamine celat amatos
    Oraque ſunt multa regia tecta toga

Ceterum hanc portam non Vrbis, ſed Palatij fuiſſe crediderim. Vrbs enim Ser. Tullij regis tempore latius ſe extendebat quam ubi porta Feneſtralis fuiſſe deſcribitur

De porta Triumphali

Portam Triumphalem fuiſſe (ut exiſtimo extra ceterarum numerum Tranſtiberim) ſub Vaticano, iuxta uiam, & pontem ſui nominis docet Ioſephus libro VII. de bello Iudaico cap. XXIIII. Vbi triumphum Iudaicum Veſpaſiani imp. & T. Caeſaris deſcribit. Die (inquit) triumphi principes, qui non in Palatio, ſed prope Iſidis templum nocte illa quieuerant, prima iã aurora incipiente procedunt, lauro quidem coronati, amicti uero patria ueſte purpurea, & ad Octauianas ambulationes (porticum credo Octauiae in campo Martio ſitam intelligit) tranſeunt.

ſeunt. Ibi enim ſenatus ducum proceres, & honorati equites eorum praeſtolabantur aduentum. Tribunal autẽ ante porticus factum erat, ſellaeque eburneae in eo praeparate, quò quũ aſcendiſſent conſiderunt. Ibi quum milites allocutus fuiſſet, ſolemnibusque uotis ſuſceptis, ſoluiſſet, imp. ipſe cum Tito Caeſare, ad portam recedit quae ab eo quòd per illam ſemper triumphorum pompa ducitur, nomen accepit. Ibi triumphalibus ueſtis amicti, dijs ad portam collocatis, caeſa hoſtia inter ſpectacula tranſeuntes, triumphum ducebant. &c. Quibus uerbis conſtat eos extra urbem tum in campo Martio fuiſſe, eosq; traiecto Tiberi, per eam portam introijſſe, de qua Tranquillus quoque in Auguſti uita ſic mentionem facit cap. centeſimo: Senatus & in funere ornando, & in memoria honoranda, et ſtudio certatim progreſſus eſt, ut inter alia complura cenſuerint quidam, funus Triumphali porta ducẽdum, praecedente Victoria quae eſt in Curia, canentibus naeniam principum liberis utriuſque ſexus. Et Tacitus libro primo hiſtoriae Aug. Tum conſultatum de honoribus, ex queis maxime inſignes uiſi, ut porta Triumphali duceretur funus &c. Hanc autem portam diu ante Procopij tempora eſſe desiſſe ſuperius demonſtraui: Eratque in ea murorum urbis parte, quae ab Hadriani ſepulchro ad S. Spiritus portam olim producti erant. De hac porta ſic mentio eſt in antiqua inſcriptione

FORTVNAE . SANCTAE
ATINIA. TYRANNIS
SEMINARIA . A . PORTA
TRIVMPHALE
P.TERENTIVS.FORTVNATVS
VIR. CARISSIMVS
CVI. GRATIAS . MAXIMAS
SEMPER. EGI
CVM
TERENTIA . FAVSTINA
FILIA
DONVM . DEDIT
L.D.D.D

Ab hac porta Triumphalem uiam exijsse paulo ante explicaui Si igitur decem has portas, quas ab ijs XIIII. *diuersas fuiße liquet ipsis adiũxerimus, erũt* XXIIII. *vrbis* Romae portae, *ut* Plinium *dixiße existimo, quum ait*: Vrbs Roma *complexa est montes septem, diuiditurque in regiones* XIIII. Compita *earum*. CCLXV. *eiusdem spatij mensura currente a miliario in capite* Romani *fori statuto, ad singulas portas, quae sunt hodie numero* XXIIII. (*nam quod uulgati codices habent* XXXVII. *mendum procul dubio est ex adiectione numerorũ aliquot ortum) ita ut* XII. *portae semel numerentur, praetereanturque ex veteribus* VII. *quae esse desierunt*

De tribus alijs portis vrbis Romae

Portas autem septem, quas Plinius *suo tempore esse desijsse scribit has fuisse existimo: Primo quattuor vrbis* Romae *ueteris portas, quas* Romulum *reliquiße superius scripsi; deinde porta Saturnia, quae &* Pandana, *de qua sic* Varro *mentionẽ facit*-

facit: Capitolium, ante Tarpeius dictus, quem antea etiam Saturnium dictum prodiderunt: Et antiquum oppidum in hoc fuisse Saturniam scribitur. Eius uestigia etiam nunc manent tria, quod Saturni fanum in faucibus; quod Saturnia porta, quam Iunius scribit, quam nunc uocant Pandanam; quod post aedem Saturni in aedificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti. Et Sex. Pompeius: Pandana (inquit) porta dicta est Romae, quod semper pateret. Hanc autem sub Capitolio fuisse nō longe a templo Saturni, refert Varro. De eadem porta mentionem facit Solinus, quam prope Capitolium fuisse scribit

De portis Ratumena, & Salutari

Porta Ratumena (ut inquit Sex. Pompeius) a nomine eius appellata est, qui ludrico certamine quadrigis uictor, Etrusci generis iuuenis a veijs. Is consternatis equis excussus Romae perijt, qui equi feruntur non ante constitiße, quam peruenerint in Capitolium, conspectumque fictilium quadrigarum quæ erant in fastigio Iouis templi. Quas faciendas locauerãt Romani uenienti cuidam artis figlinae prudenti, quae bello sunt reciperatae, quia in fornace adeo creuerant, ut eximi nequirẽt, idque prodigium portendere uidebatur, in qua ciuitate eae fuissent, omnium eam futuram potentißimã. Et Plinius libro VIII. cap. XLVII: Maius auguriũ apud priscos, plebeis circensibus excusso auriga, ita ut si staret, in Capitolium cucurriße equos, sedemque ter lustrasse. Maximum uero eodem peruenisse a Veijs cum palma & corona effuso Ratumena, qui ibi uicerat, inde postea nomen portae est

Porta Salutaris appellata est ab aede Salutis, quae ei proxima est. Sex. Pompeius. Hanc autem in Quirinali fuisse constat, sicut & aedes Salutis fuit

De

De porta Stercoraria

Stercoraria uero porta non urbis ſed Capitolii fuit, de qua idem Sex. Pompeius: Stercus (inquit) ex aede Veſtae XVII. Kal. Iulias defertur in angiportum medium fere cliui Capitolini, qui locus clauditur porta Stercoraria, tantae ſanctitatis maiores noſtri eſſe iudicarunt. &c. Has igitur ſeptem portas eas fuiſſe exiſtimo, quae Plinij tempore iam eſſe deſierant Portæ autem quae nūc extāt Romae in uniuerſum ſunt XX. antiqui nominis & loci XIII. recentioris uero vrbis Leonianae uidelicet VII. de quibus paulo poſt dicam. Ad ſeptemtrionem ſunt Flaminia, & Collatina; ad ortum uernum Collina, & Viminalis; ad ortum aeſtiuum Gabiuſa, & Esquilina; ad ortum hyemalem Coelimontana, & Latina; ad meridiem Capena, & Trigemina; ad occaſum Naualis, Ianiculenſis, & Septimiana: reliquae ſeptem vrbis Leonianae ſunt. & ceter

Epilogus Portarum omnium vrbis Romae

Portae urbis Romuli IIII

Porta Mucionis, alias Trigonia
Porta Romanula, poſt Romana
Porta Ianualis, poſt porta vetus Palatij
Porta Carmentalis, poſt Scelerata, alias Tarpeia

Quattuor-

Quattuordecim portae urbis Romae; quae ante milleſimum annum, Iuſtiniani imperatoris tempore fuerunt. Quae praeter unam Aureliam, etiam nunc extant

Porta Flumentana, poſt Flaminia, nunc Populi
Porta Collatina, poſtea Pinciana
Porta Agonenſis, poſt Quirinalis, deinde Collina, po-
Porta Viminalis, nunc S. Hagnetis (ſtea Salaria
Porta Gabiuſa, nunc S. Laurentij (Maior
Porta Eſquilina, alias Labicana, poſt Praeneſtina, nunc
Porta Coelimontana, poſt Aſinaria, nũc S. Ioãnis
Porta Ferentina, poſtea Latina
Porta Capena, poſt Appia, nunc S. Sebaſtiani
Porta Trigemina, poſt Oſtienſis, nunc S. Pauli
Porta Naualis, poſt Portuenſis
Porta Ianiculenſis, poſt Pancratiana, uel S. Pancratij
Porta Fontinalis, poſt Septimiana
Porta Aurelia ꝓpe molẽ Hadriani, quæ nũc eſſe deſijt

Aliae decem portae, quae forte tempore C. Plinij erant

Porta Querquetularia, vel Querquetulana in Viminali
Porta Piacularis
Porta Catularia
Porta Minucia
Porta Mugiona
Porta Sanqualis
Porta Naeuia
Porta Rauduſcula, alias Rauduſculana

Porta

Porta Lauernalis
Porta Libitinensis (numerum
Porta Triumphalis sub Vaticano, Transtiberim extra

Tres portae, quae quattuor urbis Romuli portis additae, forte erunt illae septem, quas Plinius suo tẽpore esse desijsse scribit

Porta Saturnia, post Pandana
Porta Ratumena
Porta Salutaris in colle Quirinali
Porta vero Stercoraria nõ vrbis erat, sed Capitolij
Porta quoque Fenestralis Palatij non vrbis fuit

Portae VII. Vrbis Leonianae, alias Burgi S. Petri

Porta S. Spiritus
Porta Posterula, alias Turrionis
Porta Pertusa
Porta Palatij
Porta Viridaria, alias Iulia
Porta S. Peregrini, vel S. Petri
Porta S. Angeli prope molẽ Hadriani, alias P. Castelli

Viae antiquae Romanae extra vrbem

Via Flaminia incipit a porta Populi, Ariminum vsque progreditur
Via Aimilia Lepidi initium habet ab Arimino, Aquileiam vsque protenditur

Via Caſsia extra vrbem initium habet a Flaminia
Via Claudia, vel Clodia extra vrbẽ iungitur Flaminiæ
Via Annia
Via Auguſta } extra urbem incidunt in Flaminiam
Via Cimina extra vrbem initium habet a Flaminia
Via Amerina incipit a Flaminia, Ameriamq; protẽdit
Via Sempronia in Vmbria incipit a Flaminia (lia
Via Poſtumia in Gallia togata, haud procul ab Aemi-
Via Collatina initium habet Romae a porta Pinciana
Via Salaria exijt Romae a porta Salaria
Via Quinctia
Via Iunia } extra vrbem in Sabinis, haud longe a Salaria
Via Nomentana incipit Romae a porta S. Hagnetis
Via Tiburtina
Via Gabina } initium habent Romae a porta S. Laurentij
Via Praeneſtina
Via Labicana } Romae a porta Eſquilina, nunc Maiore incipiunt
Via Campana Romae incipit a porta S. Ioannis
Via Valeria noua
Via Valeria vetus
Via Tuſculana } prope vrbem, vel Romae initium habebant, aut a porta S. Ioannis, aut prope eandem portam a via Campana
Via Latina
Via Albana } Romae a porta Latina
Via Appia Romae a porta Capena Brunduſium uſq; (protenſa
Via Traiana
Via Numicia
Via Setina
Via Domitiana } a via, uel prope viam Appiam
Via Aſinaria inter Ardeatinam & Appiam
Via Ardeatina Romae initium habebat

Via

Via Laurentina } Romae a porta
Via Ostiensis } S.Paulli
Via Portuensis Romae a porta eiusdem nominis
Via Vitellia Romae a porta Ianiculensi, alias S. Pan-(cratij
Via Aurelia vetus } Romae a porta
Via Aurelia noua } Aurelia
Via Cornelia inter Aurelias, & Triumphalem
Via Triumphalis
Via Aimilia Scauri Pisis, per Tusciam usque Dertonã
Via Pompeia in Sicilia
Via Domitia in Gallia
Viae duae Traianae }
Via Patinaria }
Via Tiberina }
Via Gallicana } Viae incertae
Via Gallica }
Via Laticulensis }
Via Flauia }

Viae intra urbem

Via Sacra
Via Noua
Via Lata
Via Noua alia
Via Fornicata
Via Recta
Via Alta, quae & Alta semita

De uia Sacra

Sex. Pompeius, ex Verrio Flacco annotauit, in uiarum nominibus substantiuum in sermone praeponendum, ut dicatur uia Sacra, & uia Noua, non Sacra uia, aut Noua uia. Viae autem urbis interdum semitae dicebantur, ut Alta Semita, improprie uero plateae, ut ab Aelio Spartiano in Caracalli uita. De uia autem Sacra, quae inter urbanas nobilißima erat, & celeberrima, sic Varro libro IIII. scribit: Ceroliensis a Carinarum iunctu dictus Carinae, postea Cerionia, quod hinc oritur caput Sacrae uiae ab Streniae sacello, quae pertinet in arcem, qua sacra, quot quot mensibus feruntur in arcem, & per quã augures ex arce profecti solent inaugurare. Huius Sacrae uiae pars haec sola uulgo nota, quae est a foro eunti proximo cliuo. Et Sex. Pompeius: Sacram uiam quidam appellatam esse existimant, quod in ea foedus ictum sit inter Romulum & Tatiũ. Quidam quod continue utantur sacerdotes Idulium sacrorum conficiendorum caussa. Itaque neque eatenus quidem ut uulgus opinatur sacra appellanda est a Regia ad domum regis sacrificuli, sed a regis domo ad sacellum Streniae, & rursus à Regia usque in arcem, nec appellari debere ait Verrius, * Sed disiunctiue, ut ceteras uias Flaminiam, Appiam, Latinamue, ne nouam uiam quidem, sed uiam nouam. His uerbis apparet hanc uiam prope amphitheatrum principium habuisse, & per uicinos hortos S. Mariae nouae iuxta templum Pacis, & Faustinae recta in Capitolium tetendisse per arcum Seueri. In hac uia fuit Regia Numae, ut prodit Asconius. Summa quoque Sacra uia habitasse Ancum Marcium regem refert Solinus; Iuliumq; Caesarem in ea domũ habuiße, prodit Tranquillus. Per uiam Sacram triumphantes in Capitolium aliquando ascendere sole-

solebant. Vnde Propertius libro II

Actiaq; in Sacra currere rostra uia

Idem quoque docet Horatius. In eadem, ut fit animi caussa, homines deambulare solebant. Vnde Horatius in sermonibus

Ibam forte uia Sacra, sicut meus est mos

Item populo se ostentabant aurae popularis studiosi, ut de Mena Pompeij Magni liberto, idem poeta in epodis

Vides ne Sacram metiente te uiam
Cum bis ter ulnarum toga
Vt hora uertat huc & huc euntium
Liberima indignatio.

Et de puella populo se praebente Propertius

Cui saepe immundo sacra conteritur uia socco
Nec sinit esse moram, si quis adire uelit

Vitellius inter forum & uiam Sacram, tamquam celeberrima urbis loca seminudus, quum ad necem traheretur, facinorosorum & seruorum more, per contumeliam illusus & uexatus est. Tacitus libro XX

In eadem uia propter frequentiam, res uiles ueniebant, ut poma, flabella, tesserae, & thali; auctoribus Varrone, Ouidio, & Propertio

Sacrauienses et Suburanenses, qui uiam Sacram, & Suburā habitabant, nominauit Sex. Pompeius. October (inquit) equus appellatur, qui in cāpo Martio, mēse Octobri immolatur quot annis Marti, bigarum uictricum dexterior, de cuius capite nō leuis contentio solebat esse inter Suburanenses, et Sacrauienses, ut ij in Regiae pariete, illi ad turrim Mamiliam adfigerent. Eiusdemque cauda tanta celeritate perfertur in Regiam, ut ex ea sanguis distillet in focum, participandae rei diuinae gratia, quas hostias hic quidam Marti bellico deo sacrari dicunt. Hanc autem diuersam a foro fuisse docet Plinius, quum ait libro XIX.

cap.I.Caesar dictator totum forum Romanum intexit, uiamq; Sacram ab domo sua, usque ad cliuum Capitolinum, quod munere ipso gladiatorio mirabilius uisum tradunt. Templum Faustinae fuisse in uia Sacra refert Flauius Vopiscus in uita Gallieni minoris: Fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, hoc est ante Sacram uiam, intra templum Faustinae, aducta ad arcum Fabianum, quae haberet inscriptum

GALLIENO.SALONINO.MINORI

Anastasius quoque bibliothecarius refert Felicem IIII. pont. max. templum urbis Romae ante Sacram uiam uertisse, dedicasseque in basilicam SS. Cosmae & Damiani

De via Noua

Via Noua foro Romano iuncta fuit, ex Palatij parte; atq; haud longe a templo diuae Mariae Liberatricis principium habens in Velabrum desinebat. Varro: Accae Laurentiae sacrificium fit in Velabro, qua in Nouam uiam exitur, ut aiunt quidã ad sepulchrum Accae. Et Ouidius VI. Fastorum

Forte reuertebar festis Vestalibus illac
Qua noua Romano nunc uia iuncta foro est.

Et Liuius libro primo: Ex superiore (inquit) parte aedium per fenestras in nouam uiam (habitauit enim rex Tarquinius Priscus, ut Solinus ait, ad portam Mucionam supra summam nouam uiam) populum Tanaquil alloquitur. & alibi: Aedem Aijlocutij in uia Noua supra templum Vestae situm fuisse, de qua aede, quod in uia noua fuisset, mentionem facit & Varro. Ara (inquit) Aij est in infima Noua uia

De

De alia Noua via

Alterius nouae uiae ijs uerbis meminit Spartianus: Caracallus Antoninus nouam uiam muniuit, quae est sub eius thermis Antoninianis, qua pulchrius inter Romanas plateas, non facile quicquam inuenias. Sed & Frontinus, aliae uiae nouae mentionem facit

De via lata

Haec uia antiqua fuit, eamque unam ex XIIII. urbis regionibus Augustus Caesar fecit, quae hodie quoque uetus nomen retinens superest, a macello Coruorum ad columnam Antoninianam extẽsa, & nostra aetate Romae est celeberrima. Huius uiae frequens mentio est apud Bibliothecarium

De via Fornicata

Viae Fornicatae meminit Plinius, quam prope Flaminiam fuiße liquet, ea parte qua steterunt septa, & ouile

De via Recta

Via Recta ducebatur per longitudinem campi Martij. Seneca in lusu de morte Claudij: Trahit (inquit) capite obuoluto, ne quis eum possit agnoscere, per campum Martium, & inter Tiberim & uiam Rectam descendit ad inferos. Haec uia prope Flaminiam fuit, ut ait Martialis libro VIII

Dum repetit sera conductos nocte penates
Lingonus a Recta, Flaminiaque recens

De via Alta

Haec in dorso Quirinalis est ab equis marmoreis initium sumens usque ad portam Viminalem protensa, lapide quadrato olim strata atque a situ Alta semita dicta, quam Augustus unam ex XIIII. urbis regionibus instituit

De uijs uero Suburana, Piscinaria, et Aelia nihil est quod apud ueteres auctores inuentum tradere poßim

De vrbis Romae situ

Vrbs Roma (ut Dionysius prodit) in occiduis locata est Italiae partibus, iuxta amnem Tiberim, qui ad medium ferme littus effluit, centum & uiginti stadijs hoc est XV. millia passuum a Tyrreno mari distans, montes ut (inquit) Plinius septem complexa. Quare Varro diem Septimontium nominatum prodit ab eis septem montibus, in queis urbs sita est. Et alibi: Vbi nũc est Roma septem montium demißior infimus locus. Et Propertius poëta elegans

Septem urbs alta iugis toto quae praesidet orbi. Vnde & septem gemina a Statio dicitur. Hos colles Virgilius in Georgicis, & in Epithalamio Ausonius propter regias sedes aliquando in ijs constitutas, septem arces nominarunt. Virgilius enim ait

Septemque una sibi muro circumdedit arces

Nunc prolato pomerio Transtiberinisque adiunctis montibus, decem colles includit, quorum situm, quoniam quae olim ualles locaque depressa erant, propter amplißimos superaedificatos fornices, adeo montibus aequata sunt, ut aliquot montium discrimen uix agnosci poßit: uaria quoque eorum nomina, & loca circumadiacentia, unde reliquae urbis cognitio apertior fiat,

fiat, ipsorumque colium diuisio facilius cognoscatur, paucis an notare curabo. Hodie autem urbis moenibus inclusi sunt Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Coelius, Esquilinus, Viminalis, Auentinus, Collis hortulorum. Et Transtiberim, Ianiculum, & Vaticanus

Mons Palatinus

Hic, urbe in eo primum condita, Romuli sedes fuit, unde & Romulius a Trebellio Pollione dictus est. M. Varro lib. IIII. de lingua Latina. Quartae regionis (inquit) Palatium, quod Palantes cum Euandro uenerunt; aut quod Palatini, qui et Aborigines ex agro Reatino, quod appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alij a Palatia uxore Latini putarunt. Eundem hunc locum a pecore dictum putant, quidam; itaque Naeuius Palantium appellat. Huic Germalum, & Velias coniunxerunt, & in hac regione Sacriportus est. & Sex. Pompeius: Palatium mons Romae appellatus est, quod ibi pecus pascens balare consueuerit, uel quod palare, id est errare ibi pecudes solerent: quod Propertius & Ouidius affirmant. Alij quod Hyperborei filia Palanto habitauerit, quae ex Hercule Latinum peperit; alij eundem quod Pallas ibi sepultus sit, existimant appellari. Dionysius uero libro primo eum a Palantio, uel ut Liuius, & Virgilius a Palanteo Arcadum metropoli ab Euandro uocatum scribunt, post corrupte Palatium dictum. Solinus autem: Palatium uero nemo dubitauit, quin Arcadas habeat auctores, a quibus primum Palanteum oppidum conditum, quod aliquandiu Aborigines habitarunt. Sunt qui uelint eum dictum a balatibus ouium mutata littera, uel a Pale pastorali dea, aut ut Silenus probat, a Palante Hyperborei filia, quam Hercules ibidem compreßit nomen monti datum. Polybius eum a Palante Euãdri filio dictũ fuisse scribit. Nunc Palatiũ maius dicitur

tur. Huius montis pars Germali nomen habuit, alia uero Velia, in qua, ubi postea deûm Penatium aedes facta est, habitauit Tullus Hostilius rex. In hoc monte fuit sedes imperij Romani, domusque Augustana. Ab Augusto enim deinceps omnes Romani imperatores in Palatio habitauerunt. Et quia imperij sedes in eo constituta fuit, cuiusuis principis aulam, aut splendidi hominis domum, Palatium nominamus. Aulam Palatinam in qua imperatores postea habitarunt primus in domo Hortensiana instituit Caesar Augustus. Tranquillus in eius uita cap. LXXII. Habitauit (inquit) primo iuxta forum Romanum supra scalas Annularias, in domo quae Calui oratoris fuerat, postea in Palatio sed nihilominus aedibus modicis Hortensianis, & neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breues essent Albanarum columnarum, & sine marmore ullo, aut insigni pauimento conclauia, ac per annos amplius XL. eodem cubiculo hyeme, & aestate mansit. Eam domum incendio consumptam restituisse Augustum prodit idem Tranquillus cap. LVII. Ex summa stipis ei anno nouo apsenti collatae, multa in restitutionem Palatinae domus incendio absumptae contulit. Palatij partem auxit Tiberius Caesar, quae Tiberiana domus appellata est, cuius apud Cornelium Tacitum frequens mentio est. Caligula deinde, ut Tranquillus scribit, Palatij partem ad forum usque promouit, Castoris & Pollucis aede in uestibulum transfigurata. Alexander imp. diaetas in Palatio fecit, quas a matris nomine Mammaeas appellauit, ceteri praeterea imperatores Romani aliquid de nouo semper Palatio addidere, ita ut breui temporis spacio uisu augustissimū factum fuerit. Porro autem ante fores Palatinae domus erat laurus, & supra eas pendebat corona querna ciuica, quam Senatus Populusque Romanus Augusto donauit ob ciues seruatos. De qua sic Valerius Maximus libro II. cap. III. ad Ti. Caesarem

ſarem: Cèterumad quercus pronæ manus porriguntur,ubi ob ciues ſeruatos corona danda eſt, qua poſtes Auguſtae domus ſempiterna gloria triumphant. Item Ouidius, & Dio Palatium autem in ſuo ſplendore,& maieſtate uſq; ad tertij Valentiniani imp. tempora permanſiſſe, ex Sidonio Apollinare colligitur, poſt quae a regibus Gothorum imperatoribus exactis, quum habitari desijſſet,atque hinc inde ruinam minari inciperet,nec repararetur ab aliquo, immo a Romanis pontificibus ſuis ornamentis ſpoliatum fuiſſet,ad exaedificationem baſilicarum ſanctorum Chriſti martyrum,eò redactum eſt,ut hodie ſuffoßionibus,& ſubterraneis ſpecubus totus ſit quaſi penſilis, & aut ruinis deformis, aut hortis occupatus, ut nihil antiqui ſplendoris praeter ingentes parietinas retineat. Hic mons ad ortum habet Suburam,& Coelium; ad occaſum forum Romanum,& Capitolium;ad meridiem circum maximum, & Auentinum; ad ſeptemptrionem uiam Sacram, & templum Pacis

De Capitolio

Capitolium T. Tatij Sabini regis quondam ſedes, & Tarpeius,& Saturnius dictus eſt. De eo Varro ſic: Sunt & nomina (inquit) ab tot montibus, quos poſtea urbs mureis comprehendit: e queis Capitolium dictum, quod hic quum fundumenta foderentur aedis Iouis, caput humanum inuentum dicitur.(quem Tolum appellatum fuiſſe ſcribit Arnobius, atque ab eo Capitolium dictum) Hic mons ante Tarpeius dictus,a uirgine Veſtali Tarpeia, quae ibi a Sabineis necata armeis,& ſepulta: eius nominis monimentum relictum, quod etiam nunc eius rupes Tarpeium appellatur ſaxum. Hunc antea montem Saturnium appellatum prodiderunt,& ab eo late Saturniam terram, ut etiã Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuiſſe Saturniam ſcribitur.

scribitur. Eius uestigia etiam nunc manent tria: quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta, quam Iunius scribit, quam nunc uocant Pandanam, quod post aedem Saturni in aedificiorum legibus parietes postici muri sunt scripti. Hinc Virgilius loquens de Ianiculo & Capitolio inquit

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit urbem
Ianiculumq; illi, huic fuerat Saturnia nomen. & alibi
Hinc ad Tarpeiam sedem, & Capitolia ducit
Aurea nunc, olim siluestribus horrida dumis.

Propertius etiam libro VIII

A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus

Porro ante urbem conditam, ibidem fuisse extructum oppidum Saturniam etiã superius ex Dionysio demonstraui, a socijs Herculis habitatum, qui in Saturni honorem, quem eum montem coluisse constabat, Saturnium appellauerunt. Quod Plinius & Solinus confirmat. In parte uero huius montis infima uersus Tiberim habitaculum Carmentae matris Euandri fuit, ubi postea Carmentis fanum, & porta Carmentalis fuerunt. Aedem autem Saturni, quae & aerarium fuit, Herculis socij in eius dei honorem excitarunt. Capitolium (ut dixi) postea appellatum est ab hominis Toli capite inuento in fundamentis templi Iouis, qui propterea Capitolinus dictus est. Nunc palatijs praetoris urbani (quem Romani senatorem uocant) triumuirorum camerae urbis conseruatorum, & templo Ara coeli, & aliquot praeterea uetustis monumentis celebris est. Habet autem ad ortum forum, & montem Palatinum; ad occasum urbem planã; ad Aquilonem Traiani forum, & Quirinalem; & ad meridiem Auentinum, Tiberim, & theatrum Marcelli: &c. Hunc collem cum Palatino, sub Palatij VIII. regionis nomine Augustus a ceteris urbis partibus distinxit

De colle Quirinali

Collis Quirinalis, qui a Romulo, ut Strabo, uel a Numa, ut Dionysius; aut a Seruio, ut Liuius scribũt, urbi adiectus fuit, (ut inquit Varro) est ubi Quirini fanũ; qui a Curetibus, qui cũ T. Tatio uenerũt Romã, qđ ibi habuerũt castra. Quod uocabulũ coniunctarũ regionũ nomina oblitterauit. Dictos .n. colles plureis apparet ex Argeorum sacrificijs; in quibus sic scriptum est: Collis Salutaris quarticepsεos aedẽ Quirino: Collis Salutaris quarticepsεos aduersum est pila Honoris aedem salutis. Collis Mutialis quincticepsεos apud aedem dei Fidij in delubro, ubi aeditumnus habere solet. Collis Latiaris sexticepsos in uico Mustellario summo apud Turaculum aedificium solum est. Horum deorum arae, a quibus cognomina habent, in eius regionis partibus sunt. Ex quibus Varronis uerbis liquet hunc mõtem Salutarem, Mutialem, & Latiarem appellatum fuisse. Et Sex. Pompeius: Quirinalis collis, qui nunc dicitur, olim Agon appellabatur, antequam in eum commigrarent Sabini, Curibus uenientes post foedus inter Romulum & Tatium ictum, a quo hanc appellationem sortitus est, quamuis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino, ita dictum. & alibi: Agonia sacrificia quae fiebant in monte, hinc Romae mons Quirinalis Agonius, & Collina porta Agonensis. Dionysius quoque libro II. hunc collem Agonalem uocat, Saliosque sacerdotes Martis in eo domicilium sacrariumque habuiße scribit: Ouidius secundo Fastorum

Templa deo faciunt, collis quoque dictus ab illo est.

Horatius secundo libro Epistolarum

Cubat hic in colle Quirini
Hic extremo in Auentino uisendus uterque

In hoc monte prius Numam habitasse scribit Solinus. Capitoliumque uetus in eo fuisse constat; de quo Varro: Capitolium uetus, quòd ibi sacellum Iouis, Iunonis, Mineruae: & id antiquius quam aedes quae in Capitolio est facta. Nunc dicitur mõs Caballus, a duabus statuis marmoreis Alexandri Magni regis Macedonum equum Bucephalum domantis; quas Alexandria Constantinus imp Romam transtulit, atque in medio thermarũ a se in Quirinali extructarum collocauit, quarũ altera Fidiæ, altera Praxitelis manu factae sunt, ut titulus indicat. Collis hic habet ab ortu Esquilias, & Viminalem; ab occasu vrbem planam, & campum Martium; a meridie Neruae, & Traiani fora, atque Capitolium; a septentrione collem hortulorum, & portam Viminalem. Diuiditur a Viminali valle plana, & falsa Subura, ac via quae ab eadem ualle ad portam Viminalem recta progreditur; ab alio latere quadam magna valle vbi sunt Grimanorum & Boccatianae uineae, uiaque qua ab arcu Portugalli iter est ad hortos Cardinalis Carpensis, diuaeque Susannae aedem: licet quidam existiment viam, quae ad portam Collatinam ducit esse utriusque collis terminum. In hoc colle fuit praecipua sextae regionis pars, quae Alta semita dicebatur.

De monte Coelio

Montis Coelii (quem primum Romulum muniuiße; pomerio uero Tullum, ut Dionysius & Liuius, uel Ancum ut Strabo, uel Tarquinium ut Tacitus inclusiße scribũt) sic meminit Varro: In Suburanae regionis parte princeps est Coelius mons, a Coelio Vibenno Tusco duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo ueniße auxilio contra Sabinum regem. Hi post Coelij obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione

essent,

essent, deducti dicuntur in planum, ab eis dictus Vicus Tuscus; & ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriae. Principes de Coelianeis, quia suspicione liberi erant, traductos uolunt in eum locum, qui uocatur Coeliolus. Cum Coelio coniunctae Carinae; sed inter eas quẽ locum Ceroliensem appellatum apparet, quod primae regionis quartum sacrarium scriptum. sic est: Ceroliensis quarticeps circa Mineruium; qua in Coelium montem itur, in Tabernola est. Ceroliensis a Carinarum iunctu dictus Carinae, postea Cerionia, quod hinc oritur caput Sacrae uiae, ab Streniae sacello, quae pertinet in arcem. Eidẽ regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum; in ea est Argeorum sextum sacellum. Subura Iunius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe, cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus uocatur. Sed ego a pago potius Sucusano dictã puto Sucusam. Nunc scibitur tertia littera B. non C. Pagus Sucusanus, quod succurrit Carineis. Dionysius libro II: A duce quodam ex Etruria ueniente; cui nomẽ erat Coelius, unus collium urbis, in quo ab eo ædificatum fuit, adhuc Coelius uocatur. Sex. uero Pompeius: Coelius mons dictus est a Coele quõdam ex Etruria, qui Romulo auxilium aduersus Sabinos praebuit, eo quòd in eo domicilium habuit. Tacitus libro. IIII: Adduntur sententiae, ut Coelius in posterum Augustus appellaretur, quãdo cunctis circumflagrantibus sola Tiberij effigies sita in domo Iunij senatoris, inuiolata mansisset. Haud fuerit absurdum tradere, montem eum, antiquitus Querquetulanum cognomento fuiße, quod talis siluae frequẽs fecundusque erat, mox Coelium appellitatum a Coele Vibenna, qui dux gentis Etruscae, quum auxilium appellatum ductauisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit, nam scriptores in eo dißentiũt; cetera non ambigua sunt, nam magnas eas copias per plana etiam, ac foro propinqua

qua habitauiße, unde Tuſcum uicum e uocabulo aduenarum dictum. Et Tranquillus cap. XLVIII. de Tiberio loquens: Quod tamen (inquit) beneficium tanti aeſtimauit, ut montem Coelium appellatione mutata uocari Auguſtum iuſſerit: quod is poſt incẽdium, quibuſdam dominis inſularum, quae incendio in monte Coelio flagrauerant, pretium reſtituerit. Auguſtum uero appellatum fuiſſe alibi non legi. Noſtra aetate adhuc Coelius appellatur, baſilica Lateranenſi inſignis. In eo ultimis regni ſui annis habitauit Tullus Hoſtilius, ut ſcribit Liuius, cuius quoque regia in mõte Coelio fuit Curia Hoſtilia appellata. Hic ab oriente habet urbis moenia, terminumque Eſquilinae regionis, portam Eſquilinam, & amphiteatrum, (non Statilij Tauri, quod lapideum, & in campo Martio erat, ut Dio, & Sex. Rufus ſcribunt ſed caſtrenſe) quod lateritium eſt. Ab occidente habet Suburam, & montem Palatinum; Suburam autẽ ex Varronis, Sex. Rufi, & P. Victoris auctoritate, uoco uiã illam, quae eſt inter Coelium, & Palatium; quae amphitheatrum, & arcum Cõſtantini ex uno capite habet, ex altero uero Septizonium Seueri, atque SS. Andreae & Gregorij in cliuo Scauri baſilicam. A Septemptrione autem habet, Carinas, Coeliolum, & Eſquilias: Coeliolum autem uoco, planitiem illã quae eſt inter amphitheatrum, & baſilicam S. Clementis, Coelium ipſum & Eſquilias. A meridie autem habet Piſcinam publicam, & Vallem quae eſt ante uiam Appiam, quae prope Septizonium Seueri inchoans, uerſus portam Capenam protenditur. In hunc montem ſecundam urbis regionem Coelimontium appellatam, Auguſtus Caeſar poſuit. Coelioli autem praeter Varronem meminit etiam Martialis lib. XII. ad Iuuenalẽ, quem minorem Coelium appellat his uerſibus

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga uentilat, uagumque
Maior Coelius, & minor fatigat

De Esquilino monte

Esquilias plures montes fuisse, ijs uerbis docet Varro: Esquiliae duo montes habiti, quod pars Cispius mons suo antiquo nomine etiam nunc in sacris appellatur. In sacris Argæorum scriptum est sic: Oppius mons princeps lucum Esquilinum, lucum fagutalem sinistra, quae sub moerum est. Oppius mons bicepscos simplex. Oppius mons terticepsos lucum Esquilinum, dexterior uia in tabernola est. Oppius mons quadricepsos lucum Esquilinum uia dexterior in figlineis est. Septimius mons quinticepsos lucum Poetilium. Esquilinus sexticepsos. Cispius mons septicepsos, apud aedem Iunonis Lucinae, ubi aeditumus habere solet. Vnde autem dictae fuerint, sic exponit: Secundae regionis Esquilinae ab Esquilieis, alij has scripserunt ab excubijs regis dictas; alij ab eo, quod excultae a rege Tullo essent. Huic origini magis concinnunt luci uicini, quod ibi lucus fagutalis, & lucus Mephitis, & lucus Iunonis Lucinae, quorum angusti fines, non mirum. Iam diu enim late auaritia una est. Item lucus Larum, Querquetulanum sacellum. Ouidius tertio Fastorum

Adde quod excubias ibi rex Romanus habebat
Qui nunc Esquilias nomina collis habet

Et libro secundo

Monte sub Esquilio

Et Horatius in sermonibus

At simul atras
Ventum est Esquilias

Alij Esquilias dictas produnt, ab excubijs quas Romulo Lucumo dedit XII. lictorum, & CCC. armatorum, ad corporis custodiam, simulq; dignitatē; cum T. Tatius insidae societatis nō

ſine ſuſpicione eſſe uideretur. Alij ab aucupibus Eſquilias dictas eſſe arbitrantur, quod ibi quiſquilijs ſparſis, aues illuderentur. In Eſquilijs ſupra cliuum urbicum Ser. Tullius; & ſupra cliuum publicum ſecundum lacum L. Tarquinius Superbus Romani reges habitarunt, ut Solinus ſcribit. Hic mons ab ortu urbis muros uerſus aggerem, & caſtrum praetorium, portas Gabiuſam, & Eſquilinam attingit; a meridie uiam illam habet, quae ab amphitheatro in Carineis principium habēs, per Coelioli extremam partem uſque ad S. Clementis & SS. Marcellini & Petri aedes, uerſus portam Eſquilinam protenditur; atq; antequam eam attingat, paulatim deflectitur prope templum S. Crucis in Hieruſalem, quod cum amphitheatro caſtrenſe proximo, in regionem Eſquilinam conijcit Sex. Victor. Hanc uiam plerique Lauicanam uocant. Ab occaſu uiam habet, quae in Carineis prope Suburam, non longe ab amphitheatro, ſub muro hortorum S. Mariae nouae principium habens, uerſus S. Petri in Vinculis aedem progreditur. Ab Aquilone uero uiam habet, quae a falſa Subura diſcedens, deducitur per uallem planam, ſub templo S. Laurentij in pane & perna, uſque ad uicum patricium, diuaeque Pudentianae aedem; mox inde diſcedens ſecus Diocletiani thermas, ad caſtrum praetorium tendit. Qua uia diuiduntur Eſquiliae a Viminali. Nunc mons S. Petri ad uincula, uel S. Mariae maioris, ab eorundem templis appellatur

De Viminali monte

Viminalis quoque montis meminit M. Varro: Tertiae (inquit) regionis colles ab quinque deorum faneis appellati. E queis nobiles duo colles, Viminalis a Ioue Viminio, quod ibi arae ſunt eius, aut quod ibi uimineta fuerunt. Et Sex. Pompeius: Viminalis et porta & collis appellabantur, quod ibi uimi-

nũ ſilua fuiſſe uidetur, ubi eſt ara in uimino conſecrata. Iuuenalis Sat. III.

Eſquilias dictumque putant a uimine collem

Cuius autem generis haec uimina fuerint nemo prodit. In locis incultis, quae hortos aut uineta non habent, nunc populi & ſalicum uimina & harundines pollicis craſsitudine naſcuntur. Hic mons in ortum tendens habet campum Eſquilinum, & urbis muros cum caſtris praetorijs; in occaſum uero Quirinalem, falſam Suburam, & uallem planam interiectam; in meridiem Eſquilias, uiamque interpoſitam, de qua dixi, quae a falſa Subura initium habet, tenditque uerſus uicum patricium, & ſecundum thermas Diocletiani, ad caſtrum praetorium. A ſeptemptrione urbis muros, uerſus portam Viminalem, quae S. Hagnetis dicitur, nunc certum quoddã nomẽ non habet: Hunc collem cum Eſquilijs quinctam urbis regionem fecit Caeſar Auguſtus, quum ſpacium urbis in uicos, XIIII. que regiones diuideret

De monte Auentino

Auentinum (inquit) Varro, aliquot de cauſſeis dicunt. Naeuius ab auibus, quod ſe ab Tiberi ferrent aues: alij ab rege Auentino Albano, quod ibi ſit ſepultus; alij ab aduentu hominũ, quod commune Latinorum ibi Dianae templum ſit conſtitutũ: ego maxime puto ab aduectu; nam olim paludibus mons erat ab reliquis diſcluſus; Itaque eò ex urbe qui aduehebantur ratibus, quadrantem ſoluebant. Cuius ueſtigia, quod ea qua tum itur Velabrum, & unde aſcendebant, ad rumam noua uia lucus eſt, et ſacellum Larum. Velabrum dicitur a uehendo, uelaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt. Merces dicitur a merendo & aere. Hinc uecturae quas ſoluebant hi, qui ratibus tranſibant, quadrans: ab eo Lucilius ſcripſit quadran

tis ratiti. Sex. Pompeius: Auentinus mons intra urbem dictus est, quod ibi Albanorum rex Auentinus bello fuerit extinctus. Idem confirmant Dionysius, Liuius, & Ouidius. Alij, ut refert Varro, in libris de gente populi Romani, ab Auente Sabinorũ fluuio dictum uolunt, quibus in urbem susceptis, Romulus Auẽtinum habitandum concesšit. Eum Virgilius ab auibus dictum scribit, quod id nomẽ ante Euandri et Herculis in Italiam aduẽtum habuerit: quod alio loco confirmare uidetur Ouidius. Sex. Pompeius: hunc montem aliquando Murcium uocatum sic scribit: Murciae deae sacellum erat sub monte Auentino, qui antea Murcius uocabatur. In eius summo lucus erat, qui Remoria dicebatur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus. Quẽ montem Romulus neminem passus est habitare, sed sacrum fratri esse uoluit, usque ad Hylernam. Appellatus quoque est a Dianae templo, collis Dianae. Martialis lib. XII

Quum tu forsitam inquietus eras
Clamosa Iuuenalis in Subura
Aut collem dominae teris Dianae

Et idem libro VII. ad Maximum

Esquilijs domus est, domus est tibi colle Dianae

Auentini, & T. Tatij regum sepulchris celebris fuit. In hunc montem aliquando plebs secešsit, ut Dionysius, & Liuius scribunt. Hinc Plinius libro XIX. cap. IIII. Nemo sacros, Auentinosque montes, & iratae plebis secessus circumspexerit. Sacer autem mons haud longe ab urbe secundum uiam Salariam, prope Anienem fuit. Fuit & alter mons Auentinus ad Verrestim fluuium, in quo conditum oppidum Praeneste. Hũc montem unã ex XIIII. urbis regionibus fecit Caesar Augustus. Qui propter longtudinem, & obliquitatem certo describi nequit, sed tamen tentabo. Ad orientem in meridiem declinantem respicit moenia urbis, & portam Capenam, altera parte uiam Appiã;

ad meridiem campum Testaceum,& portam Ostiensem; ad occidentem fluuium Tiberim; ad septemptrionem circum maximum,& Palatium. Nostro quoque tempore Auentinus appellatur. Qui a capite circi maximi uersus Piscinam publicam ad portam fere S. Paulli usque, sic uia obliqua scinditur, ut duo montes uideantur

De reliquis tribus collibus vrbis. Et primo de colle hortulorum

Collis hortorum, siue hortulorum meminit Tranquillus in Nerone; quũ de eius funere loquitur. Reliquias (inquit) Aegloge & Alexandria nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio impositum colli hortorum. In eo monumento solium porphyretici marmoris superstante Lunẽsi ara,circumseptum est,lapide Thasio. Et de hoc colle Macrobius loquens ait:Candidatis fuerat usus in comitium nundinis uenire, & in colle consistere,unde possent ab uniuersis uideri, mox quoque in campũ Martium magistratum petituri descendebant. Dictus autem est hortorum uel hortulorum, a proximis(ut credo) hortis Salustianis,qui & Pincius uocitatus est,quod ibi Pinciorum domus essent. Haec familia circa Constantini tempora nobilissima admodum in urbe fuit,ut pleraque testantur elogia, hinc inde per urbem posita, quae eius gentis uiris & feminis honorificentissimis titulis dicata sunt, a qua & proxima porta Pinciana dicta fuit. Hic antiquitus extra urbis moenia erat,& idcirco extra VII.numerum.Quem Aureliani imp. tempore urbis Pomerio inclusum fuisse superius demonstraui. Habet hic collis ab oriente Quirinalem,cui contiguus est, uia tantum qua Collatinam portam itur discretus; ab occidente campum Martium,

& Domitiani (ut creditur) naumachiam; uiamque Flaminiã; a meridie uiam (quam Pilam Tiburtinam ueteres antiquarij uocarunt) qua ad hortos Cardinalis Carpensis iter est, a septemptrione urbis moenia. Nunc templis diuae Mariae de populo, & S. Trinitatis celebris est

De Ianiculo Transtiberino monte

Ianiculum (inquit Sex. Pompeius) dictum quod per eum Romanus populus primitus transierit in agrum Etruscum. Vel ut ait Virgilius libro VIII. ab oppido, quod Ianus deorum omnium uetustissimus condidit

Hic duo praeterea, disiectis oppida muris
Reliquias, ueterumque uides monumenta uirorum
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem
Ianiculumque illi, huic fuerat Saturnia nomen

Macrobius autem a Iano dictum putat, quod Ianus ibi uel sit sepultus, uel habitauerit. Qui participata potentia cum Camese indigena, Italiam ita obtinuit, ut regio Camesene, oppidum Ianiculum uocaretur. Ianicularis autem à Seruio uocatus. Nunc a flauis harenis mons aureus nominatur, & corrupto uocabulo Montorius. Ex hoc propter altitudinem Roma maxime conspicua, ceteris autem infrequentior est, ob aëris grauitatem, quod utrunque testatur etiam libro primo Martialis

Longo Ianiculi iugo recumbunt
Et planus modico tumore uortex
Coelo perfruitur sereniore
Hinc septem dominos uidere montes
Et totam licet aestimare Romam

Fuit autem Numae Romanorum regis, ut Dionysius, & Liuius; itemque Statij Caecilij poetae, ut Caesariensis Eusebius pro-

produnt, sepulchris celebris. In hunc aliquando plebem secessisse Romanam, & a Q. Hortensio dictatore reuocatam scribunt Plinius libro XVI. & Liuius. In eodem, ut scribunt Liuius, & Dionysius, Italicusque Silius, rex Tuscorum Porsenna castra habuit. Hic ab ortu meridieque prata Mucia, & portam Portuensem, ac Tiberim respicit. Ab occasu habet campos, urbis muros, & portam Ianiculensem, uel Pancratianam; a septemptrione respicit Vaticanum, camposque Neronianos

De Vaticano monte

Et hic Transtiberim est, qui olim habitatus non fuit, nec ad urbem pertinuit. Gellius scribit agrum Vaticanum, & eiusdem agri deum praesidem appellatum a uaticinijs, quae ui, & instinctu eius dei in eo agro fieri solita essent. Varro autem in libris rerum diuinarum aliam etymologiam sic ponit: Nam sicut Aius (inquit) deus, araque ei statuta, quae est in infima uia noua, quod eo in loco diuinitus uox edita erat: ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent uocis humanae initia, quoniam pueri simul atque parti sunt, eam primam uocem edunt, quae prima in Vaticano syllaba est. Sex. uero Pompeius: Vaticanus (inquit) collis appellatus est, quod eo potitus sit populus Romanus uatum responso, expulsis Etruscis. De hoc monte Horatius primo carminum ode XX.

Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul & iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago

Et Martialis saepius, cuius uina pessima fuisse scribit. De uetustissima Ilice quae in eo fuit Plinius sic: Vetustior urbe in Vaticano Ilex, in qua titulus aereis litteris Etrusceis, religione ar

borem iam tunc dignam fuisse significat. Hic mons ad ortum spectat campos Vaticanos, & Hadriani molem, flumenque: ad occasum campos Neronianos, in quibus ex creta, & argilla uasa fiunt, ab usque Iuuenalis, & Plinij temporibus nota. Ad meridiem Ianiculum; ad septemptrionem prata Quinctia, & montem Marij. Nunc Principis apostolorum basilica, toto terrarum orbe augustißima, palatio, hortisq; pontificijs, item simulachris Tiberis, & Nili fluuiorum, statuis quoque Laocoontis, Apollinis, Veneris, Cleopatrae, et aliquot praeterea uetustis monumentis celeberrrimus est

Porro autem ij montes iam rarißimi habitantur, maxima ex parte hortis, uineis, & dispersis hinc inde templis, aut claustris religiosis occupati, aut ueterum aedificiorum ruinis obruti. Vetustißimis temporibus, ut scribit Propertius, urbs colleis, & herba fuit. Inquit enim

Hoc quodcunque uides, hospes quàm maxima Roma est
Ante Phrygem Aeneam collis, & herba fuit
Atque ubi nauali stant sacra palatia Phaebo
Euandri profugae procubuere boues

Nemora quoque & pascua habuit Palatinus, ut scribit Tibullus; Capitolinus dumetum ut Virgilius; Esquilinus, Quirinalis, & Viminalis uimina, & siluam fageam, ut Varro; Coelius quercetum ut Tacitus; Auentinus lauretum ut Solinus; Ianiculum esculetum, ut Plinius prodidere. Qui omnes (quae rerum humanarum imbecillitas & uicißitudo est) praeter unum aut alterum, ad antiquum statum redierunt. Palatinus enim a nullo habitatus collis, iam herba factus est, & in foro Romano sues ueneunt, in reliquis montibus harundineta, uineae, & animalium pascua sunt. Vt demum intelligat uana mortalitas, nihil esse imbecilliius, aut inconstantius, ruinisque, & interitui magis obnoxium ijs ipsis rebus quas tantopere, ut diuinas, aeter-

ternasque miramur. Vrbs enim antiquis ſedibus mota, ueteremque pomerio exacta, & ex his VII. montibus mutilata in campum Martium ſecundum Tiberim translata eſt. Quod quas ob cauſſas, quo tempore, & a quibus factum fuerit, alibi ſuo loco demonſtrabo

De vrbis regionibus

Vrbem Romam in tres regiones, quas etiam tribus appellauit, & XXX. curias, primus Romulus diuiſit, ut Dionyſius, & Liuius ſcribunt. Eas Varro partes appellat. Ager Romanus (inquit) primum diuiſus in partes tres, a quo tribus appellatae, Tatienſium, Ramnum Lucerum nominatae, ut ait Ennius Tatienſes a Tatio, Ramnenſes a Romulo, Luceres, ut ait Iunius a Lucumone, ſed omnia haec uocabula Tuſca, ut Volumnius qui tragoedias Tuſcas ſcripſit dicebat. Liuius eas centurias equitum uocat, quod ex ſingulis ijs tribubus centum equites ſcripti eſſent. Eodem (inquit) tempore, & centuriae tres equitum conſcriptae ſunt, Ramnenſes a Romulo, ab T. Tatio Tatienſes appellati: Lucerum nominis & originis cauſſa incerta. Pedianus actione III. in Verrē: per quinque & triginta tribus diuidebatur totus populus Romanus. Principio tres fuerunt, Tatienſis una a Tatio rege, Ramnenſis altera a Romulo, Luceres altera a Lucumone, ſiue Lucretino, uel a luco, quem lucum Aſylum uocauerat Romulus. Eam Pediani ſententiam, qui Luceres a luco dictos fuiſſe ſcribit, magis probo, quā omnino uerā eſſe exiſtimo. Nam hi qui cum Romulo primo vrbem condiderunt, ut paſtores, Albani, aliquot Graeci: qui tum Palatium, & Capitolium habitabant, Ramnēſes a Romulo fuerunt nominati, qui Palatium poſt conditam urbem, & Coelium montes coluerunt. Tatienſes autem fuerunt

Sabi-

Sabini, & quotquot ab ea regione, uel cum T. Tatio, uel postea uenerunt; hi Capitolium & Quirinalem coluerunt; ceteri aduenae et perfugae omnes qui ad Asylum confugerant, Luceres a luco in quo Asylum fuit, denominati sunt. Hi loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum forum tenuere. Sub Tullo Hostilio Albani in Ramnēsium tribum uel regionem adscripti, ceteri omnes populi qui sub regibus Romam uenerunt ad habitandum (praeter Sabinos) Lucerum tribui uel regioni inclusi fuerunt, ut Latini, Tusci, & omnes reliqui aduenae. Quare quum vrbs mirum in modū aucta esset, neque hae tres tribus sufficerent L. Tarquinius Priscus (ut existimo) sub iisdē quibus inauguratae erāt nominibus eas duplicauit primosq; et secundos Tatienses, Ramnenses & Luceres constituit, quod idē ēt de equitū cēturijs Liuio, et Dionysio auctorib. fecit. Eius rei ita meminit Sex. Pompeius: Sex Vestae sacerdotes constitutae erant, ut populus pro sua quisque parte haberet ministrā sacrorum, quia ciuitas Romana in sex erat distributa partes, in primos secundosque Tatienses, Ramnes, & Luceres. Et Liuius libro I. Neque tum Tarquinius de equitum centurijs quicquam mutauit, numero tantum alterum adiecit, ut mille octingenti equites in tribus centurijs eßēt, posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant appellati sunt: quas nunc quia geminatae sunt sex uocant cēturias. Post modum crescente Lucerū multitudine quū ea una tribus, uel regio mirū in modū aucta esset, ita ut ea sola reliquas duas longe excederet, aucta quoque ciuitate, quum urbis moenia VII. montibus occupatis ampliata fuissent, Ser. Tullius rex denuo urbem in IIII. partes uel regiones secundus diuisit. Quas non ut Romulus ab auctore, uel gentis origine, siue casibus, sed a locis quos colebant nominauit. In primam regionem cōiecit omnes, qui montem Coelium et circumuicina loca plana habitarent, quam Suburanam appel

appellauit; quod esset sub antiqua urbe, uel a pago Sucusano, ut scribit Varro. Secunda regio dicta est Exquilina, haec Exquilias continebat. Tertia regio duos colles comprehendebat Quirinalem uidelicet, & Viminalem a quibus Collina appellata est. Quarta regio sola, complectebatur fere totum id spacium, quod antiquae tres sub Romulo; continebat enim Palatium, forum, & Capitolium; dictaque Palatina a Palatio ipso tanquam primo colle, in quo urbs condita esset. Ab his regionibus tribus quoque quattuor urbanae appellatae sunt. M. Varro, ab hoc quoque (inquit) quattuor partes urbis tribus dictae, & ab locis. E queis prima est scripta regio Suburana, secunda Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina. Et Dionysius. Ser. igitur Tullus ubi muro septem colles complexus est, in quattuor parteis urbem diuidens, & cognomina cuique parti imponens ex collibus, unam quidem uocans Palatinam, aliam Suburanam, tertiam Collinam, & quartam Esquilinam, quattuor tribuum fecit vrbem, quae eo usque fuerat trium. Statuitque homines qui in unam quamque partem abituri essent, ut eam colerent, et in nullā aliam transferri habitationem. Neque amplius ut tres tribus generis, siue originis, ut antea, sed quattuor locales a se designatas esse uoluit, creauitque partibus singulis principes tribuum, siue uicorum praefectos, quos scire iussit, ubi quisque habitaret. Hanc uero Ser. Tulli diuisionem usque ad Caesaris Augusti tempora durasse legi, qui, quū urbs maxime aucta esset, nouam diuisionem excogitauit; Spacium enim urbis (ut Tranquillus inquit) in regiones XIIII. uicosque diuisit; instituitque ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri e plebe cuiusque uiciniae electi. & cet. Hi magistri uicorum uel uicomagistri appellati sunt, qui quattuor per singulos uicos erant, ut constat ex lapide antiquo. Magistros uicorum praetextatos ludos compitalitios facere solitos

tos fuisse scribt Asconius in L.Pisonem. Cōpitalitij autem ludi erant, qui per compita regionum in deorum larium honorem fiebant. Per regiones quoque singulas curatores duos, & duos denūtiatores creauit. Curatorum munus erat procurare apud principem commoda regionum, decorem, & elegantiam uiarum, & uicorum urbis, ne a priuatis nouis aedificijs interrūperentur prouidere, & alia eiusmodi facere, quae nostro tempore Romae magistri uiarum. Denuntiatorum uero officium erat, quicquid regioni tam publice quam priuatę accideret denuntiare. Vrbem autem in XIIII. regiones diuisam fuisse praeter Plinium, Sex. Rufum, & P. Victorem docet quoque Tacitus de incendio loquens Neroniano. In regiones (inquit) quattuordecim Roma diuiditur, quarum quattuor integræ manebant, tres solo tenus deiectae, septem reliquis pauca tectorum uestigia supererant, lacera & semiusta. Testatur idem quoque haec antiqua inscriptio, quae Romae in Capitolio sub porticu palatij conseruatorum adhuc in antiqua marmorea basi iacet

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. FIL
DIVI. NERVAE. NEPOTI
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONTIF. MAXIMO
TRIBVNIC. POTESTAT. XX
IMP. II. COS. III. P. P
MAGISTRI. VICORVM. VRBIS
REGIONVM. XIIII

Has regiones breuißime descripserunt P. Victor, & Sex. Rufus uiri consulares. Libellus P. Victoris mutilus, & deprauatus excusus est, quem ego centum uersiculis auctiorem, emēdatißimumque cum libello Sex. Rufi, qui nondum ab ullo uulgatus est, huic operi adijciam, ut per quos profecerim omnes

co=

cognoscere poßint. Porro autem P. Victoris liber integer superest. Sex. autem Rufi deest finis, de quibus suo loco in eorũ praefationibus uerba faciam. Huic autem meae urbis descriptioni, integros illos duos libellos inclusi, utriusque ordinem sequutus, in recensendis urbis regionibus, quos deinde ex antiquis probatisque auctoribus sexcentis locis auxi. In eis autem enumerandis quae per singulas regiones erant, eorum ordinem non admisi, sed quandam mihi commentus sum rationem, quam ijs tradendis rebus commodißimam esse existimaui, ut facile legentes cognoscere poterunt. Primo enim loco regionis nomen, deinde montes, insulam, uias intra urbem, riuos, aquas, si quae erunt ponendae; cliuos, uicos, uicomagistros, curatores, denuntiatores, cohortes uigilum, nomina locorum publicorum, uel incertorum; deinde lucos, templa, aedes, aediculas, porticus, ianos, uel aeanos, atria, areas, sacraria, sacella, delubra; nomina ceterorum locorum sacrorum, aras, signa, statuas, deorum, hominum, uel animalium: hippodromos, equiria, circos, obeliscos, stadia, factionum stabula, theatra, amphitheatra, ludos, naumachias; aedificia reliqua publica incerta, fora, cœnacula, curias, basilicas, regias, comitia, septa, carceres, reliqua publica aedificia profana; Castra siue stationes, campos, hortos, scholas, tabernas, aquas, thermas, balinea, lymphea, nymphea, lauacra, lacus, fontes, bibliothecas, arcus, columnas, septizonia, sepulchra, emporia, macella, horrea, pistrina, domus, insulas, & postremo regionis ambitum. Quẽ ordinem sequi decreui. Ad primam igitur cum Sex. Rufo, & P. Victore urbis regionem describendam deueniamus

REGIO. PRIMA

Regio a rego deriuatur, quod priusquam prouinciae fierent regiones sub regibus essent, atque ab ijs regebantur, postea ab earum similitudine maiores in urbe partes, regiones appellari coeptae. Regionis autem pars est uicus. Quippe urbs in regiones tamquam in maiora membra, et in uicos tãquam minora diuiditur. Vicus uero est dictus quod uias circũ haberet. Prima autem urbis regio in nouem uicos diuidebatur. Haec a porta proxima denominata est Capena quae omnia loca, quae tunc circa eam partẽm erant tam in urbe quam extra usque ad basilicam S. Sebastiani obtinebat. Haec regio ab oriente habuit Coelimontanam, ab occidente Auentinum, ab Aquilone Piscinam publicam, a Meridie circum, uiam Appiam & suburbia

REGIO. VRBIS. PRIMA
PORTA. CAPENA

Almo Fluuius

Vici nouem

Vicus Camoenarum
Vicus Drustanus
Vicus Sulpici ulterioris
Vicus Sulpici citerioris
Vicus Fortunae obsequentis
Vicus Puluerarius
Vicus Honoris, & Virtutis
Vicus trium ararum
Vicus Fabrici
Vico magistri XXXVI.
Quattuor per singulos uicos

De magiſtro uici extat mentio in antiquis monumentis ita

DIANAE . AVGVSTAE
SACRVM
Q. AQVILLIVS . ADAEVS
MAGISTER . VICI
QVI.K.AVGVSTIS.PRIMVS
MAGISTERIVM.INIIT

Curatores II
Denuntiatores II
Luci tres
Lucus Cuperius Hoſtiliani
Lucus Egeriae
Lucus Camoenarum
Templa quattuor
Templum Iſidis
Templum Serapidis
Templum Fortunae uiatoriũ
Templum Martis Extramuranei
Aedes ſex
Aedes Martis Quirini
Aedes Mineruae
Aedes Mercurij
Aedes Tempeſtatis
Aedes Apollinis
Aedes Camoenarum
Aediculae X
Aedicula Fortunae obſequentis
Aedicula Honoris
Aedicula Virtutis
Aedicula Ridiculi
Aedicula Herculis
*
Reliquae deſiderantur
Areae ſeptem
Area Apollinis
Area Spei
Area Thalli, ſiue Galli, ſiue Galliae
Area Iſidis Aelianae
Area Pinaria
Area Carſurae
Area Mercurij
Arae II
Ara Mercurij
Ara Iſidis
Lapis Manalis
Circus Antonini Caracalli cũ Obeliſco
Senaculum ad portam Capenam
Mutatorium Caeſaris

Campus

Campus Ridiculi
Horti Terentiani
Tabernae Caediciae
Thermae Commodianae
Thermae Seuerianae

Balinea publica sex

Balineum Vettij Bolani
Balineum Torquati
Balineum Mamertini
Balineum Abascantiani
Balineum Mettiani Secundiani
Balineum Antiochiani
Balinea reliqua priuata sine nomine XXCII

Lacus Fund. XXCIII

In his

Lacus Promethei
Lacus Vespasiani, alias Vipsani
Lacus Sanctus
Lacus Sudans
Lacus Torquati
Lacus Publicus
Lacus Biuius
Lacus Spei
Lacus Gratiae
Lacus Mamertini
Lacus Salutaris
Lacus reliqui sine nomine LXXII

Arcus IIII

Arcus Drusi Neronis
Arcus Diui Traiani
Arcus Diui Veri Parthici
Arcus Bifrons

Sepulchra

Corneliorum Scipionum
Atiliorum Calatinorum
Seruiliorum
Caeciliorum
Horatiorum. &c.
Horrea XIIII
Pistrina XII
Domus CXXI
Insulae IIII∞ CCL
Regio in ambitu continet pedes XIII ∞ CCXXIII

De hac regione mentio extat in ueteri inscriptione ita

M . VIBIO . M . LIC. CATINIO
VIBIONIN. PRAECONI
DE . REGION . PORT. CAPEN
VIX. ANN. XLIIX. M. III. D. II
M. VIBIVS. HILARVS. PRAGVSTAT

RE-

REGIO. VRBIS. SECVNDA COELIMONTIVM

Mons Coelius, alias Querquetulanus, alias Augustus
Coeliolus
Subura

Suburae meminit haec vetus inscriptio

M . LIVIVS . M. L. AVCTVS
PRAECO . DE . SVBVRA
LIVIAE. DONATAE . LIBER

Ceroliensis

Vici VIII

*

Vicomagistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes Vigilum. V
Lupariae in Subura
Antrum Cyclopis

Prope hunc locum forte fuit vicus Cyclopis, de quo mentio est hic

CVRTILIVS . HERMEROS
FECIT. SIBI. ET
CVRTILIAE . ANTHIDI
CONIVGI . SVAE . CARISSIMAE
ET. LIBERTIS. LIBERTABVS. QVE
SVIS. POSTERIS. QVE . EORVM
MAGISTER. VICI. AB. CYCLOPIS
REGION. PRI. FABER. ARGENTARIVS

Caput Africae
Arbor sancta
Mica aurea
Spolium Samarium
Luci duo
Templum Tulli Hostilij
Templum Bacchi
Templum Fauni
Templum Diui Claudij
Templum Deae Carnae

Aediculae VIII
Dianae in Coeliolo
Fortunae Barbatæ
Mineruae Captae

*

Isaeum Metellianum
Mineruium
Statua equestris M. Antonini Imperatoris
Ludus Matutinus

De ludo Matutino vidi has inscriptiones

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CAES. FL
DOMITIANI. AVGVSTI. EXORNATO
SACERDOTI. SPLENDIDISSIMO
PONTIF. MINOR. PROC. XX. HAER
PROC. PATRIMONII. PROC. LVDI. MAGNI
PROC. LVDI. MATVTINI. PROC. REG. VRBIS
DEFVNCTO. IBI. OFFICIO. VIARVM
STERNENDARVM. VRBIS. PARTIBVS
DVABVS. PROC. XX. HAER. VMBRIAE
TVSCIAE. PICENI. BRVTT. CALABR
ET. APVLIAE. CVR . . . . VM
TECTORVM. OPERVM. PVBL
QVAEST. AED. II. VIR. FLAMINI. DIVI. AVG
II. VIR. Q. Q. PATRONO. COLONIAE
. . . LIB. PATRONO. INCOMPARAIBILI
ET. FLAVIS. MAXIMO. ET. GERMANO
ET. RVFINO. FILIIS. EQVO. PVBLICO
ORNATIS

Item

INVICTAE . DIANAE . VICTRICI. PRO
CVRATORES.LIB.COM. LVDI. MATVT INI
. . . . CAESARIS

Item

EVTYCHVS
AVG . LIB
NERONIANVS
MEDICVS . LVDI
MATVTINI. FECIT . SIBI . ET
IRENAE . LIB . CONIVGI
CARISSIMAE . ET
LIBERTIS . LIBERTABVS . Q
POSTERIS.QVE
EORVM

Ludus Gallicus

De ludo Gallico hoc vetus extat epigramma Romae

SILVANO. SACNTO
C. AVSTVRNIVS.MEDI
CVS. LVD . GALLIC
PORTICVM. ET. EXEDR
ET . SIGN. AEN
VOTO . SVSCEPT
L . M
DEDIC. KAL. MAI
L . MARCIO . ET
SEX . IVLIO . COS

Regia Tulli Hostilij

Armamentarium

Castra Peregrina

Castra Peregrina erant in Coelio monte prope aediculam S.Mariae in Domnica, ut ex his inscriptionibus liquet; quae in eius area aliquot annis ante inuentae sunt

PRO . SALVTE . ET . REDITV . D. N. IMP . CAESARIS
VOTIS ////////////////////////////////// . PIO . FELICI VOTIS
X . ANNALIB INVICTO.AVG. DOMITIVS . BASSVS. 7 FR. AGENS XX.ANNALIB
FELICITER VICE.PRINCIPIS.PEREGRINORVM.TEMPLVM.IOVIS.REDVCIS.C.P.O FELICITER
CVLTV . DE . SVO . EXORNAVIT (MNI

Item

COCCEIVS
PATRVINVS
PRINC
PEREGRI
NORVM

Mansiones Albanae
Campus Martialis
Campus Fontinarum, alias Forinarum
Campus Coelimontanus
Thermae publicae
Balneae priuatae XXC
Lacus fund. sine nomine LXV
Macellum magnum
Horrea XXIII
Pistrina XXIII

Domus CXXXIII.

In his

Domus Vectiliana, alias Vitelliana
Domus Philippi
Domus Septem Parthorum
Domus Laterani
Caesaris dictatoris
Mamurrae Formiani
Ti. Claudi Centumali
Iunij Senatoris
Stellae poetae
Ti. Claudij Clypti Hymnologi
Tetricorum
Turris Mamilia
Insulae III. millia CVI
Regio in ambitu continet pedes XIII. millia CC

REGIO. III. ISIS. ET. SERAPIS MONETA

Carinae

Vici VIII

Vicus Albus
Vicus Fortunae uicinae
Vicus Anciportus
Vicus Baßianus
Vicus Structorum
Vicus Asellus
Vicus Lanarius
Vicus Primigenius
Vicomagistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Caput Suburae
Tribus Gratiae aureae, alias areae

Summum Choragium

Summi Choragi hanc mentionem extare uidi

HERCVLI.ET.SILVANO.EX.VOTO
TROPHIMIANVS
AVG . LIB
PROC. SVMMI . CHORAGI
CVM.CHIA.CONIVGE

Caput Sacrae uiae
Praetura praesentissima
Lucus Cuperius scholae capulatorum
Templum Isidis & Serapidis Monetae
Templum Concordiae virilis cum delubro
Aediculae octo
Aedicula Bonae spei
Aedicula Serapidis
Aedicula [illegible]
Aedicula Mineruae
Aedicula Isidis
Aedicula Veneris
Aedicula Aesculapij
Aedicula Volcani
Porticus Liuiae iuxta templum Concordiae virilis
Porticus Claudij Martialis
Amphitheatrum Vespasiani, quod capit loca LXXVII. millia
Ludus magnus

De ludo Magno extat haec antiqua inscriptio

DIS . MANIBVS
M. CALPVRNIO . M. F . MEN
VOSENNIO
VIX . ANN . XXX . M . IIX
M . CALPVRNIVS. M.F. MEN
HILARVS . MEDICVS
LVD . MAGN
FRATRI . PASSIM . FEC

item

Item

L.FVRIO.L.F.PAL.VICTORI
PRAEF. PRAET. IMPERAT. OMNIVM
HONORATO. ET. DONATO. IN
PROVINCIAM. PARTHIAM
ET. VER..... CORON. MVRALI
VALLARI
HASTA. PVRA. SINE. VEXILLIS
OBSIDIONALI
QVE. CORONA. DONATO.PR.AEGYPTI
PRAEF. VRB
PROC.A.RAT.PRAEF.PRAETOR.MISSV.....
RAVENNATIVM.PROC. LVDI. MAGNI
PROC.PROVINCIAE
HISPANIAE. ET. GALL. PRAEF. ALAE
FRONTONIANAE
TRIB.LEGIONIS.II. ADIVTRIC. 7. COH
BRACARVM.IN.BRITANNIA

Ludus Dacicus
Ludus Mamertinus
Castra Misenatium
Castra Misenatium uetera
Schola Quaestorum
Schola Capulatorum
Schola Galli
Thermae Titi Caesaris Augusti
Thermae Traiani Caesaris Augusti

In thermis Traiani inuenta est haec inscriptio

IVLIVS.FELIX.CAMPANIA
NVS.V.C.PRAEFECTVS.VRBI
AD.AVGENDAM.THERMA
RVM.TRAIANARVM.GRATIAM
CONLOCAVIT

Thermae Philippi Caesaris Augusti

Prope aediculam S. Matthaei in Merulana, in thermis Philippi imp. inuenta est haec inscriptio

L.RVBRIVS.GETA.CVR.P.CCCXXIII
D.N.PHILIPPI.AVG.THERM. . . .

Balineae priuatae LXX
Lympheum Ti. Claudij Caesaris Augusti
Lacus pastoris
Lacus sine nomine LXV
Horrea XXIX. *alias* XIX
Pistrina XXIII
Domus CLX. *In his*
Aurea Neronis cum porticu
Domus Bruttiani
Domus Pompeiani
Titi Caesaris cum atrio, in quo fuit Laocoontis statua
Insulae II *millia* DCCCVII
Regio continet in ambitu pedes XII. *millia* CDL

REGIO. IIII. VIA. SACRA. *alias* TEMPLVM. PACIS

Via sacra
Ad Corneta
Vici octo
Vicus Cyprius, post Sceleratus
Vicus Eros
Vicus Veneris
Vicus Apollinis
Vicus Trium uiarum
Vicus Anciportus minoris
Vicus Fortunatus minoris
Vicus Sandaliarius

Vici Sandaliari,& reg.IIII.mentio est in uetusta hac inscriptione

GERMANICO. CAESARE
C.FONTEIO. CAPITONE COS
KAL. IVN
SEIAE.FORTVNAE.AVG
SACR
SEX FONTEIVS.Ↄ.L.TROPHIMVS
CN.POMPEIVS.CN.L. NICEPHORVS
MAG. VICI
SANDALIARI.REG.IIII
ANNI.XVIIID.D

Vico magistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Carinae caput
Aequimaelium
Bucena aurea
Sororium tigillum
Meta sudans
Caput Lynco
Busta Gallica

Templa X

Templum Pacis, in quo inter cetera, ornamenta erant templi Hierosolymorum
Templum Remi
Templum urbis Romae, & Augusti
Templum Veneris cloacinae
Templum diuae Faustinae cũ porticu
Templum Telluris in Carinis cum Armamentario
Templum Solis
Templum Lunae
Templum Concordiae in porticu Liuiae
Templum diui Neruae in foro Transitorio
Aedes Iani Curiatij
Aedes Iunonis sororiae in Carinis
Aedes Salutis

Aediculae octo

Aedicula Musarum
Aedicula Spei
Aedicula Mercurij
Aedicula Lucinae Valerianae

Aedicula

Aedicula Iunonis Lucinae
Aedicula Mauortij
Aedicula Iuuentutis
Aedicula Isidis
Volcanale ubi lotos a Romulo sata
Sacriporticus, alias Sacriportus
Porticus absidata
Area Victoriae
Area Volcani, in qua sanguine per biduum pluit
Sacellum deae Strennuae
Collosus Solis altus P. C IIS. alias CXX. habens in capite radios VII. singulos pedum XXIIS
Apollo Sandaliarius
Odaeum
Forum transitorium, alias Palladium, alias diui Neruae, cum porticibus
Forum Cupedinis
Basilica uetus L. Aemilij Paulli
Basilica Constantiniana
Secretarium populi Romani
Balineum Daphnidis
Balineae priuatae LXXV
Lacus sine nomine LXXIX
Arcus Titi Caesaris Vespasiani Augusti
Arcus L. Septimij Seueri. A
Arcus Constantini Aug

Horrea XIIX. In his
Cantharia, alias Testaria
Pistrina XXIIII

Domus CXXXVIII. In his

Regis Anci Marci, in uia Sacra
Sp. Caßij Viscellini in Carinis, ubi postea templum Telluris fuit
Domus Cn. Pompeij, | post M. Antonij in Carinis
Domus auita Ciceronum
Domus alia C. Caesaris in Sacra uia
Domus M'. Manilij
Domus Philippi in Carinis
Domus D. Coelij Balbini Imp
Insulæ II∞ DCCLVIII
Regio continet in ambitu pedes XIIII∞ alias XVIII∞

REGIO. V. ESQVILINA. CVM. TVRRI ET. COLLE. VIMINALI

Mons Esquilinus, alias Cispius, Oppius, & Septimius
Mons Viminalis, alias Fagutalis
Aggeres Tarquinij Superbi
Cliuus urbicus
Vico patricius
Figlinae
Puticuli, alias puticulae in Esquiliis
Spes uetus
Vici XV
Vicus Sucusanus
Vicus Vrsi pileati
Vicus Mineruæ
Vicus Vstrinus
Vicus Palloris
Vicus Seius
Vicus Siluani
Vicus Capulatorum
Vicus Tragoedus
Vicus Vnguentarius
Vicus Paullinus
Vicus Pastores
Vicus Caticarius
Vicus Veneris placidae
Vicus Iunonis
VicusAfricus in Esquilijs antiquus
Vicomagistri LX
Curatores II
Denuntiatores II
Stationes cohort. VII. Vigilum
Tabernola
Tres tabernae
Lucus Poetilinus
Lucus fageus, alias fagutalis
Lucus Esquilinus
Lucus Querquetularius
Lucus Mephitis
Lucus Iunonis Lucinae
Lucus Viminalis, alias Iouis Viminei
Lucus Rubiginis
Templum Iouis Fagutalis, alias Viminei
Templum Iunonis Lucinae
Templum Mineruae Medicae Pantheum
Templum Siluani sub Viminali cum porticu
Tempum Aesculapij
Templum Veneris Erycinae ad portam Collinam cum por-

porticu
Aedes Veneris Verticordiae extra portam Collinam, uia Salaria
Aedes Rubiginis uia Nomentana, extra portam Catulariam
Aedes Quietis extra portam Collinam
Aedes Honoris ad portam Collinam
Aedes Felicitatis
Aedes Malae Fortunae

Aediculae XVI

Aedicula Fortunae Seiae
Aedicula Veneris placidae
Aedicula Castoris
Aedicula Pollucis
Aedicula Siluani
Aedicula Apollinis
Aedicula Cloacinae
Aedicula Herculis
Aedicula Mercurij
Aedicula Martis
Aedicula Lunae
Aedicula Serapidis
Aedicula Vestae
Aedicula Cereris
Aedicula Proserpinae
Aedicula Fortunae paruae
Sacellum deae Naeniae extra portam Viminalem
Sacellum Querquetularium
Sacellum Iouis Fagutalis
Ara Iouis Viminei
Ara Malae Fortunae
Hercules Siluanus
Isis patricia
Amphitheatrum castrense
Circus Aureliani cum obelisco
Forum Esquilinum
Basilica Sicini
Regia Ser. Tullij
Campus Esquilinus
Campus Viminalis sub aggere, in quo erat aedicula Fortunae paruae
Horti Maecenatis cum turri
Horti Plautiani, alias Planciani, alias Pallantiani
Horti Torquatiani
Castra praetoria
Viuarium
Thermae Olympiadis
Thermae Nouati
Balineum Paulli
Balinea priuata LXXV
Nympheum Alexandri imp
Lauacrum Agrippinae
Lacus Promethei secund
Lacus sine nomine CLXXIX

Castel-

Castellum aquarũ Marciae, Iuliae, & Tepulae
Arcus Gallieni
Macellum Liuianum
Horrea XXIII
Pistrina XXII

Domus CXXC. In his
Domus regis Ser. Tullij
Q. Lutatij Catuli
M. Licinij Craßi diuitis
Aquilij Iureconsulti
P. Virgilij Maronis
Propertij
A. Persij
C. Plinij Iunioris
Licinij imperatoris
Insulae II∞ DCCCL
Regio habet in ambitu pedes XV∞ DCCCCL

REGIO. VI. ALTA. SEMITA

Mons Quirinalis, alias Agonius, Salutaris, Latiaris, & Mutialis
Campus sceleratus ad portã Collinam
Cliuus publicus
Vici XIII. alias XII
non enim connumerant uicum Bellonae
Vicus Bellonae extra numerum
Vicus Mamuri
Vicus Albus
Vicus Publicus

De vico publico extant hac inscriptiones

L.IVNIO.L.F. SABATI
NA . POLLIONI . AV
ROMATARIO . A . VIC
PVBLIC . VIX . ANN
XLVII
L.IVNIVS . L.F. SYN
AVIVS . AROMAT
FRATRI. OPTIMO. PI
ENTISSIMO . FEC

item

Item

T.FLAVIO. AVG. LIBERTO
EPAPHRODITO
CYRNEARIO.A. VIC. PVB
FLAVIA. AVG . LIBERTA
TYCHE. MAR . OLL . D

Vicus Florae
vicus Quirini
vicus Flauius
vicus Fortunarum
vicus Paccius
vicus Tiburtinus
vicus Salutis
vicus Calidianus
vicus Maximus
vicus Mustellarius antiquus extra numerum
vico magistri XLVIII. *aliàs* LII
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes vigilum III
Capitolium vetus
Malum punicum
Decem tabernae
Ad Gallinas albas
Pila Honoris

Templa XV

Templũ Salutis in colle Quirinali
Templum Serapium, alias Serapidis
Templum Apollinis & Clatrae
Templum Florae
Templum Veneris hortorum Salustianorum

De quo mentio est in veteri epigrammate sic

M . AVRELIVS . PACORVS
M . COCCEIVS . STRATOCLES
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALVSTIANORVM. BASEM . CVM
PAVIMENTO. MARMORATO
D E A N A E
D . D

Tem-

Templum Quirini cum porticu
Templum Mineruae Flauianae
Templum Fortunae Seiae
Templum aliud Salutis
Templum Fidei
Templum Fortunae liberae
Templum Fortunue statae
Templum Fortunae reducis
Templum Fortunae publicae
Templū Fortun. primigeniae
Aedes diui Fidij in colle, alias sancti Fidij semipatris

Aediculae XVI

Aedicula Fortunae paruae
Aedicula Genij Liberorum
Aedicula Genij Larum
Aedicula Dianae Valerianae
Aedicula Iunonis Iuliae
Aedicula Spei
Aedicula Sangi, in qua lana, colus, & fusus Tanaquildis
Aedicula Siluani
Aedicula Veneris
Aedicula Herculis
Aedicula Victoriae
Aedicula Matutae
Aedicula Liberi patris
Aedicula Saturni
Aedicula Iouis
Aedicula Mineruae
Sacellum Quirini
Porticus Quirini
Porticus Milliaria
Area Callidij

Statua Quirini alta pedes XX
Statua Mamuri plumbea
Statua Fortunae publicae in colle
Statuae duae marmoreae Alexandri Magni Bucephalum domantis Fidiae & Praxitelis
Circus prope portam Collinam, iuxta aedem Veneris Erycinae cum obelisco, forte Salustij
Circus Florae
Forum Salustij
Forum Diocletiani
Senaculum matronarum in colle Quirinali, quod Antoninus Alagabalus fecit
Horti Salustiani

Ther

Thermae Diocletiani & Maximiani

In his thermis inuenta eſt haec inſcriptio

CONSTANTIVS.ET.MAXIMIANVS.INVICTI.AVGG
SEVERVS. ET.MAXIMIANVS. CAESS
THERMAS . ORNAVER . ET. ROMANIS.SVIS
DEDICAVER

Thermae Conſtantini in colle

In aedicula quadam vetuſta, pone thermas Conſtantini adhuc haec inſcriptio extat

PETRONIVS . PERPENNA . MAGNVS
QVADRATIANVS.V.C.ET.INL.PRAEF.VRB
CONSTANTINIANAS.THERMAS . LONGA
INCVRIA.ET.ABOLENDAE . CIVILIS .VEL
POTIVS.FERALIS . CLADIS . VASTATIONE
VEHEMENTER.ADFLICTAS.ITA.VT.AGNI
TIONEM.SVI.EX.OMNI. PARTE. PERDITA
DESPERATIONEM . CVNCTIS . REPA
RATIONIS.ADFERRENT. DEPVTATO.AB
AMPLISSIMO.ORDINE. PARVO
SVMPTV . QVANTVM . PVBLICAE
PATIEBANTVR . ANGVSTIAE . AB
EXTREMO
VINDICAVIT.OCCASV . ET . PROVISIONE
LARGISSIMA.IN.PRISTINAM
FACIEM. SPLENDOREMQVE. RESTITVIT

Balinea Paulli
Balinea priuata LXXV
Lacus LXXV
Bibliotheca Vlpia in thermis Diocletiani
Horrea XIX
Piſtrina XXIII
Domus CLV. *In his*
Domus Corneliorum
Domus Attici
Domus C. Saluſtij
Domus T. Flaui Sabini

Inſulae

Insulae III∞ DV
Regio in ambitu continet pedes XV ∞ DC

REGIO.VII.VIA.LATA

Vici XL
vicus Ganymedis
vicus Gordiani minoris
vicus Nouos
vicus Caprarius
Vicus Solis
Vicus Gentianus
vicus Sanci
vicus Herbarius
vicus Mansuetus
vicus Sigillarius minor
vicus Solatarius
vicus Fortunae
vicus Spei maioris
vicus Nouus ulterior
vicus Libertorum
vicus Publij
vicus Nouus citerior
vicus Statuae veneris
vicus Archemoriũ, alias Archemonium
vicus Aemilianus
vicus Piscarius
vicus Caelatus
vicus victoris
vicus vicinus
vicus Graecus
vicus Lanarius ulterior
vicus Pomonae
vicus Caput Mineruae
vicus Troianus
vicus Peregrinus
vicus Castus
vicus Minor
vicus Putealium
vicus Scipionis
vicus Iunonis
vicus Sellarius
vicus Isidis
vicus Tabellarius
vicus Mancinus
vicus Lotarius
vicomagistri CLX
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes VII. primorum vigilum
Pila Tiburtina
Ad Mansuetos
Lapis pertusus
Templum Solis
Templum nouum Spei
Templum nouum Fortunae cum porticu a Lucullo conditum,

ditum, in quo erat statua Minervae facta a Fidia, posita a Paullo Aemilio
Templum nouum Quirini
Aedicula Capraria
Porticus Constantini
Sacellum Genij Sangi
Equi aenei Tyridatis
Forum Syarium, alias Suariū

De quo mentio est in hoc uetusto epigrammate

DOMINO . NOSTRO
FL . CLAVDIO. CONSTANTINO
FORTISSIMO . HAC
BEATISSIMO . CAESARI
FL . VRSACIVS . V.P
TRIBVNVS . COHORTI
VM . VRBANARVM
X . XI . ET . XII. ET . FORI
SYARI

Forum Archemorium
Castra Gentiana, alias Gypsiana
Campus Agrippae
Horti Argiani
Balinea priuata LXXV
Nympheum Iouis
Lacus Ganymedis
Lacus sine nomine LXXVI
Arcus DD. Marci & Veri
Arcus Gordiani iunioris Aug
Arcus Nouus
Pistrina XVII
Horrea XXV
Domus CXX In his
Domus Martialis
Insulæ III∞ CCCXXCV
Regio in circuitu continet pedes XXIII ∞ DCC

REGIO.VIII. FORVM. ROMANVM

Mons Saturnius, post Tarpeius, demum Capitolinus; alias Capitolium, ubi omnium deorum simulachra celebrabantur

Arx

Arx Capitolij
Rupes Tarpeia, alias saxũ Carmentale
Cliuus Capitolinus
Porta Stercoraria
Via Noua

Vici XII

Vicus Ligurum
Vicus Iugarius
Vicus Thurarius
VicusTuscus
Vicus vnguentarius maior
Vicus vnguentarius minor
Vicus nonus
* reliqui desunt
Vico magistri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes Vigilum VI
Vmbillicus vrbis Romae
Milliarium aureum
Porta Carmentalis
Puteal Libonis
Lacus Curtius
Pila Horatia, ubi Tropaea locata
Scalae annulariae
Sub Nouis
Ad Iunium secundũ Tiberim
Luteolae ad Iani templum
Marsyas
Fauißae Capitolinae
Lucus Vestae Cuperius

Templa XXI

Templum Iouis Capitolini alias optimi maximi, in quo erant tria delubra
Medium Iouis
Dextrum Mineruae
Laeuum Iunonis, ibique in arca lapidea seruabantur libri sibyllini
Templum Iouis Feretrij
Templum diui Iulij in foro, in quo simulachrum erat Veneris e mari exeuntis DD. ab Augusto
Templum Castorum ad lacum Iuturnae, alias Castoris & Pollucis, in quo erat signum Florae

De hoc templo puto loqui hanc inscriptionem

C. TERENTIO. C. L. PAMPHILO
SAGARIO. POST. AEDEM. CASTORIS
CALPVRNIAE. Ɔ. L. SALVIAE

Templum Concordiae cum cella, inter forum & Capitolium a Camillo DD. In quo erat senaculum, ubi magistratus cum senioribus deliberabant. Erantque in eo haec simulachra

Battonis adorantis Apollinem, opus Bedae

Latonae puerperæ Apollinem & Dianam substinentis, opus (Euphranoris

Aesculapij & Hygiae, opus Nicerati

Martis & Mercurij, opera Piscratis

Cereris & Iouis, opera Sthenis, &

Victoriae

Templum Vestae cum atrio, ubi erant Palladium, Ignis, & Virgines uestales

Templum deum Penatium

Templum Romuli, alias Quirini in foro

Templum Iani Gemini aereum, quattuor portarum, cum signo Iani, opus Scopae & Praxitelis ab Augusto DD

Templum diui Traiani

Templum diui T. Caesaris Vespasiani

Templum Carmentae

Templum Veneris caluae nouum

Templum Veneris caluae uetus

Templum uetus Mineruae

Templum Nemesis cum simulachro

Templum Saturni cum ara ubi erat aerarium, ante quod erat aeneum Siluani signum

Aerarium

Aerarium populi Romani praeter omnium antiquariorum ſententiam erat, ubi nunc eſt aedicula S. Saluatoris in ſtatera, & olim fuit S. Saturnini, ut ex hoc epigrammate ibidem effoſo conſtat

L. CALPVRNIVS. PISO
M. SALLVIVS
PR. AER
AREAM. EX. S. C. A. PRIVATIS
PVBLICA. PECVNIA
REDEMPTAM. TERMINAVER

De templo Saturni, in quo erat aerarium, mentio eſt in antiquo marmore ita

SANC. SAL
T. PETIDIVS. T. F
FAB. LVCEIVS
VIII. VIR. AED. PLEB
POTESTAT. VIII. VIR
II. FANOR. VIII. VIR
III. AERARI. SAT
S. P. D. D

Templum diui Augusti
Templum Iunonis Martialis
Templum Larum
Templum Veneris genitricis, alias Veneris & Anchiſae cum atrio

Aedes X

Aedes Victoriæ
Aedes Opis & Saturni in uico Iugario
Aedes Martis ultoris in foro diui Augusti
Aedes Veiouis inter arcem & Capitolium prope Asylum, cum eius simulachro cupreßino
Aedes Iouis Tonantis in cliuo Capitolij, in qua erant signa
Iouis Tonantis, opus Locræ
Iouis ex aere Deliaco } opus Hygiae
Castoris & Pollucis } opus Hygiae
Aedes Herculis uictoris parua & rotunda in foro Boario
Aedes matris Matutae
Aedes Vortumni in vico Tusco
Aedes Iunonis Monete cum officina
Aedes Iouis custodis DD. a Domitiano
Aedes Veneris cloacinae
Aedes veneris Erycinae
Aedes Salutis
Aedes Libertatis
Aedes Iouis sponsoris
Aedes Mentis
Aedes Fidei in Capitolio
Aedes Fortunae primigeniae
Aedes Aij Locutij
Aedes Fortunae prosperae
Aedes fortis Fortunae in Foro Boario

Aediculae XII

Aedicula Victoriae DD. a M. Porcio Catone
Aedicula Iuuentatis
Aedicula Termini
Aedicula Concordiæ aerea supra Graecostasim
Aedic. Forunae obsequentis
Aedicula Matris Rumae
* *
* *
* *
* *
* *
* *
Porticus Iulia
Porticus Margaritariorum
Porticus Liuiæ
Porticus Augusti

Porti-

Porticus Minucia alias Numicia
Porticus Nasicae
Porticus Porphyretica
Porticus Capitolinae
Porticus Constantini
Iani duo, celebris mercatorum locus ad arcum Fabianum, superior inferiorque
Atrium publicum in Capitolio
Atrium Mineruae
Atrium Vestae
Area opis } In uico Iugario
Area Cereris }
Area Saturni ante aerarium
Sacellum Sumani
Sacellum Larum
Sacellum Pudicitiae patriciae
Sacellum Herculis in foro Boario
Delubrum Mineruae in foro
Delubrum Larum
Asylum inter duos lucos, arcemque & Capitolium
Domus diui Tati
Doliola
Sepulchrum Romuli
Sepulchrum Accae Laurentiae in uia noua
Ficus ruminalis
Lupercal uirginis
Germalus
Ara Saturni uetus
Ara Saturni noua ad lacum Curtij
Ara Iunonis Iugae in uico Iugario
Ara Iouis pistoris in Capitolio

Signa & statuae deorum

Signum Iouis imperatoris Praeneste deuectum

Signum aereum Iouis a SP. Caruilio ex Samnitica praeda factum

Signum Iunonis DD. a Pompeio Bithynico

Signum Apollinis translatum ex Apollonia a Lucullo, altum cubitos XXX. alias XXXII

Signum Mineruae Catulianae, opus Euphranoris

Signa duo Herculis, alterum a P. Sempronio Sauerrione dedicatum

Alterum aereum, opus Lisyppi a Q. Fabio Maximo Tarento deuectum

Signum Herculis tunicati iuxta rostra

Victoria aurea in templo Iouis opt. max

Fides candida

Signum Vortumni in uico Iugario

Signum matris Statae

Tria signa deorum nixiorum, ante cellam Mineruae in templo Iouis Capitolini

Signum Boni euentus } *opera Praxitelis*
Signum bonae Fortunae }

Simulacra hominum

Statua diui Iulij equestris in eius foro

Diui Augusti

Diui Claudij II. aurea X. pedum in templo Iouis opt. max

Diui Constantini equestris

Romuli & Remi infantium sub lupa

Septem regum in Capitolio

Attij Naui auguris ante Curiam

L. Iunij Bruti primi cos. in Capitolio

P. Valerij Poplicolae

Ho-

Horatij Coclitis in comitio
Mucij Scaeuulae
Annij fetialis equestris in atrio domus regis Superbi
M. Furij Camilli pro rostris
Tullij Coelij
L. Roscij
Sp. Nautij
C. Fulcinij
} Legatorum populi Romani a Fidenatibus caesorum pro rostris
P. Iunij
Ti. Coruncanij
} Legatorum P.R. ab Illyrijs caesorum pro rostris
Cn. Octauij in legatione occisi pro rostris
Equestris togata Q. Marcij Tremuli ante templum Castorum
L. Caecilij Metelli pont. max. in Capitolio
Q. Fabij Maximi aerea equestris in Capitolio
P. Scipionis Africani
L. Scipionis Asiatici clamidata & crepidata
M. Lepidi bullata & praetextata
Trebij aedilis in Capitolio
Sullae dictatoris aurea equestris
Sullae Felicis dictatoris aenea
Trium sibyllarum pro rostris
Cloeliae v. v. equestris
Caiae Suffetiae v. Vestalis
Corneliae Gracchorum matris
Hermodori Ephesii LL. X tabularum interpretis in comitio
Alcibiadis
Pythagorae
} In comitio
Trophaea C. Marij aurea in Capitolio
Currus seiiuges a Cn. Cornelio positi
Simulachrum leonis pro rostris
Equus C. Caesaris in eius foro

Equus

Equus aeneus Domitiani *Augusti*
Equus aeneus Traiani *Augusti*
Equa cernens quatttuor satyros
Elephas herbarius
Aereum tauri simulachrum in foro boario
Signum anseris argenteum in Capitolio
Clypei XII.*inaurati*
Clypeus Martis *cum imagine* Hasdrubalis
Aenearum tabularum publicarum tria millia
Ludus Aimilius,*alias* Lepidi

Fora

Forum Romanum,*quod dicebatur magnum, alias uetus*
Forum Caesaris,*in quo erant* Veneris *signa duo,alterum loricatum,alterum factum ab* Arcesilao
Forum Augusti,*in quo erant statuae* M. Valeri Coruini, *&* *eburnea* Apollinis
Forum Traiani *cum porticu*
Forum Boarium
Forum Piscarium
Forum Argentarium
Curia
Curia Hostilia *sub ueteribus*
Curia Calabra *in* Capitolio, *ubi pontifex minor pronuntiabat dies*
Regia Numae,*alias* Curia Pompiliana, *in qua sacrarium erat* Opeconsiuae
Senaculum aureum
Basilica Paulli Aimilij *cum* Phrygijs *columnis in foro*
Basilica Iulia

Huius

Huius basilicae mentio est in hac inscriptione paulo ante in foro Romano prope columnam inuenta

GABINIVS . VETTIVS
PROBIANVS . V . C . PRAEF . VRB
STATVAM . QVAE . BASILICAE
IVLIAE . A . SE . NOVITER
REPARATAE . ORNAMENTO
ESSET . ADIECIT
DEDIC . XV . KAL . FEBRVARI
. . . . . PVBLICORVM
CORNELIO . ANVNLINO . II
ET . AVFD . FRONTONE CoS

Basilica Vlpia, alias Traiani
Basilica Porcia, ubi fuerat domus Q. Maenij
Basilica Sempronia
Basilica Argentaria
Basilica Opimij
Comitium in quo erat ficus Ruminalis
Rostra populi Romani uetera
Rostra populi Romani noua
Græcostasis
Carcer imminens foro a Ser. Tullio aedificatus media urbe
Stationes municipiorum
Ludi litterarij
Schola Xantha
Horti Asiniani
Septem, alias quinque tabernae argentariae nouae
Balineum Polycleti
Balineae priuatae LXVI
Lacus Iuturnae
Lacus sine nomine CXX
Bibliotheca Capitolina

Bibliotheca templi diui Traiani
Arcus Fabianus
Arcus Ti. Caesaris prope aedem Saturni
Arcus Traiani Caesaris Augusti
Arcus Seueri, & M. Antonini in foro boario
Fornix Sertinij in foro boario cum signis auratis
Columna C. Duilij
Columna Maenia
Columna Magn. lud. saecul
Columna rostrata in Capitolio
Columna diui Iulij rostrata pedum XX
Columna coclidis Traiani imp. alta pedes CXXIIX. habet gradus CXXCV. fenestellas XLV
Sepulchrum C. Poblicij Bibuli aedilis plebis

Huius sepulchri adhuc supersunt vestigia, cum hac inscriptione

C. POBLICIO. L. F. BIBVLO. AED. PL. HONORIS VIRTVTIS. QVE. CAVSSA. SENATVS CONSVLTO. POPVLI. QVE. IVSSV . LOCVS MONVMENTO. QVO. IPSE . POSTERI. QVE EIVS. INFERRENTVR. PVBLICE. DATVS. EST

Macellum . . . . .
Horrea XXIIX. in his
Germanica &
Agrippiana
Pistrina XXX
Domus CL. in his
L. Tarquinij Superbi regis cum atrio
M. Manlij Capitolini
P. Scipionis Africani
T. Annij Milonis
P. Ouidij Nasonis
M. Valerij Amerini equitis Romani
Insulae III ∞ DCCC-LXXX
Regio in ambitu continet pedes XIIII ∞ DCCC-LXVII

RE-

REGIO.IX.CIRCVS.FLAMINIVS

Collis hortulorum, alias Hortorum
Campus Martius
Via Fornicata
Via recta
Vici XXX
Vico magistri CXX
Curatores II
Denuntiatores II
Palus Caprea
Mimitia uetus
Mimitia frumentaria
Crypta Balbi
Ciconiae nixae
Meleagricum
Fregellae
Lucus Mauortianus
Lucus Mineruae uetus

Lucus Petilinus maior extra portam Flumentanam
Lucus Victoriae
Lucus Lucinae ubi erat
Terentum
Templa octo
Pantheum Iouis ultoris, in quo erant signa
Herculis humi sedentis
Mineruae ex ebore, opus Phidiae
Veneris cum unione Cleopatrae
Templum Iani prope theatrum Marcelli, cum signo Iani bifrontis
Templum Bruti Callaici, in quo erat
collosus Martis, &
Statua Veneris Gnidiae nudae
Templum Apollinis
Templum Neptuni iuxta septa
Templum diui Antonini cum columna coclide
Templum Mineruae Chalcidicae

Templum

Templum Isidis & Serapidis prope ouile

Aedes XX

Aedes antiqua Apollinis cum lauacro, & colloso

Aedes Herculis magni custodis circi Flaminij

Aedes Metelli ubi erat statua eburnea Iouis a Praxitele facta

Aedes Martis in circo Flaminio

Aedes Volcani in circo Flaminio

Aedes Iuturnae ad aquam Virginem

Aedes Bellonae uersus portam Carmentalem in circo Flaminio, intra quam dabatur senatus legatis exterarum nationum, quos in urbem admittere nolebant

Aedes Mineruae

Aedes Fortunae equestris uetus

Aedes Apollinis

Aedes Neptuni in circo Flaminio

Aedes Larium permarinum in campo Martio

Aedes Boni euentus

Aedes Veneris uictricis

Aedes Castoris in circo Flaminio

Aedes Florae

Aedes Iunonis reginae

Aedes Dianae

Aedes Herculis Musarum

Aedes Iunonis in porticu Octauiae, ubi erant statuae

Aesculapij & Dianae } opera Scopae

Iunonis Veneris, & Iouis } opera Phylisci Rhodij

Simulachrum Iunonis opus Dionysii & Polyclis

Dia-

Dianae
Latonae
IX. musarum — opera Timantidis
Apollinis nudi
Apollinis cytharã tenentis

Aesculapij & Dianae — opera Cephisidori

Aediculae XXX

Porticus Q. Catuli
Porticus Philippi
Porticus Corinthia duplex Cn. Octauij
Porticus Argonautarum
Porticus Pompeij Magni, cum curia, & atrio
Porticus Metelli
Porticus Agrippae ante Pantheum
Porticus Octauiae sororis Augusti, in qua erãt schola, curia, et Bibliotheca

Delubrum cum signo
Apollinis, opus Phylisci Rhodij
Item statuae
Sauri &
Batrachi
Veneris, opus Phidiae &
Corneliae Gracchorum matris

Porticus Traiani Aug. in campo Martio
Porticus Gordiani imp
Porticus Gallieni imp
Porticus Europae
Atrium Pompeij
Sacrarium Numae

Delubrum Iouis ſtatoris
Delubrum Cn. Domitij cum ſignis
Neptuni, Thetidos }
Achillis, Nereidum, et } *Opera Scopae*
Tritonum }
Delubrum Apollinis in porticu Octauiae
Ara Neptuni
Iſaeum
Serapium
Mineruium
Odaeum
Minerua uetus cum luco
Iuppiter Pompeianus pedum x x x
Coloſſus Apollinis
Equiria
Circus Flaminius
Circus Alexandri imp
Stadium
Obeliſcus pro gnomone in campo Martio
Stabula quattuor factionum
ideſt Praſsinae, Ruſſatae, Venetae, & Albate, de quibus in his antiquis inſcriptionibus mentio eſt

M . AVRELIO . LIBERO
PATRI . ET . MAGISTRO
E T . SOCIO . DOMINO
ET.AGITATORI.FACTIONIS
PRASSINAE
AVRELIVS.CAECILIVS.PLANETA
PROTOGENES.OB.III. PALMAR
HOC.DONVM.VOLVIT
D . D

Item

C . APPVLEIVS . DIOCLES. AGITATOR
FACTIONIS. RVSSATAE
NATIONE . HISPANVS . LVSITANVS
ANNORVM . XXXVII. MENS. VII. D. XXIII
PRIMVM . AGITAVIT . IN . FACTIONE
ALB . ACILIO . AVIOLA. ET. CORELLIO
PANSA . COS
PRIMVM. VICIT. IN. FACTIONE . EADEM
M' . ACILIO . GLABRIONE C. BELLICIO
TORQVATO . COS
PRIMVM . AGITAVIT . IN . FACTIONE
PRASSINA
TORQVATO. ASPRENATE. II. ET. ANNIO
LIBONE. COS
PRIMVM. VICIT. IN. FACTIONE. RVSSATA
LAENATE . PONTIANO. ET. ANTONIO
RVFINO . COS

Item

C . APPVLEIO . DIOCLI
AGITATORI. PRIMO . FACT
RVSSAT. NATIONE. HISPANO
FORTVNAE. PRIMIGENIAE
D . D
C. APPVLEIVS. NYMPHIDIANVS
ET. NYMPHIDIA . FILII

Item

CL . AVRELIO . POLYPHEMO
DOMINO . E T . AGITATORI
FACTIONIS . RVSSATAE . TOGENI
CAESAREO . SVI. TEMPORIS . PRIMO
ET. SOLO. FACTIONARIO. OB. GLORIAM

Item

DIIS . MANIBVS
M. ANTONIO. M.F. ANIENSI
MATRINIO . EVOK . AVG
VIX. ANN. XXXIIX. M . VIII
M. ANTONIVS . M. F. ANIEN
PRIMIGENIVS
MEDICVS. FACT . RVSSAT
FRATRI . SANCTISS . FEC

item

Q. RAPIDIO. Q. F. LEM
SEPVLLIO
PROCVRATORI. DROMI
FACTIONIS . VENET
Q. RAPIDIVS . XENODO
TVS . ET . RAPIDIA
IVVENTINA
PAR
FECERE

Item

Q. RAPIDIO. Q. F. LEM
MVLIONI
MORATORI, LVDI
CIRCEN . ET
AGITATORI
FACTION. VENET
VIX. ANN. LX
RAPIDIA . MARIT
PIISSIMO
B. M. F

Item

item

M.VIPSANIO. FVLLONI . TENTORI
M.VIPSANIO. EROTI . AVRIGATORI
M.VIPSANIO. MIGNIONI . VIATORI
M.VIPSANIO.QVARTIN.SVCCONDITORI
M.VIPSANIVS.RVFINVS.MEDICVS.FACT
VENETAE.OLL.IIII.DD

Theatrum Pompeij
Theatrum Lapideum
Theatrum Balbi capit loca XXX∞ XCV
Theatrum Marcelli capit loca XXX∞

De theatro Marcelli haec extat inſcriptio

IMP . CAESARI . DIVI . NERVAE . F
NERVAE . TRAIANO . AVG . GERM
DACICO.PONT. MAX. TRIB . POT . VIII
IMP.IIII.COS. V. P.P. OPTIMO . PRINCIPI
SAGARI . THEATRI . MARCELLI
CVLTORES. DOMVS.AVG

Amphitheatrum T.Statilij Tauri
Naumachia Domitiani
Forum Ahenobarbi
Baſilica Mattidij,alias Macidij , alias Matidiae
Baſilica Marciana
Baſilica Antoniniana , ubi erat prouinciarum memoria
Curia Pompeij cum atrio & porticu
Curia Octauiae cum porticu,in qua erat ſignum Apollinis fulmen tenentis
Septa Agrippiana

Septa Trigaria
Ouile
Diribitorium
Villa publica, ubi primum census populi actus est
Carcer C. uirorum
Horti Lucullani
Horti Agrippae
Schol. porticus Octauiae, in qua erat statua Cupidinis opus Praxitelis
Quattuor satyri, & duae nymphae
Thermae Agrippae
Thermae Neronianae
Thermae Alexandrinae
Thermae Hadriani imp
Thermae Decianae
Balinea priuata LXIIII
Lauacrum Apollinis
Lacus thermarum Neronis
Lacus sine nomine
Fons Scipionum
Bibliotheca porticus Octauiae
Arcus Ti. Caesaris
Arcus diui Claudij
Columna coclidis Antoniniana, alta pedes CLXXV. *habens gradus* CCVI. & *fenestras* LVI
Columna index belli inferendi, ante aedem Bellonae
Sepulchrum, siue Mausoleum Augusti, in quo erant duo pares obelisci magni, singuli pedum XLIIS

De quo haec extat inscriptio

M. VLPIVS
AVG. L. AEGLVS
PROC. MAVSOLEI
IMAGINEM
CORINTHIAM
TRAIANI. CAESARIS
COLLEG. FAENARIOR
D. D

Sepulchrum Domitiorum in colle hortulorum

Sepulchra in campo Martio

Sullae Felicis dictatoris

Iuliarum Caesaris amitae, & filiae

Hirtij & Pansae consulum

Pistrina XXXII

Horrea XXXII

Domus CXL. in his

Domus Alexandri imperatoris

Domus Pinciorum in colle hortulorum

Insulae IIICIↃ DCCXXCVIII

Insula Philidis

Regio in circuitu continet pedes XXXCIↃ DLX

REGIO. X. PALATIVM

Mons Palatinus, alias Romulius

Via Noua

Prata Bacchij, ubi fuerunt aedes Vitruuij Fundani

Cliuus Victoriae

Vici septem

vicus Padi

vicus Curiarum

vicus Fortunae respicientis

vicus Salutaris

vicus Apollinis

vicus Huiusque diei

vicus Fortunae reducis

Vicomagistri XXIIX

Curatores II

Denuntiatores II

Roma Quadrata

Sedes imperij Romani

Velia

Summa Velia

Ad capita Bubula

Sicilia in Palatio

Ad Mammam, hoc est dietae Mammaeae

Lucus Larum

Templa X

Templum Iouis Statoris

Templum Fidei

Templum Apollinis Palati-

ni dedicatũ ab Augusto, ubi lychnuchi pendebant instar arboris mala ferentis, cum porticu, & area, in quo erant
Simulachra dei Apollinis, opus Scopae
Dianae, opus Timothei, &
Signa IIII. bouum aeneorum a Myrione facta
Templum *Lunae in Palatio*
Templum *Iouis, alias Solis Alagabali*
Templum *Augusti*
Templum *Quirini prope Lupercal, ubi erat signum lupae praebentis duobus pueris Romulo & Remo mammas*
Templum *Iouis propugnatoris*

De quo meminit haec inscriptio

P. MARCIVS. VERVS
IMP.COMMODO.VI.ET.PETRO
NIO.SEPTIMIANO.COS
AN.P.R.C.DCCCCXLI.K.DEC
IN.PALATIO.IN.AEDE.IOVIS
PROPVGNATORIS
IN . LOCVM . P . V E R I
L.ATILIVS . CORNELIANVS
COOPTATVS

Templum *Matris deum, alias Magnae matris Ideae cum simulachro eius ex Peßinunte deuecto*
Templum *Febris in Palatio cum ara*
Aedes IX
Aedes *Consi*
Aedes *deae Viriplacae in Palatio*
Aedes *Fortunae vicinae*
Aedes *Rhamnusiae*
Aedes *Iouis Victoris*
Aedes *Dijouis*
Aedes *Orci*
Aedes *Vestae*
Aedes *Victoriae*

Aedi

Aediculae VII
Porticus Templi Apollinis cũ statua M. Varronis (tini
Area templi Apollinis Pala
Sacellum Larum in velia
Sacellum volupiae
Delubrum Iunonis Sospitae
Delubrum Palatij
Delubrum Mineruae
Delubrum Latonæ
Pentapilon Iouis Arbitra-
Auguratorium (toris
Iouis Coenatio
Curia Saliorum
Sacrariũ Saliorũ Palatinorũ
Lupercal in Theatro
Casa Romuli
Tugurium Faustuli
Ara Febris
Ara Palatina
Colossus Iouis Opt. Max. altus pedes CCL
Fortuna respiciens
Victoria Germaniciana
Colossus Apollinis Tuscanici L pedum in Bibliotheca Palatina
Statua aurea Britannici Caesaris
Theatrum Statilij Tauri in Palatio
Curiae ueteres IIII. id est
Foriensis
Rapta
Vellensis, &
Velitia
Balineae Palatinae
Balineae priuatae XV
Arcus Octauij patris Augusti, cum signis Apollinis & Dianae ex uno lapide, opus Fidiae, quadriga, & curru
Bibliothecae Palatinae duae, videlicet, Latina Apollinis in qua erat statua Numeriani Imperatoris

De qua mentio est in his duabus inscriptionibus.

OSSA
VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A. VESTE
L. VIRIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA
LIB. ET. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS. CONIVGI. FIDELISSIMAE
ET. PIISSIME. B. D. S. M

item

SVLPICIAE
THALLVSSAE
ANTIOCHVS. TI. CLAVDI
CAESARIS. A. BIBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
CONIVGI. SVAE
BENE. MERITAE

Item Bibliothecae Graecae

DIS. MANIBVS
C. IVLIVS. FELIX
A. BIBLIOTHECA
GRAECA. PALAT

Bibliotheca domus Tiberianae
Septizonium Seueri imperatoris
Sepulchrum Cinciorum
Pistrina XII
Horrea XVI

In horreis Palatinis inuentum

IMP. T. CAESARI
DIVI. F
VESPASIANO. AVG
PLEPS. VRBANA
QVAE. FRVMENTVM
PVBLICVM. ACCEPIT
ET. TRIBVS

Domus CXXCIX. *in his*
Tulli Hostilij regis
Anci Marcij regis
Ser. Tullij regis
Poplicolae in velia
L. Craßi oratoris

L. Hor=

L. Hortensii oratoris
L. Sergij Catilinae
M. Aemilij Scauri
C. Caesaris dictatoris
L. Annaei Senecae
M. Valerij Flacci
D. Catuli
M. Ciceronis
Domus Augustana
Domus Tiberiana cum Bibliotheca
Domus Dionysii
Domus Ceioniorum
Insulae ∞DC
Regio continet in ambitu pedes XI∞ DC

REGIO. XI. CIRCVS MAXIMVS

Vici octo
Vicus Consiuius, alias Constinius
vicus Proserpinae
vicus Cereris
vicus Argaei
vicus Piscarius
vicus Parcarum
vicus veneris
vicus Sanctus
Vicus antiquus Publicij ad portam Trigeminam
Vico magistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Porta Trigemina
Salinae ad portam Trigeminam
Velabrum maius in foro Olitorio
velabrum minus
Argiletum
Lucus Semelis minor
Lucus Saturni
Templum Mercurij
Templum Castoris
Templum Herculis Victoris in foro Boario
Templum Iani ad forum Olitorium
Aedes XXII
Aedes Summani, alias Ditis patris
Aedes Cereris uetus
Aedes Proserpinae
Aedes Veneris opus Fabij Gurgitis

Aedes Portumni ad pontem Sublicium, alias Aimilium
Aedes Herculis Oliuarij ad portam Trigeminam
Aedes Cereris
Aedes Pompeij, in qua erat Herculis signum a Myrione factum
Aedes Portumni uetus
Aades Murciae, alias Veneris Myrteae
Aedes Consi subterranea, alias Neptuni equestris
Aedes Pietatis in foro Olitorio
Aedes Iunonis Matutae in foro Olitorio
Aedes Iunonis
Aedes Pudicitiae patriciae
Aedes Pudicitiae plebeiae in uico Longo
Aedes Fortunae uirilis ad Tiberim, in qua erat statua lignea Ser. Tullij regis
Aedes Spei in foro Olitorio
Aedes Apollinis Medici
Aedes Liberi, Liberaeque
Aedes Solis
Aedes Florae
Aediculae octo
Aedicula Veneris
Aedicula Iunonis
Aedicula V. . . .
Aedicula Iuuentatis } in circo
Aedicula Solis } in circo
Aedicula Proserpinae
Aedicula Cereris
Aedicula Parcarum
Area Sancta
Area Apollinis
Sacrarium Saturni cum luco
Sacellum Iouis Cōseruatoris
Sacrarium Numae
Ara maxima, alias magna Herculis
Ara Consi
Ara Iouis Inuentoris

Ara Accae Laurentiae in Velabro
Apollo Coelispex
Hercules triumphalis

Signa

Signa dearum Setiae, alias Segestae

Metiae, ac }
Tutilinae } *in circo maximo*

Circus Maximus, qui capit loca CDXXCV ∞

In quo erant obelisci duo magni

Quorum maior est pedum CXXXII

Minor pedum LXXXIIXS

Circus Intimus

Forum Olitorium

Basilica Caij, & Lucij Caesarum

Prope aediculam S. Mariae Aegyptiacae, quam Caij & Lucij basilicam esse Pyrrhus credit, hae inscriptiones inuentae

C. CAESARI. AVGVSTI. F
PONTIFICI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Item

L. CAESARI. AVGVSTI. F
AVGVRI. COS
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Campus Trigeminorum

Tabernae bibliopolarum Argiletanae

Emissarium cloacae maximae in Tiberim

Balineae priuatae XV

Lacus sine nomine XV

Fornix Sertinij in circo maximo cum signis auratis

Columna Lactaria in foro Olitorio, ad quam infantes lacte alendos deferebant

Lupanaria

Horrea XVI

Pistri-

Pistrina XII
Domus CXXCIX
Insulae ∞ DC
Regio in ambitu continet pedes XI∞ DC

REGIO. XII. PISCINA PVBLICA

Vici XII
vicus veneris almae
vicus Piscinae publicae
vicus Dianae
vicus Ceios
vicus Triari
vicus Signi salientis
vicus Laci tecti
vicus Fortunae Mammosae
vicus Colafiti pastoris
vicus portae Ruduſculanae
vicus portae Naeuiae
vicus victoris
vicomagistri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes uigilum III
Caput uiae nouae
Fons Lollianus

Aedes Bonae deae Subsaxanae
Aedes Isidis
Aediculae XII
Aedicula Veneris almae
Aedicula Dianae
Aedicula Fortunae Mammosae

*

Area radicaria
Ara Lauernae
Fortuna Mammosa
Isis Athenodora
Signum Delphini
Campus Lanatarius
Horti Asiniani
Thermae Antoninianae
Balineae priuatae LXVIII
Lacus LXXX

De quo mentio extat in veteri hac inscriptione

APPIO . ANNIO . BRADVA
T . VIBIO . BARO . COS
MAGISTRI . FONTIS . LOLLIANI
M . VLPIVS . FELIX
N. CONFLONIVS . VITALIO
C. CLODIVS . SATVRNINVS

Septi-

Septizonium uetus
Horrea XXIIX
Pistrina XXV
Domus CXXIIX. in his
Domus septem Parthorum
L.Fabij Cilonis
L.Cornificij
Priuata Hadriani imp
Insulae II∞ CDXXCVI
Regio in ambitu continet pedes XII

REGIO.XIII.AVENTINVS

Mons Auentinus
Cliuus Publicij
Vici XVII
vicus Fidij
vicus Frumentarius
vicus Trium uiarum
vicus Caeseti
vicus valeri
vici Laci Miliari
vicus Fortunae
vicus Capitis canteri
vicus Trium alitum
vicus Nouus
vicus Loreti minoris
vicus Armilustri
vicus Columnae ligneae
vicus Materiarius
vicus Mundiciei
vicus Loreti maioris, ubi erat vortumnus
vicus Fortunae dubiae
vico magistri LXVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Cliuus publicus
Caput Armilustri
Doliolum
Remuria
Scalae Gemoniae
Lauretum
Mappa aurea
Spelunca Caci
Platanon
Lucus Lunae in Auentino
Lucus Laurentinus
Lucus Platanorum
Lucus Loreti maioris
Lucus Loreti minoris
Lucus Hylernae
Templa VI
Templum Lunae in Auentino magnum
Templum commune Dianae
Templum Bonae deae in Auentino

Templum Libertatis
Templum Iunonis Reginae DD. a Camillo captis Veijs
Templum Isidis
Aedes octo
Aedes Consi
Aedes diui Tati
Aedes Mineruae, alias Palladis in Auentino
Aedes Siluani
Aedes Mercurij
Aedes Herculis & Siluani
Aedes Matutae cum aereis columnis, & atrio
Aedes victoriae in Auentino
Aediculae XVII
Aedicula Fidij, alias Fidei
Aedicula Fortunae dubiae
Aedicula Hylernae
Aedicula deae Tutilinae
*
Porticus Aimilia
Porticus Fabaria, alias Faberij
Atrium Libertatis in Auentino
Atrium Matutae
Sepulchrum diui Tatij
Area Publica
Area Pinaria
Ara Iouis Elicij
Vortumnus, alias aedes Vortumni
Fortuna Horreorum Galbianorum
Statua Minuci Augurini praefecti annonae
Odaeum
Naumachia
Forum pistorium
Campus Pecuarius, alias Pescuarius
Schola Caßij
Thermae Varianae

Thermarum Varianarum mentio est in hac inscriptione in Auentino uersus P.S.Paulli inuenta

AQVA. TRAIAN.Q.ANICIVS.Q.F.ANTONIAN
CVR.THERMARVM.VARIANARVM

Thermae priuatae Traiani
Balineæ priuatae LXXIIII
Lacus LXXVIII
Fons Siluani
Emporium extra portã Tri(geminam
Sepulchrum C.Cestij VII. uiri epulonum
Columna P. Mancini praef. annonae
Horrea XXXVI. in his

Ani-

Aniceti
Varguntei
Galbiana

De quibus uetera haec epigrammata mentionem faciunt

NVM . DOM. AVG
SACRVM
FORTVNAE. CONSER
VATRICI . HORREOR
GALBIANORVM
M.LORINVS.FORTVNA
TVS . MAGISTER
S.P.D.D

Item

NVM . DOM . AVG
GENIO . CONSERVATO
RI . HORREORVM
GALBIANORVM
M . LVRINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S.P.D.D

Horrea Domitiani Augusti
Pistrina XXX
Domus CIIII. *in his*
Domus V*lpiorum, alias priuata Traiani*

Pri-

Priuatae Vlpiorum mentio est in hac antiqua basi, quae ibidem in Auentino, sub aede S.Priscae uersus circum maximum inuenta est

HERCVLI
CONSERVATORI
DOMVS.VLPIORVM
SACRVM
M.VLPIVS . . . . . .
VERECVNDVS

Domus Vitellij imp
Ennij poetae
Faberii scribae
L. Licinii Surae III. cos
Insulae II∞ CDXXCVIII
Regio in ambitu continet pedes XVI∞ CCC

REGIO.XIIII. TRANSTIBERIM

Ianiculus mons
Vaticanus mons
Insula
Naualia
Vici XXIII

Vicus Censori
Vicus Gemini
Vicus Rostratae
Vicus Longi Aquilae
Vicus Statuae Siccianae
Vicus Quadrati

De

De regione XIIII.& vico Quadrati, mentio est in antiqua hac inſcriptione

DIANAE
NEMORESI . VESTAE
SACRVM . DIC
IMP . NERVA . TRAIANO . AVG
GERMANICO . III . COS . PRAEF
EIVS.T.VOLTEDIO.MAMILIANO
QVAESTORIB
L.CAECILIO.VRSO.II.M.LVCRETIO
SABINO . II . AEDILIB
Q . VIBENNA.QVIETO
TI . CLAVDIO . MAGNO
P.CORNELIVS.TROPHIMVS . PISTOR
ROMANIENSIS . EX . REG . XIIII
IDEM . CVR . VICI . QVADRATI
ET.LANIA.C.F.THYRONE . CONIVX
EIVS.VOTVM . LIBENS . SOLVERVNT

Vicus Raciliani maioris
Vicus Raciliani minoris
vicus Ianiculenſis
vicus Bruttianus
vicus Larum ruralium
vicus Statuae Valerianae
vicus Salutaris
vicus Paulli
vicus Sex. Lucei
vicus Simi publici
vicus Patratilli
vicus Laci reſtituti
vicus Sauſei
vicus Sergi
vicus Ploti
vicus viberini
vicus Gaianarum
Vico magiſtri nonaginta duo
Curatores II
Denuntiatores II
Cohortes uigilum VII

Caput Gorgonis
Lucus Forinarum
Lucus Publicus
Lucus Vaticanus
Templum fortis Fortunae
Templum Apollinis in Vaticano
Templum Fortunae liberae
Aedes VI
Aedes Forinarum

De qua meminit uetus hic lapis

I . O . M . N . AVG
SACR
GENIO . FORINARVM
ET . CVLTORIBVS . HVIVS
LOCI . TERENTIA . NICE
CVM . TERENTIO . DAMA
RIONE. FILIO. SACERDOTE
SIGNVM . ET . BASIM
DE . SVO . POSVIT

Aedes Isidis Naumachinae
Aedes Iouis
Aedes Fauni
Aedes Aesculapij
Aedes Dianae suburbanae
Aediculae XXII
Ianus Septimianus
Area Vaticana
Area Septimiana
Sacellum deae Maniae
Arae XII. Iano dicatae
Ara Martis
Statua Valeriana
Statua Sicciana
Statua diui Iuli in Insula
Diuae Corniscae

De quibus extat haec inscriptio

DEIVAS
CORNISCAS
SACRVM

Hercules Cubans
Hippodromus
Circus Vaticanus, alias Caij & Neronis in quo obeliscus pedum LXXII. erat

Circus

Circus Domitiae in pratis
Stadius publicus
Obeliſcus magnus in Inſula
Naumachiae duae
Tribunal Aurelium
Caſtra lecticariorum
Caſtra vetera
Campus Bruttianus
Campus Codetanus
Campus Vaticanus
Horti Caeſaris
Horti Domitiae
Horti Galbae Imp
Horti Martialis
Horti Getae
Albiona
Prata Mucia
Prata Quinctia
Noſocomion ubi aegroti curabantur in Inſula

Thermae Septimianae
Thermae hyemales Aureliani Imperatoris
Balineum Ampelidis
Balineum Priſciliani
Balinea priuata CXXXVI
Lacus CXXC
Sepulchrum Numae regis in Ianiculo
Sepulchrũ St. Caecilij poetae
Sepulchrum Hadriani Imp
Horrea XXII
Piſtrina XXXII
Domus CL. in his
Domus Martialis
Inſulae III∞ CDIX
Regio in ambitu continet pedes XXXIII ∞ CDXXCIX

AQVAE. XX

Aq. Appia
Aq. Annio uetus

De Aniene veteri haec antiqua inſcriptio Romae in plumbio tubulo inuenta eſt

ANIO. VET. L. VALERIO. SER. OFF
PLVMB. PED. CCIX

Aqua Marcia alias Aufeia

De aqua Marcia uetus haec inſcriptio Romae inuenta eſt in tubulo plumbeo, ad portam S. Laurentij

P. CORNELIO. DOLABELLA. C. IVN. SILANO. COS
AQV. MAR

Item in eiuſdem formis ſupra portam S. Laurentij Romae

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS
FELIX. AVG. PARTH. MAXIM
BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS
AQVAM MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM
PVRGATO. FONTE. EXCISIS ET PERFORATIS
MONTIBVS. RESTITVTA. FORMA. ADQVISTO
ETIAM. FONTE. NOVO. ANTONINIANO
IN. SACRAM. VRBEM. SVAM. PERDVCENDAM
CVRAVIT

Aq.Tepula
Aq.Iulia
Aq.Virgo
Aq. Halſta, alias Halſtetina, quae & Auguſta
Claudia Albudina, Caerulea, Curtia, Auguſta

De aqua Claudia mentio eſt in hoc epigrammate

D. M
CLEMENTI. CAESARVM
N. SERVO. CASTEL
LARIO. AQVAE. CL
AVDIAE. FECIT. CLAV
DIA. SABBATHIS. ET. SI
BI. ET. SVIS

Anio nouus
Riuus Herculaneus
Aq.Crabra
Aq.Sabatina uel Cimina { *Aurelia* / *Septimiana* } *Tranſtiberim*
Aq.Traiana

Aquae Traianae meminit uetus epigramma in Auẽtino Romae inuentum in tubulisplumbeis ſic

AQVA. TRAIAN. Q. ANICIVS. Q. F. ANTONIANVS
CVR. THERMARVM. VARIANARVM

Aq.

Aq.Alexandrina
Aq.Damnata
Aq.Annia
Aq.Algentiana
Aq.Seueriana
Aq.Antoniniana
Aq.Setina

Procopius ſcribit, ſuo tempore fuiſſe in vrbe aqueductus XIIII

Quoniam quo loco, vel qua vrbis regione reponerentur non liquebat

Petuſcum Palati regio urbis
Fregellae, locus in urbe
Argaea, loca in urbe
Eſculetum locus in urbe
Cliuus foro proximus
Vicus Publilius
Vicus Coſconius
Compitum Fabricij
Lucus veneris Lubentinae
Templa
Templa Fortunae Virginis
Muliebris uia Latina
Maſculae
Barbatae
Equeſtris nouae
Plebeiae
Priuatae
Viſcatae
Blandae
Conuertentis
Beneſperantis
Auertentis
Templa Iouis victoris
Inuicti
Pugnacis
Praedatoris
Mariani
Templũ Iunonis Caprotinae
Templum Apollinis Soſiani
Templum Apollinis Tortoris
Templũ veneris Lubentinae
Templum Veneris Victricis
Templum Herculis Defenſoris
Templum Herculis uia Latina
Templum Adonidis
Templum Annonae ſanctae
Templum Vacunae
Templum Iuſtitiae
Templum Themidis
Templum Erymnarum
Templũ Clementiae Caeſaris
Templum diui Auguſti ad Mineruam

De quo mentio eſt in hoc uetuſto epigrammate

DESCRIPTVM . ET . RECOGNITVM . EX
TABVLA
AENEA . QVAE . FIXA . EST . ROMAE . IN . MVRO
POST . TEMPLVM . DIVI . AVG . AD . MINERVAM

Templum Iuſtitiae Auguſti	Gallorum
Templum Foecunditatis Poppeae	Ruſticorum
	Aurelij
Templum diui Hadriani	Caedicij
Aedes	Baſilicae
Aedes Honoris & Virtutis Mariana	Veſtini
	Neptunij
Aedes deum Conſentum	Vaſcellaria
Porticus Vipſani	Floſſelli
Porticus Reguli	Sicini
Porticus Stadiata	Fuluia
Porticus C. columnarum	Mammaeae
Porticus curua in hortis Cõmodianis	Campi
	Volcani
Atrium Sutorium	Iouis
Sacrarium gentis Iuliae	Licinij
Sacellum Minucij	Horti Mariani
Sacellum Mutini	Horti Seruiliani
Ara pacis	Horti Commodiani
Ara Larum	Balinea
Curiae nouae proximae compitum Fabricij	Ti. Claudi Etruſci
	Statili
Curia Tifata	Martialis
Curia Titia	Annaei Senecae
Curia Faucia, alias Saucia	Tuccae
Fora	Fauſti

Fortuna-

Fortunati
Grylli
Lupi
Pontici
Seueri
Paeti
Titij
Offonij Tigillini
Alexandri imp
Varij

Nymphaeum Marci imp. prope Septizonium
Gordiani imperatoris
Lacus Seruilius

Castra

Tabellariorum
Victimariorum
Salgamariorum
Salicariorum
Equitum singulorum
Horrea Seiana

De quibus meminit haec inscriptio

. . . .
HORREOR . SEIAN
L.VOLVSIVS. ACYNDINVS
SIGNVM . AESCVLAPI
SVA . P. D. D

IN.VRBE.ROMA. ERANT

Montes septem

Palatinus
Capitolinus
Coelius
Esquilinus
Quirinalis
Viminalis
Auentinus

Transtiberim

Ianiculum
Vaticanus

Extra uetus pomerium

Collis hortulorum
Regiones XIIII
Vici CCX
Aediculae totidem
Vicomagistri DCCCXL
Curatores XXVIII
Denuntiatores XXIIX
Cohortes praetoriae XVII
Cohortes uigilum VI
Cohortes urbanae VI

Horrea CCCXXVII
Pistrina CCCXXIX
Balinea C ∞ IX
Lacus ∞ XCVIII
Domus ∞ ∞ CXVII
Insulae XLI ∞ C∞ XII

Lucus XXXII

Vestae Cuperius
Iouis Viminei
Loreti minoris
Loreti maioris
Platanorum
Querquetularius
Cuperius Hostiliani
Cuperius Scholae capulatorum
Mauortianus
Vaticanus
Furinarum
Poetilinus
Lunae in Auentino
Lucinae ubi erat Terentum
Saturni
Semelis minor
Larum
Mineruae uetus
Victoriae
Poetilinus maior extra portã Flumentanam
Fagutalis
Esquilinus
Mephitis
Iunonis Lucinae
Rubiginis
Veneris Lubentinae
Laurentinus
Hylernae
Publicus
Egeriae
Camoenarum
Vaticanus

Fora XIX

Romanum, quod dicebatur magnum
Caesaris dictatoris
Augusti Caesaris
Boarium
Transitorium, quod & diui Neruae
Olitorium
Pistorium
Imp. Neruae Traiani Caes. Augusti
Domitij Ahenobarbi
Suarium, alias Syarium
Archemorium
Diocletiani imp
Gallorum
Rusticorum
Cupedinis ad Corneta
Piscarium
C. Crispi Salustij

Aure-

Aurelium
Caedicij
Basilicae praeter XIX quae citantur a P. Victore
Caij & Lucij Caesarum
Sempronia
Castra praeter ea quae explicantur a P. Victore
Gyptiana &
Vetera
Campi XVII
Viminalis
Esquilinus
Agrippae
Martius
Codetanus
Bruttianus
Lanatarius
Pecuarius
Vaticanus Transtiberim
Ridiculi
Martialis
Coelimontanus
Furinarum
Trigeminorum
Volcani
Iouis
Licinij
Thermae praeter XVI a P. Victore in epilogo relatae
Neronianae
Nouati
Hadriani imp
Varianae in Auentino

LECTORI . S

Quum hanc quattuordecim antiquae urbis regionum descriptionem, quam ex Sex. potissimum Rufo, & P. Victore, qui ex instituto eius rei argumentum tractarunt, Varrone, Sex. Pompeio, Dionysio, Liuio, Tacito, Tranquillo, Dione, & ceteris vetustis scriptoribus, vt apparet, concinnaui, praeter antiqua illa epigrammata, quae singulis vrbis regionibus describendis interserui, amplissimo, & laboriosissimo commentario interpretatus sim, in quo citatis veterũ auctorum locis, unde singula hauserim demonstraui, illud

illud quoque non omiſi, ut & quod vnumquodque eorum, vel in quo urbis loco fuerit, explicarem, controuerſiasque ſi quae fuerint, de ſingulis rebus conſti tuerem; perinde ac feci ſupra quum de pomerio, por tis, vijs, montibusque Romanis diſſerui. Quem commentarium iuſtiſſimis de cauſſis impeditus, quas hoc loco referre non eſt neceſſe, nunc publicare non potui. Eum porro haud multo poſt in communem antiquitatis ſtudioſorum gratiam, quibus adiuuandis nihil mihi unquam antiquius fuit, accurate excuſum euulgandum curabo, vt qui horum ſtudiorum cupiditate tenentur, certiſſimum aliquando habeant, & ve riſſimum antiquae vrbis exemplar, in quo quantum vetuſtas fieri permittet, antiquorum aedificiorum ſitum, deſcriptionem, & quidquid de ijs veteres auctores tradiderint, quandoque intelligant, & ne in ſexcentorum locorum, quae cognitu digniſſima ſunt, ignoratione tandiu verſentur, quod imperitorum quorundam antiquariorum inſcitia, hactenus factum fuiſſe conſtat. Interim quod poſſum praeſtabo, atque Sex. Rufi librum, quem de regionibus vrbis Romae ſcripſit, nunquam antehac impreſſum; itemque P. Victo ris de eadem re opuſculum quamquã ſaepe excuſum, longe tamen emendatius & centum locis, qui in vulgatis omnibus deſunt locupletatum, huic operi adijciam, ex quibus praecipue libris, eam quam ego quat tuordecim vrbis regionum deſcriptionem feci, excepi. Poſt quos & Rutilij Claudij Numatiani itineraria duo eiuſdem propemodum argumenti ſuggeram, de quibus ſingulis quid ſentiam, aut vnde eos habuerim ſingillatim in ſuis praefationibus explicabo

F I N I S

IN . SEX . RVFI . LIBRVM . DE REGIONIBVS . VRBIS . ROMAE

Praefatio

s E x . Rufus vir conſularis,
qui Valentiniani & Valen
tis imperatorum tempori
bus floruit, multa ingenij
ſui monumenta reliquit,
quae omnia praeter admodum pau-
ca temporum iniuria, & barbarorum im
manitate omnino periere. Ex his enim
ſupereſt paruus liber, quem de origine
& incrementis imperij Romani ad Valẽ
tinianum Auguſtum edidit, qui excuſus
eſt, & vulgo in manibus habetur. Scripſit
& aliud opuſculum de regionibus vrbis
Romae eadem propemodum ratione,
qua P. Victor, in quo quum ſingulas vr-
bis regiones enumeraſſet, omnia quae in
ſingulis erant memoratu digna, tam pu-
blica

blica quam priuata aedificia breuiſſime & accuratiſſime digeſſit. Qui libellus & ipſe interciderat, atque vſque ad noſtra tempora tenebris vetuſtatis oppreſſus latuerat. Quibus, litteris maiuſculis venerandae vetuſtatis ſcriptus inuẽtus eſt. Ceterum nec ille, quamquam exiguus temporis edacitatem effugere potuit, aliquot enim pagellis truncato, quum pleraque in aliis locis, tum tres quoque extremae vrbis regiones, ideſt Piſcina publica, Auentinus, & Tranſtiberim integrae deſiderantur. Eum tamen quemadmodum ad manus venit accurate exſcriptum, accuratiusque excuſum antiquitatis ſtudioſis legẽdũ trado. Cuius mihi copiã vir integerrimus, & doctiſſimus, atq; de omni litterarũ genere benemeritus Antonius Auguſtinus domo Caeſarea Auguſta epiſcopus Allifanus, & XII. vir ſtlitibus iudicandis, quos Romae Rotae auditores vocant, quinquennio ante libentiſſime fecit. Vale

SEXTI.RVFI. V̄. C̄. DE REGIONIBVS VRBIS. LIBER

REGIO. PRIMA. PORTA. CAPENA



Vicus Honoris & uirtutis
Vicus Fortunae obsequentis
Vicus Sulpici citerioris
Vicus Drusianus
Vicus Sulpici ulterioris
Vicus Puluerarius
vicus Trium ararum
vicus Fabrici
Aedes Martis
Aedes Mineruæ
Aedes Tempestatis
Aedes Mercurij
Aedes Apollinis
Area Mercurij cum ara
Area Spei
Area Galliae
Area Isidis
Area Pinaria
Area Carsurae
Lacus Promethei
Lacus Sanctus
Lacus vespasiani
Lacus Sudans
Lacus Torquati
Lacus Publicus
Lacus Biuius
Lacus Spei
Lacus Gratiae
Lacus Mamertini
Lacus Salutaris
Lacus LXXI. sine nomine
Balineum Torquati
Balineum Vetti Bolani
Balineum Abascantiani
Balineum Mamertini
Balineum Mettiani
Balineum Antiochiani
Thermae Commodianae
Thermae Seuerianae
Arcus Drusianus
Arcus Veri Augusti
Arcus Traiani
Arcus Bifrons
Mutatorium Caesaris
Almo Fluuius
Ara Isidis
Templum Isidis
Templum Serapidis

Tem-

Templum Fortunae uiatorũ
Vici. IX
Aediculae. X
Vico magistri XXXVI
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae IIII ∞ CCL
Domus CXXI
Horrea XIIII
Balineae priuatae LXXXII
Pistrina XII
Regio in ambitu continet pedes XIII ∞ CCXXIII

REGIO. COELIMONTIVM

Templum Bacchi
Templum Fauni
Templum diui Claudi
Campus Martialis
Campus Fontinarum
Macellum magnum
Lupariae
Antrum Cyclopis
Castra peregrina
Caput Africae
Arbor sancta
Domus vitelliana
Domus Philippi
Regia Tulli cum templo
Mansiones Albanae
Mica aurea
Armamentarium
Coeliolum
Spolium Samarium
Ludus Matutinus
Ludus Gallicus
Campus Coelimontanus
Thermae publicae
Domus Parthorum, Laterani
Cohortes V. vigilum
Subura
Vici VIII
Aediculae VIII
Vico magistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Domus CXXIII
Horrea XXIIII
Balineae priuatae XX
Pistrina XXII
Lacus fund. XI. sine nomine
Regio in circuitu continet pedes XIII millia CC

REGIO. ISIS. ET. MONETA

Amphitheatrum Flaui
Ludus Magnus
Ludus Mamertinus
Ludus Dacicus
Tribus Gratiae areae
Domus Bryttiana
Summum Choragium

Prae-

Praetura praesentißima
Thermae Titi Caesaris
Thermae Traiani Augusti
Lympheum Claudij Augusti
Lacus Pastoris
Schola Quaestorum
Scola Galli
Porticus Liuiae
Templum Concordiae
Castra Misenatium II
Caput Suburae

vici VIII

Vicus Albus
vicus Fortunae uicinae
vicus Anciportus
Vicus Baßianus
vicus Structorum
vicus Asellus
vicus Lanarius
vicus Primigenius

Aediculae VIII

Bonae Spei
Serapidis
Sangi Fidoni
Mineruae
Isidis
veneris
Aesculapij
volcani
vicomagistri XXIIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae II.mill.DCCCVII
Domus CLX
Horrea XIX
Balineae priuatae XXC
Lacus XXV. sine nomine
Pistrina XXIII
Regio continet pedes XII. ∞ CCCCL

REGIO. TEMPLVM PACIS

Templum pacis
Templum Remi
Templum diuae Faustinae
Templum vrbis Romae, & Augusti
Templum veneris
Templum Telluris
Templum Solis
Templum Lunae
Templum Concordiae in porticu Liuiae
Basilica Constantini
via Sacra
Basilica Paulli (tus
Sacriporticus, alias Sacripor
Forum Transitorium cum templo diui Neruae
Balinea Daphnidis
volcanale
Porticus absidata

Bucena

Bucena aurea
Apollo Sandalarius
Horrea Testaria
Sacellum Strenuae
Sororium tigillum
Meta sudans
Caput Lynco
Carinae caput
Domus Pompei
Auita Ciceronum
Aequimaelium
Area victoriae
Arcus Titi

vici VIII

vicus Sceleratus
vicus Eros
vicus veneris
vicus Apollinis
vicus Trium viarum
vicus Anciportus minor
vicus Fortunatus minor
vicus Sandaliarius

Aediculae VIII

Musarum
Spei
Mercurij
Iuuentutis
Lucinae valerianae
Iunonis Lucinae
Mauortij
Isidis

vicomagistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae II ꝏ DCCLVIII
Domus CXXXIIX
Horrea XIIX
Balineae priuatae LXXV
Lacus LXXIX
Pistrina XXIII
Regio in circuitu continet pedes XVIII millia

REGIO. EXQVILINA CVM. COLLE. VIMINALI

Templum Iouis viminei
Aedes veneris Erycinae
Horti Plantiani
Lacus Promethei
Macellum Liuianum
Nympheum Alexandri
Station.cohor.VII.vigilum
Horti Maecenatis
Regia Ser.Tullij
Amphitheatrum castrense
Tres tabernae
Campus viminalis sub aggere
Campus Esquilinus
Lucus Poetilinus
Lucus Fagutalis
Templum Iunonis Lucinae
Domus Aquilij Iureconsulti

Ara

Ara Iouis Viminei
Minerua Medica pantheum
Isis patricia
Templum Siluani
Templum Aesculapij
Thermae Olympiadis
Lauachrum Agrippinae
Vici XV
vicus Sucusanus
vicus vrsi pileati
vicus Mineruae
vicus vstrinus
vicus Palloris
vicus Seius
vicus Siluani
vicus Capulatorum
vicus Tragoedus
vicus vnguentarius
vicus Paullinus
vicus Pastores
vicus Caticarius
vicus veneris placidae
vicus Iunonis
Aediculae XV
Seiae
Veneris placidae
Castoris
Palloris
Siluani
Apollinis
Cloacinae
Herculis
Mercurij
Martis
Lunae
Serapidis
Vestae
Cereris
Proserpinae
Vicomagistri LX
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae III∞ DCCCL
Domus CLXX
Lacus LXXIX
Horrea XXVII
Balineae priuatae LXXV
Pistrina XXXII
Regio continet pedes XV-
millia DCCCCL

REGIO. ALTA. SEMITA

Vicus Bellonae
Vicus Mamurei
Circus Florae
Templum Florae
Templum Salutis
Templum Serapeum

Templum Fidei
Templum Apollinis, & Clatrae
Templum Salutis in colle Quirinali
Aedes diui Fidij
Templum Fortunae liberae
Templum Fortunae Statae
Templum Fortunae reducis
Forum Salustij
Templum Veneris in hortulis Salustianis
Statua Mamuri
Aedes Fortunae publicae in colle
Statua Quirini alta pedes XX
Templum Quirini
Domus Attici
Domus Flaui
Malum Punicum
Templum Mineruae
Senaculum mulierum
Thermae Diocletianae, & Maximianae
Balineum Paulli
Decem tabernae
Ad Gallinas albas
Area Callidij
Cohortes III. uigilum

Vici XII

vicus Albus
vicus Publicus
vicus Florae
vicus Quirini
vicus Flaui
Vicus Mamuri
vicus Fortunarum
Vicus Paccius
vicus Tiburtinus
vicus Salutis
vicus Callidianus
vicus Maximus
vico magistri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II

Aediculae XVI

Fortunae paruae
Genij liberorum
Genij Larum
Dianae Valerianae
Iunonis Iuliae
Spei
Sangi
Siluani
Veneris
Herculis
Victoriae
Matutae
Liberi patris
Saturni

Iouis

Iouis
Mineruae
Insulae IIIↀ DV
Lacus LXXVI
Domus CXLV
Horrea XIX
Balineae priuatae LXV
Pistrina XXIII
Regio continet in circuitu pedes XV millia DC

REGIO. VIA . LATA

Vici XL
vicus Ganymedis
vicus Gordiani minor
vicus Nouus, alias Nouos
vicus Caprarius
vicus Solis
vicus Gentianus
vicus Sangi, alias Sanci
vicus Herbarius
vicus Mansuetus
vicus Sugillarius minor
vicus Solatarius
vicus Fortunae
vicus Spei maioris
vicus Nouus ulterior
vicus Libertorum
vicus Publij
vicus Nouus citerior
vicus Statuae veneris
vicus Archemorium, alias Archemonium
vicus Aemilianus
vicus Piscarius
vicus Caelatus
vicus victoriae
vicus vicinus
vicus Graecus
vicus Lanarius ulterior
vicus Pomonae
vicus Caput Mineruae
vicus Troianus
vicus Peregrinus
vicus Castus
vicus Minor
vicus Putealum
vicus Scipionis
vicus Iunonis
vicus Sellarius
vicus Isidis
vicus Tabellarius
vicus Mancinus
Vicus Lotarius
Lacus Ganymedis
Lacus Pertusius
Arcus Gordiani
Arcus nouus

Arcus Veri & Marci Augustorum
Nympheum Iouis
Aedicula Capraria
Campus Agrippae
Templum Solis
Castra Gentiana
Castra Gypsiana
Porticus Constantini
Templum nouum Spei
Templum nouum Fortunae
Templum nouum Quirini
Sacellum Genij Sangi
Cohortes VII. uigilum
Equi aenei Tyridatis
Forum Suarium
Forum Archemorium
Horti Argiani
Pila Tiburtina
Lapis Pertusus
Insulae III millia CCC. LXXXV
Domus CXX
Horrea XXV
Curatores II
Denuntiatores II
Vico magistri CXX
Balineae priuatae LXXV
Pistrina XXVII
Lacus LXXVI
Regio continet in circuitu pedes XIII. millia DCC

REGIO. FORVM. ROMANVM

Rostra populi Romani II
Fides Candida
Aedes Victoriae
Aedicula victoriae
Templum Romuli
Templum Concordiae
Templum Vespasiani
Templum Mineruae
Templum Vestae
Templum Saturni
Templum Iuli
Templum Augusti
Templum Iunonis Martialis
Templum Castorum
Senaculum aureum
Puteal Libonis
Comitium
Schola Xantha
Liuiae porticus
Arcus Fabianus
Lacus Curtius
Regia Numae
Templum deum Penatium
Templum Larum

Forum

Forum Caesaris
Ficus Ruminalis
Vicus Iugarius, alias Ligurius
Via noua
Lucus Vestae
Aius Locutius
Delubrum Mineruae in foro
Basilica Paulli
Templum Iani
Forum Piscarium
Forum Boarium
Carcer
Forum Augusti
Forum Traiani
Capitolium cum arce
Curia Calabra
Templum Iouis Capitolini
Asylum
Templum Iouis Feretrij
Templum Veneris caluae
Curia Hostilia sub ueteribus
Delubrum Larum
Aedes Iunonis
Aedicula matris Rumae
Columna diui Iuli
Equus aeneus Domitiani
Columna Magn. ludi saecul
Ara Saturni
* multa desunt
Templum Veneris & Anchisae
Iani publici
Equa cernens quattuor satyros
Vicus Nouus
Ludi litterarij
Vicus Vnguentarius minor
Vicus Tuscus
. . . . Tusco
* multa desunt
Basil. . . . .
Macell . . . .
Vici XII
Vicomagistri XLIIX
Curatores II
Denuntiatores II
Insul. . . . . . . il. DCCCLXXX
. . . . . . reliqua huius regionis desunt
*

REGIO. CIRCVS. FLAMINIVS

Circus Flaminius
Aedes antiqua Apollinis cum colosso
Lauacrum Apollinis

Stabula quattuor factionum
Herculi magno custodi
Porticus Philippi
Aedes Volcani in circo Flaminio
Mimitia uetus
Theatrum Balbi
Crypta Balbi
Porticus Corinthia Cn. Octauij
Theatrum lapideum
Mimitia frumentaria
Lucus Mauortianus
Minerua uetus cum luco
Lucus Poetilinus maior
Fons Scipionum
. . . . tis
* desunt multa
Sepulchr . . . . . .
Aedes Apollinis
Thermae Hadriani
Villa publica
Theatrum Pompeij
Equiria
Stadium
Amphitheatrum Tauri Statili
Iuppiter Pompeianus
Theatrum Marcelli
Delubrum Cn. Domitij
Carcer C. Virorum
Horti Lucullani
Campus Martis
Septa Trigaria
Aedes Neptuni
Aedes Iuturnae ad aquam Virginem
Templum Bruti Callaici
Lucus Victoriae uetus
* desunt multa
. . . . M. Agrippae
Horti & Thermae Agrippae
Domus & circus Alexandri Pij imperatoris
Lacus Thermar. Neron. . . . .
*
Reliqua huius regionis desunt

REGIO. PALATIVM
tota deest
*

RE-

REGIO . CIRCVS . MAXIMVS

Apollo Coelispex
Salinae
Porta Trigemina
Lucus Semelis minor
Aedes Portumni ad p. Sublicij
Aedes Ditis patris
Aedes Cereris
Aedes Proserpinae
Templum Mercurij
Templum Herculis
Hercules triumphalis
Circus maximus
Hercules Oliuarius
Ara maxima
Templum Castoris
. . . . Mur . . .
Basilica Cai & Luci
. . . . Pud . . . .
. . . . Iuno . . . .
** desunt multa*
Aedes Consi

vicus Consinius
vicus Proserpinae
vicus Cereris
vicus Argaei
vicus Piscarius
vicus Parcarum
vicus veneris
vicus Sanctus
Forum Olitorium
Columna Lactaria
Aedes Pietatis
Aedes Matutae
Velabrum maius in foro Olitorio
Sacrarium Saturni cum luco
Area sancta
Aediculae XII
Veneris
Iunonis
*V. . . . . * reliqua omnia desunt*

REGIO . PISCINA . PVPLICA
REGIO . AVENTINVS
REGIO . TRANSTIBERIM

Integrae desunt

SEX . RVFI . FINIS

IN . P . VICTORIS . LIBRVM . DE REGIONIBVS . VRBIS . ROMAE

Praefatio



. Victor eiſdem temporibus, quibus Sex. Rufus ſub Valentiniano, & Valente imperatoribus vixit, qui & ipſe meliori tamẽ fato quã Rufus, librum breuem de vrbis regionibus digeſſit; illius enim liber & diu occultus fuit, & nunc imperfectus prodijt, Victoris autem longe ante ab Aldo Manucio primum publicatus eſt, deinde ab alijs ſaepe excuſus, poſtremo nunc longe emendatior centum & amplius locis auctus, mea opera in publicum exit; quod ex vtriuſque libri collatione facile intelligi poterit. Hic eadem propemodum ratione qua Rufus, vrbis regiones deſcripſit. Multa tamen ſunt in Rufo, a Victore

omiſſa, multaque e contrario Victor enumerat, quae Rufus praeterijt. Hic vnus libellus eſt, cuius potisſimum ope omnes, qui hactenus de vrbis Romae antiquitate ſcripſerunt, mirum in modum ſubleuati ſunt. Cuius etiam vel male intellecti, vel conciſi occaſione, multos paſſim errores in vniuerſa Romana antiquitate commiſerunt. Quare eius nunc cum Rufo reſtituti auxilio, multa vel in melius reſtituta ſunt, vel omnino immutata, de quibus ſatis ſupra verba feci. Porro autē hic liber ex eadē prodijt, qua Rufus officina, erat enim & ipſe ijſdem litteris, quas maiuſculas vocant, deſcriptus. Quem vt ab antiquitatis ſtudioſis aliquam gratiam inirē, cum ipſo Rufo meæ vrbis Romae deſcriptioni integre accurateque excuſum, addere inſtitui, vt omnes & P. Victorem integrum tandem in manibus habeant, & per quos ego in hoc opere profecerim intelligant.

P. VICTORIS. DE. REGIONIBVS VRBIS . ROMAE . LIBER

REGIO . PRIMA

PORTA . CAPENA



ICVS, & aedes Camoenarum
vicus Drusianus
vicus Sulpici ulterioris
vicus Fortunae obsequentis
vicus Sulpici citerioris
vicus Puluerarius
vicus Honoris, & Virtutis
vicus Trium ararum
vicus Fabrici
Aedes Martis
Aedes Mineruae
Aedes Mercuri
Aedes Tempestatis
Area Apollinis
Area Spei
Area Thalli, siue Galli, siue Galliae
Area Isidis Aelianae
Area Pinaria
Area Carsurae
Lacus Promethei
Lacus Vespasiani, alias Vipsani
Balineum Vetti Bolani
Balineum Torquati
Balineum Mamertini
Balineum Abas cantiani
Balineum Mettiani Secundiani
Balineum Antiochiani
Thermae Seuerianae
Thermae Commodianae
Arcus Drusi Neronis
Arcus D. veri Parthici
Arcus D. Traiani
Arcus Bifrons
Mutatorium Caesaris
Almo Fluuius
Ara Mercurij
Ara Isidis

Tem-

Templum Isidis
Templum Serapidis
Templum Fortunae uiatorum
Vici IX
Aediculae X
Vicomagistri XXXVI
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae IIII millia CCL
Domus CXXI
Horrea XIIII
Balineae priuatae LXXXII
Lacus fund. LXXXIII
Pistrina XX
Regio in ambitu continet pedes XIII millia CCXXIII alias XII millia CCXXII

REGIO.II. COELIMONTIVM

Templum Claudij
Templum Bacchi
Macellum Magnum
Campus Martialis
Lupariae in Subura
Antrum Cyclopis
Templum Fauni
Castra Peregrina
Caput Africae
Arbor Sancta
Domus Philippi
Domus Vitelliana, alias Vectiliana
Regia Tulli Hostili, Templũque is in Cur. Alias Templũque, quod is in Curiam redegit, ordine a se aucto, id est, patribus minorum gentium
Mansiones Albanae
Mica aurea
Armamentarium
Coeliolum
Spolium Samarium
Ludus Matutinus
Ludus Gallicus
Campus Coelimontanus
Domus Laterani
Thermae publicae
Cohortes V. uigilum
Vici XIII
Aediculae octo
vicomagistri XXIIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae III ∞ CVI. alias III ∞
Domus CCXXXIII
Horrea XXIIII

Balineae priuatae LXXX
Lacus LXV
Pistrina XXIII
Regio in ambitu continet pedes XIII∞ CC. alias XII millia CC

REGIO . III. ISIS. ET. SERAPIS MONETA

Amphitheatrum quod capit loca LXXVII millia. alias LXXXVII millia
Ludus Magnus
Ludus Dacicus
Ludus Mamertinus
Domus Bryttiana
Summum choragium
Praetura praesentissima
Thermae Titi Caesaris Augusti
Thermae Traiani Caesaris Augusti
Thermae Philippi Caesaris Augusti
Lacus Pastoris
Schola Quaestorum
Schola Capulatorum
Porticus Liuiae cum templo
Concordiae uirilis
Castra Misenatium
Castra Misenatium uetera
Suburae caput
Domus Pompeiani
Vici VIII
Aediculae VIII
Vicomagistri XXIIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae II millia DCCCVII
Domus CLX
Horrea XXIX. alias XIIX
Balineae priuatae LXXX
Pistrina XXIII. alias XII
Lacus LXV
Regio in circuitu continet pedes XII millia CCCCL

REGIO . IIII TEMPLVM. PACIS

Templum Remi
Templum urbis Romae
Templum Veneris
Templum Faustinae
Templum Telluris
Templum Solis & Lunae

Via

Via Sacra
Basilica Constantini
Basilica uetus Paulli Aimilij
Porticus Liuiae cum templo Concordiae
Sacriporticus, alias Sacriportus
Forum Transitorium
Balineum Daphnidis
Porticus Absidata, alias Asidata
Ara Volcani cum volcanali. Alias Area Vulcani cũ vulcanali, ubi Lotos a Romulo sata, in qua area sanguine per biduum pluit
Buccina aurea, alias Buccinũ aureum
Apollo Sandaliarius
Horrea Canthara, uel Testaria, alias Tastaria
Sororium tigillum
Collosus altus pedes CIIS. habens in capite radios VII singulos pedum XXIIS
Sacellum deae Strennuae
Meta sudans
Carinae caput
Domus Pompeij
Auita Ciceronum domus
Arcus Titi
Vici octo
Aediculae octo
Vicomagistri XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae II ∞ DCCLVIII
Domus CXXXVIII
Horrea XVIII
Balineae priuatae LXXV
Lacus LXXVIII
Pistrina XIIII
Regio in ambitu continet pedes XIIII millia. alias XIII millia

REGIO . V. EXQVILINA . CVM . TVRRI ET. COLLE. VIMINALI

Lacus Promethei secund
Macellum Liuiani
Nympheum Alexandri, alias D. Alexandri
Stat. cohortis VII. vigilum, alias Cohortes VII. vigilum
Aedes veneris Erycinae ad portam Collinam

Horti

Horti Planciani, uel Plautiani
Horti Maecenatis
Regia Ser. Tullij
Hercules Siluanus, alias Sullanus
Amphitheatrum Castrense
Campus Exquilinus, & Lucus
Campus viminalis sub aggere
Tres tabernae
Lucus Petilinus
Templum Lucinae, alias Iunonis Lucinae
Lucus Fagutalis
Domus Aquilij iureconsulti
Domus Q. Catuli, & M. Crassi
Ara Iouis viminei
Minerua Medica
Isis patritia
Templum Siluani
Templum Aesculapij
Lauacrum Agrippinae
Thermae Olympiadis
Vici XV
Aediculae totidem
vicomagistri LX
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae III millia DCCCL
Domus CLXXX
Lacus CLXXIX
Horrea XXIII
Balineae priuatae LXXV
Pistrina XXII alias XII
Regio in ambitu continet pedes XV millia DCCCCL. alias XV millia DCCCC

REGIO. VI. ALTA SEMITA

vicus Bellonae
vicus Mamuri
Templum Salutis in colle Quirinali
Templum Serapium, alias Serapeum
Templum Apollinis, & Clatrae
Templum Florae, & circus Floralia
Capitolium uetus
Aedes diui Fidij in colle, alias Diuus Fidius in colle
Forū Salustij (Salustianorū
Templum veneris hortorum
Statua Mamurij plumbea

Fortuna

Fortuna publica in colle
Statua Quirini
Templum Quirini
Domus Attici
Malum Punicum, ad quod Domitianus. DD
Templum Mineruae Flauianae, alias templum gentis Flauiae, & erat domus eius
Domus Titi Flaui Sabini
Horti Saluſtiani
Senaculum mulierum
Thermae Diocletiani
Thermae Conſtantinianae
Balinea Paulli
Templum Fortunae Seiae
Decem tabernae
Ad Gallinas albas
Area Calidij
Cohortes III. uigilum
vici XII
vicomagiſtri LXVI
Aediculae XVI
Curatores II
Denuntiatores II
Inſulae III ∞ DC
Domus CLV. alias CXLV
Horea XVIIII. alias XVIII
Balineae priuatae LXXV
Lacus LXXVI
Piſtrina XXII. alias XII
Regio in ambitu continet pedes XV millia DC

REGIO. VII. VIA. LATA

Lacus Ganymedis
Arcus Gordiani iunioris
Coh. ſeptem uigilum, aliter primorum vigilum
Arcus Nouus
Arcus veri & Marci Auguſtorum
Nymphaeum Iouis
Aedicula Capraria
Campus Agrippae
Templum Solis
Caſtra Gentiana, aliter Gypſiana
Porticus Conſtantini
Templum nouum Spei
Templum nouum Fortunae
Templum nouum Quirini
Sacellum Genij Sangi
Equi aenei Tyridatis
Forum Suarium
Forum Archemorium
Horti Argiani

Pila

Pila Tiburtina
Ad Mansuetos
Lapis Pertusus
vici X
vicomagistri XL
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae III millia CCC-LXXXV. alias IIII millia CCCLXXXV
Domus CXX
Horrea XXV
Pistrina XVII. alias XVI
Balineae priuatae LXXV
Lacus LXXVI
Regio in ambitu continet pedes XIII millia DCC alias XII millia DCC

REGIO. VIII. FORVM. ROMANVM

Rostra populi Romani II
Aedes victoriae, cum alia aedicula victoriae virginis DD. a M. Porcio Catone
Sacellum Larum
Templũ Iuli Caesaris in foro
Victoria aurea in templo I. O. M. alias victoriae aureae statua in templo Iouis opt. max
Ficus Ruminalis, & Lupercal virginis
Colũna cum statua magni ludi, aliter M. Ludij
Graecostasis
Aedes Opis & Saturni in vico Iugario
Miliarium aureum
Senaculum aureum
Pila Horatia, ubi tropaea locata, nuncupantur curia
Templum Castorum ad lacum Iuturnae
Templum Concordiae
Equus aeneus Domitiani Augusti
Lacus Curtius
Atrium Mineruae
Ludus Aemilius
Iulia Porticus
Arcus Fabianus
Puteal Libonis
Iani duo celebris mercatorum locus
Regia Numae
Templum vestae cum atrio
Templum deum Penatium
Templum Romuli

Templum Iani
Forum Caesaris
Stationes municipiorum
Forum Augusti cum aede Martis Vltoris
Fides Candida
Forum Traiani cum templo, & equo aeneo, & columna coclide, quae est alta pedes CXXVIII. habetque intus gradus CLXXXV fenestellas XLV
Basilica Traiani in foro eiusdem
Cohortes sex vigilum
Aedicula Concordiae supra Graecostasim
Basilica Argentaria
vmbilicus urbis Romae
Ara Saturni in lacu Curtij
Templum Titi vespasiani Augusti
Basilica Paulli cum Phrygijs columnis
Ficus Ruminalis in Comitio, ubi & Lupercal
Aedes Veiouis inter arcem & Capitolium, prope Asylum
vicus Ligurum
Apollo translatus ex Apollonia a Lucullo, altus cubit. triginta, alias triginta duos
Delubrum Mineruae
Aedicula Iuuentae
Porta Carmentalis uersus circum Flaminium
Templum Carmentale, alias Carmentae
Capitolium ubi omnium deorum simulachra celebrantur
Templum Iouis optimi max.
Aedes Iouis Tonantis in cliuo Capitolij dedicata ab Augusto
Curia Hostilia sub ueteribus
Curia Calabra, ubi pontifex minor dies pronuntiabat
Signum Iouis imperatoris Praeneste deuectum
Asylum
Templum Veneris Caluae uetus
Templum Veneris Caluae (nouum
Templum uetus Mineruae

Templum Nemesis
Ara uetus Saturni
Horrea Germanica
Horrea Agrippina
Equa cernens quattuor Satyros
Forum Boarium
Sacellum Pudicitiae patriciae
Aedes Herculis victoris duae, altera ad portam Trigeminam, altera in foro Boario rotunda & parua
Forum Piscarium
Aedes Matutae
Vicus Iugarius, idem & Thurarius, ubi sunt arae, alias Areae Opis & Cereris, cum signo Vortumni
Carcer imminens foro a Ser. Tullio aedificatus media urbe
Porticus Margaritaria
Ludi Litterarij
vicus vnguentarius
Aedes Vortumni in uico Tusco
Elephantus Herbarius
Vici XII
Aediculae totidem
vicomagistri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae III millia DCCCLXXX
Domus CL
Balneae priuatae LXVI
Horrea XXVIII
Lacus CXX
Pistrina XXX
Regio in ambitu continet pedes XIIII millia DCCCLXVII. alias XII millia DCCCLXVII

REGIO. IX. CIRCVS. FLAMINIVS

Stabula quattuor factionum lud.
Aedes antiqua Apollinis cum lauachro
Aedes Herculi magno custodi circi Flaminij
Delubrum Iouis Statoris

Porticus

Porticus Philippi
Aedes Metelli
Aedes Volcani in circo Flaminio
Mimitia uetus
Mimitia Frumentaria
Porticus Corinthia Cn. Octauij, quae prima duplex fuit
Crypta Balbi
Theatrum Balbi capit loca XXX∞ XCV. Cl. Caesar dedicauit, & appellatur a vicinitate
Iuppiter Pompeianus
Theatrum Marcelli capit loca XXX∞ . Vbi erat aliud templum Iani
Delubrum Cn. Domitij
Carcer C. virorum, alias CLX. virorum
Templum Bruti Callaici
Templum Apollinis
Amphitheatrum Tauri Statilij
Villa publica, ubi primum populi census actus est in campo Martio
Campus Martis
Septa Agrippiana
Aedes Iuturnae ad aquam virginem
Septa Trigaria
Equiria
Horti Lucullani
Theatrum Lapideum
Fons Scipionum
Templum Neptuni
Sepulchrum Augusti, alias Augustorum
Ciconiae Nixae
Pantheon
Theatrum Pompeij
Basilica Macidij
Basilica Marciani
Templum diui Antonini cum coclide columna, quae est alta pedes CLXXV. habet intus gradus CCVI. & fenestellas LVI
Thermae Hadriani
Thermae Neronianae, quae postea Alexandrinae
Circus Alexandri
Thermae Agrippae
Templum Boni euentus
Thermae Decianae
Aedes Bellonae uersus portam Carmentalem
Ante hanc aedem columna index belli inferendi
Porticus Argonautarum
Meleagricum
Isaeum

Aedes Mineruae
Serapeum
Mineruium
Minerua Chalcidica
Fortunae equestris uetus
Traiani porticus in campo Martio
Basilica Antoniniana, ubi est prouinciarum memoria
Insula Phelidi, siue Filidis
Vici XXX
Aediculae totidem
vicomagistri CXX
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae III ∞DCCLXXXVII
Domus CXL
Balineae priuatae LXIIII
Horrea XXII.alias XXI
Lacus LXIII
Pistrina XXXII
Regio in ambitu habet pedes XXX millia DLX.alias XXX-millia D

REGIO.X.PALATIVM

vicus Padi
vicus Curiarum
vicus Fortunae respicientis
vicus Salutaris
vicus Apollinis
vicus Huiusque diei fort aed
Roma Quadrata
Aedes Iouis Statoris
Sacellum Larum
Casa Romuli
viae nouae
Prata Bacchij, ubi fuerunt aedes Vitruuij Fundani
Ara Febris
Templum Fidei
Aedes Martis deum, huic fuit conterminum
Delubrum Sospitae Iunonis
Aedes Consi
Aedes Aij Locutij
Domus Ceioniorum
Delubrum Mineruae
Summa Velia
Iouis Coenatio
Aedes Apollinis, ubi lychni pendebant instar arboris mala ferentis
Aedes deae viriplacae in Palatio

Aedes

Aedes Fortunae vicinae
Bibliothecae II
Aedes Rhamnusiae
Pentapylon Iouis arbitratoris
Domus Augustana
Domus Tiberiana
Sedes Imperij Romani
Auguratorium
Iouis opt. max. colossus alt. p. CCL
Ad Mammaeam, hoc est Dietae Mammaeae
Ara Palatina
Aedes Iouis Victoris
Domus Dionysii
Domus Q. Catuli
Domus Ciceronis
Velia
Curia uetus
Delubrum Latonae
Fortuna Respiciens
Septizonium uetus, alias Seueri
Victoriae Germanicianae
Aedes Dijouis
Lupercal in theatro
Vici octo
Aediculae totidem
Vicomagistri XXVIII. alias XXIIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae ∞ DC. alias II ∞ DCXLIIII
Domus XXCIX. alias LXXXVIII
Balineae priuatae XV. alias XXXVI
Lacus LXXX
Horrea XVI. alias XLVIII
Pistrina XII. alias XX
Regio in ambitu continet pedes XI millia DC. alias XII ∞ DC

REGIO. XI. CIRCVS. MAXIMVS

Circus Maximus, qui capit loca CCCXXCV ∞
XII. carceres, alias portae
Templum Mercuri
Aedes Ditis patris
Aedes Cereris
Aedes Proserpinae

Aedes Veneris opus Fabij Gurgitis
Aedes Portumni ad P. Aemili olim Sublici
Porta Trigemina
Salinae
Apollo Coelispex
Aedes Portumni
Aedes Herculis Oliuari, alias Hercules Oliuarius
Ara maxima
Hercules Triumphalis
Templum Castoris uetus
Aedes Cereris
Aedes Pompeij
Aedes Portumni uetus
Obelisci duo, iacet alter, alter erectus
Aedes Murciae
Aedes Consi subterranea
Forum Olitoriũ, in eo colũna est Lactaria, ad quam infantes lacte alendos deferunt
Aedes Pietatis in foro Olitorio
Aedes Iunonis Matutae
Velabrum maius
Velabrum minus
Vici octo
Aediculae totidem
Vicomagistri XXXVIII. alias XXXII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae ∞DC. alias II∞DC
Domus LXXXIX
Balineae priuatae XV
Lacus XV
Horrea XVI
Pistrina XII
Regio in ambitu continet pedes XI ∞ DC. alias XI ∞ D

REGIO. XII. PISCINA. PVBLICA

vicus veneris almae
vicus Piscinae publicae
vicus Dianae
vicus Ceios
vicus Triari
vicus Salientis signi. alias Aquae Salientis
vicus Laci tecti
vicus Fortunae Mammosae.
vicus Colafiti pastoris, alias Colapeti
vicus portae Ruduſculanae,

alias

alias Raudusculanae
vicus portae Naeuiae
vicus Victoris
Horti Asiniani
Septizonium Seueri
Area Radicaria
Caput uiae nouae
Fortunae Mammosae
Isis Antenodora
Aedes Bonae deae Subsaxanæ
Signum Delphini
Thermae Antoninianae
Septem domus Parthorum
Campus Lanatarius
Domus Cilonis
Aedes Isidis
Cohortes tres uigilum
Domus Cornificei
Priuata Hadriani
Vici XII
Aediculae totidem
Vico magistri XLVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae II millia CDLXXXVI
Domus CXXVIII. alias CXIIII
Balineae priuatae XLIV
Lacus LXXX
Horrea XXVIII. alias XXVI
Pistrina XXV. alias XX
Regio in ambitu continet pedes XII millia

REGIO.XIII.AVENTINVS

vicus Fidij, alias Fidei
vicus Frumentarius
vicus Triumviarum
vicus Caeseti
vicus valeri
vicus Laci miliari
vicus Fortunae
vicus Capitis Canteri
vicus Trium alitum
vicus Nouus
vicus Loreti minoris
vicus Armilustri
Aedes Consi
Aedes Tatij
vicus Columnae ligneae
Mineruae in Auentino
vicus Materiarius
vicus Mundiciei
vicus Loreti maioris
Aedes Siluani

Aedes Mercurij
vicus Loreti maioris, ubi erat Vortumnus
vicus Fortunae dubiae
Armiluſtrum. Caput
Templum Lunae in Auentino magnum
Templum communae Dianae
Templum, alias aedes Bonae deae in Auentino
Thermae Varianae
Templum Libertatis
Doliolum
Priuata Traiani
Horrea Domitiani Aug
Remuria
Atrium libertatis in Auentino
Mappa aurea
Platanon
Horrea Aniceti
Scalae Gemoniae
Porticus Fabaria, alias Fabraria
Schola Caßij
Templum Iunonis Reginae a Camillo dedicatum captis veijs
Forum Piſtorium
Emporium
Templum Iſidis
Cliuus publicus
Aedes Herculis & Siluani
Fons Siluani
Sepulchrum diui Tati
Area publica
Horrea varganteij
Area Pinaria
Horreorum Galbianorum Fortunae
vici XVIIII. alias XVII
Aediculae totidem
vicomagiſtri LXVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Inſulae II mil. CD XXCIIX
Domus CIIII
Balineae priuatae LXXIIII
Lacus LXXIIX
Horrea XXXVI
Piſtrina XXX
Regio in ambitu habet pedes XVI∞ CCC

REGIO. XIIII. TRANSTIBERIM

vicus Cenſori
vicus Gemini

vicus

vicus Rostratae
vicus Longi Aquilae
vicus Statuae Siccianae
vicus Quadrati
vicus Raciliani maioris
vicus Raciliani minoris
vicus Ianuclensis
vicus Bruttianus
vicus Larum Ruralium
vicus Statuae valerianae
vicus Salutaris
vicus Paulli
vicus Sex.Lucei
vicus Simi publici
vicus Patratilli
vicus Laci restituti
vicus Sausei
vicus Sergi
vicus Ploti
vicus viberini
vicus Gaianarum
Aedes Furinarum cum luco
Insula. Aedes Iouis, Fauni, & Aesculapij
Aedes Isidis
Naumachiae
Diae Corniscae
vaticanus
Hortus Domitij
Horti cum domo Martialis
Ianiculum

Arae XII. Iano dedic
Deae Maniae sacellum
Balineum Ampelidis
Balineum Priscillanae
Statua valeriana
Statua Sicciana
Sepulchrum Numae
Area vaticana
Cohortes septem uigilum
Caput Gorgonis
Templum fortis Fortunae
Area Septimiana
Ianus Septimianus
Hercules Cubans
Campus Bruttianus
Campus Codetanus
Horti Getae
Castra Lecticariorum
Hippodromus
Templum Fortunae liberum
Castra uetera
Lucus Publicus
Stadius Publicus
vici XXII
Aediculae totidem
vicomagistri LXXXVIII
Curatores II
Denuntiatores II
Insulae IIIↀ CDIX
aliasCCCCↀ CCCCV
Domus CL.

Balineae

Balineae priuatae CLXXXVI
Lacus CXXC
Horrea XXII
Pistrina XXXII. alias

XXII
Regio in ambitu continet pedes XXXIII ∞ CDXXCIX

Senacula tria, in quibus senatus haberi solitus sit
Vnum inter Capitolium & forum, ubi nunc est aedes Concordiae, ubi magistratus cum senioribus deliberant
Alterum ad portam Capenam
Tertium intra aedem Bellonae in circo Flaminio, ubi dabatur senatus legatis exterarum nationum, quos in urbē admittere nolebant
Quartum matronarum in Quirinali Antoninus Pius Baßiani Seueri filius fecit
Bibliothecae undetriginta publicae, ex ijs praecipue duae Palatina, & Vlpia
Obelisci magni sex
II. In circo maximo, Maior est pedum CXXXII
Minor pedum LXXXVIII. semis
Vnus in Vaticano pedum LXXII
Vnus in campo Martio pedum LXXII
Duo in mausoleo Augusti pares singuli pedum XLII. semis
In insula Tiberis unus
Obelisci parui quadraginta duo, In plerisque sunt notae Aegyptiorum
Circi octo, alias nouem
Pontes octo
Miluius
Aelius
Aurelius, alias Vaticanus
Ianiculensis
Fabricius
Cestius
Palatinus
Aimilius, qui ante Sublicius
Campi octo
Viminalis cum aedicula Fortunae

tunde paruae
Esquilinus
Agrippae, ubi sunt septa Agrippiana
Martius
Codetanus
Bruttanus, alias Bructanus
Lanatarius
Pascuarius, alias Pecuarius
Vnus ultra Tiberim Vaticanus extra numerum

Fora XVII

Romanum, quod dicitur Magnum
Caesaris
Augusti
Boarium
Transitorium
Olitorium
Pistorium
Traiani
Abenobarbi
Suarium, alias Syarium
Archemorium
Diocletiani
Gallorum
Rusticorum
Cupedinis
Piscarium, &
Salustij

Basilicae XIX

Vlpia
L. Paulli in foro
Vestini
Neptunnij, alias Neptumij, alias Neptuni
Macidij, alias Matidij, alias Matidiae
Iulia
Marciana
Vascellaria, alias Vastellaria
Filicelli, alias Floselli, alias Flosselli
Sicini, alias Sicimini
Constantiniana
Porcia, a Porcio Catone facta
L. Paulli uetus
Argentaria
Opimiana
Aemilia
Fuluia
Mammaea
Antoniniana

Thermae XVI

Traiani
Titi Caesaris
Agrippae
Syriacae
Commodianae
Seuerianae, alias Varianae
Antoninianae

Alex.

Alexandrinae
Diocletianae
Decianae
Constantinianae
Septimianae
Olympiadis
Philippianae
Traianae priuatae
Thermae publicae (VI
Iani Quadrifrontes XXX=
Per omnes regiones marmoribus incrustati, et adornati insignijs militaribus, & signis
Duo praecipui ad arcum Fabianum superior, inferiorque

Aquae XXIIII

Appia
Marcia
Virgo
Claudia
Herculea, alias Herculanea
Tepula
Damnata
Traiana
Amnia, alias Annia
Alsta, alias Halsietina, alias Halsientina, quae & Augusta
Caerulea
Iulia
Algentiana
Cimina
Sabatina
Aurelia
Septimiana
Seueriana
Antoniniana
Alexandrina
Anio nouus
Anio uetus
Albudina
Crabra

Viae XXXI

Appia
Latina
Lauicana, alias Labicana
Campana
Praenestina
Tiburtina, uel Gabina
Collatina
Nomentana uel Figulensis, alias Ficulnensis
Salaria
Flaminia
Aemilia
Claudia, alias Clodia
Valeria noua, & uetus
Ostiensis
Laurentina
Ardeatina

Setina

Setina
Quinctia
Gallicana
Triumphalis
Patinaria
Cimina
Cornelia
Tiberina
Aurelia
Caßia
Portuensis
Gallia
Laticulensis, alias Ianicu-
lensis
Flauia, &
Traiana
Capitolia II. uetus & nouum
Amphitheatra II
Colossae II
Columnae coclides II
Theatra tria, alias quattuor
Macella II
Ludi sex, alias septem, alias V
Numachiae V. alias sex
Stadia II
Nymphea XII. alias XI.
alias XV
Equi aenei inaurati octuagin
ta quattuor
Equi eburnei CXXIIII.
alias nonaginta quattuor
Equi magni uiginti tres
Tabulae & signa sine nu-
mero
Arcus marmorei XXXVI
Lupanaria XLVI
Latrinae publicae CXLIIII
Coloßi aenei XXXVII
Marmorei LI
Vici CCCCXXIIII
Aediculae totidem
vicomagistri DCLXXII
Curatores XXIIII
Insulae XLVI millia DCII
Domus mill. DCCXXC
Balinea DCCCLVI
Lacus mill. CCCLII
Pistrina CCLIIII
Portae triginta septem
Cohortes praetoriae decem
Cohores urbanae sex, alias
quattuor
Cohortes uigilum sex, alias
septem
Excubitoria XIIII
Vexilla II. communia
Castra Peregrina
Castra Praetoria
Castra Misenatium II
Castra Tabellariorum
Castra Lecticariorum
Castra Victimariorum

Ca-

Castra Salgamariorum
Castra Salicariorum
Castra equitum singulorum II
Mensae Oleariae LXXIIII∞ *alias* XXIIII *millia*
Lucus XIIII
Vestae Cuperius
Viminei
Loreti minoris
Loreti maioris
Platanorum
Querquetularius
Cuperius Hostiliani, alias Hostilianus
Cuperius scholae Capulatorum
Lucus Mauorti
Vaticanus
Furinarum
Poetilinus
Lunae in Antonino
Lucus Lucinae, ubi Terentum

P. VICTORIS. FINIS

In

IN. RVTILII. CLAVDII NVMATIANI. V. C ITINERARIA

Praefatio



E Rutilio Numatiano poeta non ineleganti immo pro temporum conditione erudito, haud sane multa habeo quae dicam, quum nemo, neque qui ex antiquis, neque qui ex recentioribus de poetis Latinis scripserunt, ne uerbum quidē de illo faciant. Quaedam tamen pauca, quae ex eiusdem duobus itinerarijs, de quibus nunc dicere institui, quantum ad eius uitam attinet, excipiam. Ipse natus est in Gallijs, quod & index libri, & hi uersus itinerarij primi indicant, in quibus de seipso loquitur

At mea dilectis fortuna reuellitur oris
Indigenamque suum Gallica rura uocant

Quum autem per ea tempora ciuitatis Romanae priuilegia per totum Romanum orbem sese extenderent, cui diu ante ius ciuium Romanorum ab imperatoribus datum fuerat, ut his uersibus docet

Religiosa patet peregrinae curia laudi
Nec putat externos quos decet esse suos

Ipse omnibus fere Romanis dignitatibus ab imperatore Honorio Augusto, sub quo uixit, exornatus fuit. Patrem quoque habuit, qui Tusciae consularem egit, ita enim qui ei prouinciae praesidebat appellabatur, quod ipse his uersibus, ubi de Pisarum

rum urbe loquitur, sic refert

Elide deductas suscepit Etruria Pisas
Nominis indicio testificata genus
Hic oblata mihi sancti genitoris imago
Pisani proprio quam posuere foro
Laudibus amissi cogor lacrimare parentis
Fluxerunt madidis gaudia moesta genis
Namque pater quondam Tyrrenis praefuit aruis
Fascibus & senis credita iura dedit

Ipse etiam ut ex libri eius praescriptione liquet, tribunus militũ, cõsul (suffectũ intelligas), praefectus praetorio, et urbi fuit. De anno uero in quo urbis praefecturã administrauit, qui fuit conditae ∞ CLXIX. Christi uero CDXVII. Honorio Augusto XI. & Fl. Constantio V. C. II. coss. sic mentionem facit

Quamuis sedecies denis & mille peractis
Annus praeterea iam tibi nonus erat

Successorem in praefectura urbana habuit Venerium Rufum, ad quem hunc duorum itinerariorum librum conscripsit, ut ipse indicat his uersibus

Laetior hic nostras crebescit fama per auras
Consilium Romam pene redire fuit
Hic praefecturam sacrae cognoscimus urbis
Delatam meritis dulcis amice tuis
Optarem uerum complecti carmine nomen
Sed quosdam refugit regula dura pedes
Cognomen uersu, Veneris carissime Rufi
Illo te dudum pagina nostra canit

Quo tempore Stiliconis perfidia imperium occidentale a barbaris, et praecipue Italia a Gothis; & Gallia a Francis, & Burgundionibus uexabantur. Quos ipse euocauerat, quum insidias

imp.

imp. Honorio Augusto astrueret, filioque suo Eucherio imperium comparare studeret. Quod his uersibus elegantissime Rutilius deplorat, ubi de Apennino loquitur

Iam tum multiplici meruit munimine cingi
Sollicitosque habuit Roma futura deos
Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum
Proditor arcani, qui fuit imperij
Romano generi dum nititur esse superstes
Crudelis summis miscuit ima furor
Dumque timet quicquid se fecerat ipse timeri
Immisit Latiae barbara tela neci
Visceribus nudis armatum condidit hostem
Illatae cladis liberiore dolo
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat
Et captiua prius quam caperetur erat
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis
Ante Sibyllinae fata cremauit opis

Hic quum post expletum praefecturae tempus, ex urbe in Galliam ad auitos agros reuerteretur, & ex inde Romam rediret, multorum ueterum, ut Iulij Caesaris qui Hispaniense, Traiani imp. qui Dacicum, Alexandri Seueri Augusti qui Persicum, Horatij poetae qui Brundusinum, Ouidij qui Milesium, Firmiani qui Africanum itinera scripserunt, itineraria et ipse duo composuit, alterum de itu ex urbe in Galliam, alterum uero de reditu ex Gallia Romam. Quos idcirco hic adposui, quod praeter multa loca scitu digna, quae in utrisque itineribus accurate, & egregie descripsit; urbem quoque Romam, quam hoc libro illustrandam, & ego suscepi, itinere primo, ita scite, ornate, elaborate, uere, & prudenter elegantissimo, eruditissimoq; en

comio celebrauit, ut nihil ab horum temporum ſcriptore elaboratius, & ornatius fieri poße exiſtimem. Incipit autem

Exaudi Regina tui pulcherrima mundi
Inter ſidereos Roma recepta polos

Porro autem ex his duobus itinerarijs prius perfectum eſt. Poſterioris finis deſideratur. Liber admodum elegans, quamquam paruus, certe ob uariarum rerum cognitionem, quibus refertus eſt, dignus admodum mihi uidetur eſſe, ut in hominum manibus aßidue & lectione uerſetur, indignusq;, quod tam diu in tenebris delituerit. Nam & ſi multis annis antea ſemel excuſus fuerit, paulatim tamen omnis eius memoria obliuioni ita tradita erat, perinde ac ſi nunquam fuiſſet. Eum autem & multis librariorum uitio obortis erroribus ſublatis, emendatum, et aliquot uerſibus qui in uulgato deerant locupletatum, Gabrielis Faerni uiri optimi, doctißimi, poetarumque omnium noſtro ſaeculo celeberrimi opera, denuo in lucem dare decreui, non tam ipſius Numatiani immortalitati, quam antiquitatis ſtudioſorū utilitati & commodis conſulturus

RVTILII.CLAVDII.NVMATIANI GALLI . VIRI . CONSVLARIS PRAEFECTORII.VRBIS.TRIBVNI MILITVM . PRAEFECTI PRAETORIO

LIBER.PRIMVS

CVI.TITVLVS.ITINERARIVM AD.VENERIVM.RVFVM



Elocem potius reditum mirabere lector
Tam cito Romuleis posse carere bonis
Quid longum toto Romam uenerantibus aeuo?
Nil unquam longum est, quod sine fine placet
O quantum & quoties possem numerare beatos
Nasci felici qui meruere solo
Qui Romanorum procerum generosa propago
Ingenitum cumulant urbis honore decus
Semina uirtutum demissa & tradita coelo
Non potuere alijs dignius esse locis
Felices etiam qui proxima munera primis
Sortiti Latias obtinuere domos

Religiosa patet peregrinae curia laudi
    Nec putat externos quos decet esse suos
Ordinis imperio, collegarumque fruuntur
    Et partem genij, quem uenerantur, habent
Quale per aetherios mundani uerticis axes
    Connubium summi credimus esse dei
At mea dilectis fortuna reuellitur oris
    Indigenamque suum Gallica rura uocant
Illa quidem longis nimium deformia bellis
    Sed quam grata minus, tam miseranda magis
Securos leuius crimen contemnere ciues
    Priuatam repetunt publica damna fidem
Praesentes lacrimas tectis debemus auitis
    Prodest admonitus saepe dolore labor
Nec fas ulterius longas nescire ruinas
    Quas mora suspensae multiplicauit opis
Iam tempus laceris post longa incendia fundis
    Vel pastorales aedificare casas
Ipsi quinetiam fontes si mittere uocem
    Ipsaque si possent arbusta nostra loqui
Cessantem iustis poterant urgere querelis
    Et desiderijs reddere uela meis
Iam iam laxatis carae complexibus urbis
    Vincimur, & serum uix toleramus iter
Electum pelagus, quoniam terrena uiarum
    Plana madent fluuijs, cautibus alta rigent
Postquam Tuscus ager, post quamquam Aurelius ager
    Perpessus Geticas ense uel igne manus

Non

Non ſiluas domibus, non flumina ponte coercet
  Incerto ſatius credere uela mari
Crebra reliquendis infigimus oſcula portis
  Inuiti ſuperant limina ſacra pedes
Oramus ueniam lacrimis, & laude litamus
  In quantum fletus currere uerba ſinit
Exaudi regina tui pulcherrima mundi
  Inter ſidereos Roma recepta polos
Exaudi genetrix hominum, genetrixque deorum
  Non procul a coelo per tua templa ſumus
Te canimus, ſemperque, ſinent dum fata, canemus
  Soſpes nemo poteſt, immemor eſſe tui
Obruerint citius ſcelerata obliuia Solem
  Quam tuus ex noſtro corde recedat honos
Nam Solis radijs aequalia munera tendis
  Qua circunfuſus fluctuat Oceanus
Voluitur ipſe tibi, qui continet omnia, Phoebus
  Eque tuis ortus, in tua condit equos
Te non flammigeris Libye tardauit harenis
  Non armata ſuo reppulit Vrſa gelu
Quantum uitalis natura tetendit in axes
  Tantum uirtuti peruia terra tuae
Feciſti patriam diuerſis gentibus unam
  Profuit iniuſtis te dominante capi
Dumque offers uictis proprij conſortia iuris
  Vrbem feciſti quod prius orbis erat
Auctorem generis Venerem, Martemque fatemur
  Aeneadum matrem, Romuliumque patrem

Mitigat armatas uictrix clementia uires
    Conuenit in mores nomen utrunque tuos
Hinc tibi certandi bona, parcendique uoluptas
    Quos timuit superat, quos superauit amat
Inuentrix oleae colitur, uinique repertor
    Et qui primus humo preßit aratra puer
Aras Paeoniam meruit medicina per artem
    Fretus & Alcides nobilitate deus
Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis
    Foedere communi uiuere cuncta facis
Te dea te celebrat Romanus ubique recessus
    Pacificoque gerit libera colla iugo
Omnia perpetuos quae seruant sidera motus
    Nullum uiderunt pulchrius imperium
Quid simile Assyrijs connectere contigit arma
    Medi finitimos cum domuere suos?
Magni Parthorum reges, Macedumque tyranni
    Mutua per uarias iura dedere uices
Nec tibi nascenti plures animaeque manusque
    Sed plus consilij, iudicijque fuit
Iustis bellorum caussis, nec pace superba
    Nobilis ad summas gloria uenit opes
Quod regnas minus est, quam quod regnare mereris
    Excedis factis grandia fata tuis
Percensere labor densis decora alta trophaeis
    Vt si quis stellas pernumerare uelit
Confunduntque uagos delubra micantia uisus
    Ipsos crediderim sic habitare deos

Quid

Quid loquar aerio pendentes fornice riuos?
  Qua uix imbriferas tolleret Iris aquas
Hos potius dicas creuisse in sidera montes
  Tale gigantaeum Graecia laudat opus
Intercepta tuis conduntur flumina muris
  Consumunt totos celsa lauacra lacus
Nec minus & proprijs celebrantur roscida uenis
  Totaque natiuo moenia fonte sonant
Frigidus aestiuas hinc temperat halitus auras
  Innocuamque leuat purior unda sitim
Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum
  Rupit Tarpeias hoste premente uias
Si foret aeternus: casum fortasse putarem
  Auxilio fluxit qui rediturus erat
Quid loquar inclusas inter laquearia siluas?
  Vernula, qua uario carmine ludit auis
Vere tuo nunquam mulceri desinit annus
  Delitiasq; tuas uicta tuetur hiemps
Erige crinales lauros, seniumque sacrati
  Verticis in uirides Roma recinge comas
Aurea turrigero radient diademata cono
  Perpetuosque ignes aureus umbo uomat
Abscondat tristem deleta iniuria casum
  Contemptus solidet uulnera clausa dolor
Aduersus Solem ne uis sperare secunda
  Exemplo coeli ditia damna subis
Astrorum flammae renouant occasibus ortus
  Lunam finiri cernis ut incipiat

Victoris Breni non distulit Alia Poenum
    Samnis seruitio foedera saeua luit
Post multas Pyrrhum clades superata fugasti
    Fleuit successus Hannibal ipse suos
Quae mergi nequeunt nixu maiore resurgunt
    Exiliuntq; imis altius alta uadis
Vtque nouas uires fax inclinata resumit
    Clarior ex humili sorte superna petis
Porrige uicturas Romana in saecula leges
    Solaque fatales non uereare colos
Quamuis sedecies denis & mille peractis
    Annus praeterea iam tibi nonus erat
Quae restant nullis obnoxia tempora metis
    Dum stabunt terrae, dum polus astra feret
Illud te reparat quod cetera regna resoluit
    Ordo renascendi est crescere posse malis
Ergo age sacrilegae tandem cadat hostia gentis
    Submittant trepidi perfida colla Getae
Ditia pacatae dent uectigalia terrae
    Impleat Augustos barbara praeda sinus
Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet
    Altricemque suam fertilis orbis alat
Quin & foecundas tibi conferat Africa meßes
    Sole suo diues, sed magis imbre tuo
Interea Latijs consurgant horrea sulcis
    Pinguiaq; hesperio nectare praela fluant
Ipse triumphali redimitus arundine Tibris
    Romuleis famulas oßibus aptet aquas

Atque

Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
  Deuehat hinc ruris, subuehat inde maris
Pande precor gemino placatum Castore pontum
  Temperet aequoream dux Cytheraea uiam
Si non displicui regerem cum iura Quirini
  Si colui sanctos, consuluique patres
Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum
  Non sit præfecti gloria, sed populi
Siue datur patrijs uitam componere terris
  Siue oculis unquam restituere meis
Fortunatus agam, uotoque beatior omni
  Semper digneris si meminisse mei
His dictis iter arripimus, comitantur amici
  Non possum sicca dicere luce uale
Iamque alijs Romam redeuntibus haeret eunti
  Rufius Albini gloria uiua patris
Qui Volusi antiquo deriuat stemmate nomen
  Et reges Rutulos teste Marone refert
Huius facundae commissa palatia linguae
  Primæuus meruit principis ore loqui
Rexerat ante puer populos pro consule Pœnos
  Aequalis Tyrijs terror, amorque fuit
Sedula promisit summos imitatio fasces
  Si fas est meritis fidere, consul erit
Inuitum tristis tandem remeare coegi
  Corpore diuiso mens tamen una fuit
Tum demum ad naues gradior, qua fronte bicorni
  Diuiduus Tiberis dexteriora secat

Leuus inaccessis fluuius uitatur harenis
Hospitis Aeneae gloria sola manet
Et iam nocturnis spatium laxauerat horis
Phoebus chelarum pallidiore polo
Cunctamur tentare solum , portuque sedemus
Nec piget oppositis otia ferre moris
Occidua infido dum saeuit gurgite Plias
Dumque procellosi temporis ira cadit
Respectare iuuat uicinam saepius urbem
Et montes uisu deficiente sequi
Quaque duces oculi grata regione fruuntur
Dum se quod cupiunt, cernere posse putant
Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo
Qui dominas arces & caput orbis habet
Quanquam signa leuis fumi commendat Homerus
Dilecto quotiens surgit in astra solo]
Sed caeli plaga candidior, tractusque serenus
Signat septenis culmina clara iugis
Illic perpetui soles, atque ipse uidetur
Quem tibi Roma facit, purior esse dies
Saepius attonitae resonant circensibus aures
Nuntiat accensus plena theatra fauor
Pulsato notae redduntur ad æthera uoces
Vel quia perueniunt, uel quia fingit amor
Explorata fides pelagi terquinque diebus
Dum melior Lunæ sideret aura nouae
Tum discessurus studijs, urbique remitto
Palladium generis spemque, decusque mei

Facundus iuuenis Gallorum nuper ab aruis
Missus Romani discere iura fori
Ille meae secum dulcissima uincula cunnae
Filius affectu, stirpe propinquus habet
Cuius Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium pacis amore docet
Leges restituit, libertatemque reducit
Et seruos famulis non sinit esse suis
Soluimus auroræ dubio quo tempore primum
Agnosci patitur redditus arua color
Progredimur paruis per littora proxima cymbis
Quarum perfugio crebra pateret humus
Aestiuos penetrent oneraria carbasa fluctus
Tutior autumnus mobilitate fugae
Alsia praelegitur tellus, Pyrgique recedunt
Nunc uillae grandes, oppida parua prius
Iam Cerretanos demonstrat nauita fines
Aeuo deposuit nomen Agylla uetus
Stringimus & fluctu & tempore castrum
Index semiruti porta uetusta loci
Præsidet exigui formatus imagine saxi
Qui pastorali nomina fronte gerit
Multa licet priscum nomen deleuerit aetas
Hoc Inui castrum fama fuisse putat
Seu Pan Tyrrenis mutauit Maenala siluis
Siue sinus patrios incola Faunus init
Dum renouat largo mortalia semina foetu
Fingitur in Venerem pronior essa deus

Ad Centumcellas forti deflex imus austro
Tranquilla puppes in statione sedent
Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum
Angustosque aditus insula facta tegit
Attollit geminas turres, bifidoque meatu
Faucibus arctatis pandit utrumque latus
Nec posuisse satis laxo naualia portu
Ne uaga uel tutas uentilet aura rates
Interior medias sinus inuitatus in aedes
Instabilem fixis aera nescit aquis
Qualis in Euboicis captiua natantibus unda
Sustinet alterno brachia lenta sono
Nosse iuuat tauri dictas de nomine thermas
Nec mora difficilis milibus ire tribus
Non illic gustu latices uitiantur amaro
Lymphaque fumifico sulphure tincta calet
Purus odor, mollisque sapor dubitare labantem
Cogit qua melius parte petantur aquae
Credere si dignum famae, flagrantia taurus
Inuestigato fonte lauacra dedit
Vt solet excußis pugnam praeludere glebis
Stipite cum rigido cornua prona terit
Siue deus faciem mentitus, & ora iuuenci
Noluit ardentis dona latere soli
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
Per freta uirgineum sollicitauit onus
Ardua non solos deceant miracula Graios
Auctorem pecudem fons Heliconis habet

Elicitas

Elicitas ſimili credamus origine nymphas
Muſarum latices ungula fodit equi
Hæc quoque Pierijs ſpiracula comparat antris
Carmine Meſſallae nobilitatus ager
Intrantemque capit, diſcedentemque moratur
Poſtibus affixum dulce poema ſacris
Hic eſt qui primo ſeriem de conſule ducit
Vſque ad Publicolas ſi redeamus auos
Hic & praefecti nutu praetoria rexit
Sed menti & linguae gloria maior ineſt
Hic docuit qualem poſcat facundia ſedem
Vt bonus eſſe uelit, quiſque diſertus erit
Roſcida puniceo fulſere crepuſcula caelo
Pandimus obliquo lintea flexa ſinu
Pauliſper littus fugimus Munione uadoſum
Suſpecto trepidant hoſtia parua ſolo
Inde Grauiſcarum faſtigia rara uidemus
Quas premit aeſtiuae ſaepe paludis odor
Sed nemoroſa uiret denſis uicinia lucis
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis
Cernimus antiquas nullo cuſtode ruinas
Et deſolatae moenia foeda Coſae
Ridiculam cladis pudet inter ſeria cauſsam
Promere, ſed riſum dißimulare piget
Dicuntur ciues quondam migrare coacti
Muribus infeſtos deſeruiſſe lares
Credere maluerim Pygmeae damna cohortis
Et coniuratas in ſua bella grues

Haud procul hinc petitur ſignatus ab Hercule portus:
Vergentem ſequitur mollior aura diem
Inter caſtrorum ueſtigia ſermo retexit
Sardoam Lepido praecipitante fugam
Littore nanque Coſae cognatos depulit hoſtes
Virtutem Catuli Roma ſecuta ducis
Ille tamen Lepidus peior, ciuilibus armis
Qui geßit ſocijs impia bella tribus
Qui libertatem Mutinenſi Marte receptam
Obruit auxilijs urbe pauente nouis
Inſidias paci moliri tertius auſus
Triſtibus excepit congrua fata reis
Quartus Caeſareo dum uult irrepere regno
Inceſti poenam ſoluit adulterij
Nunc quoque ſed melius de noſtris fama queretur
Iudex poſteritas ſemina dira notet
Nominibus certos credam decurrere mores
Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id eſt mirus Latijs annalibus ordo
Quod Lepidum toties recidit enſe malum
Necdum deceßis pelago permittitur umbris
Natus uicino uortice uentus adeſt
Tenditur in medias mons Argentarius undas
Ancipitique iugo caerula curua premit
Tranſuerſos colles bis ternis milibus artat
Circuitu ponti terduodena patet
Qualis per geminos fluctus Ephyreius Iſthmos
Ionias bimari littore findit aquas

Vix circumuehimur sparsae dispendia rupis
Nec sinuosa graui cura labore caret
Mutantur totiens uario spiramina flexu
Quæ non profuerant uela, repente nocent
Eminus Igilij siluosa cacumina miror
Quam fraudare nefas laudis honore suae
Haec proprios nuper tutata est insula saltus
Siue loci ingenio, seu domini genio
Gurgite cum modico uictricibus obstitit armis
Tanquam longinquo dissociata mari
Haec multos lacera suscepit ab urbe fugatos
Hic feßis posito certa timore salus
Plurima terreno populauerat aequora bello
Contra naturam classe timendus eques
Vnum mira fides uario discrimine portum
Tam prope Romanis, tam procul eße Getis
Tangimus Vmbronem, non est ignobile flumen
Quod tuto trepidas excipit ore rates
Tam facilis pronis semper patet alueus undis
In pontum quotiens saeua procella ruit
Hic ego tranquillæ uolui succedere ripae
Sed nautas auidos longius ire, sequor
Sic festinantem uentusque, diesque reliquit
Nec proferre pedem, nec reuocare licet
Littorea noctis requiem metamur arena
Dat uespertinos myrtea silua focos
Paruula subiectis facimus tentoria remis
Transuersus subito culmine contus erat

Lux

Lux aderat, tonsis progressi stare uidemur
  Sed cursum, prorae terra relicta, probat
Occurrit chalybum memorabilis Ilua metallis
  Qua nihil uberius Norica gleba tulit
Non Biturix largo potior strictura camino
  Nec quae Sardonio cespite massa fluit
Plus confert populis ferri foecunda creatrix
  Quam Tartessiaci glarea fulua Tagi
Materies uitijs aurum letale parandis
  Auri caecus amor ducit in omne nefas
Aurea legitimas expugnant munera taedas
  Virgineosque sinus aureus imber emit
Auro uicta fides munitas decipit urbes
  Auri flagitijs ambitus ipse furit
At contra ferro squalentia rura coluntur
  Ferro uiuendi prima reperta uia est
Saecula semideum ferrati nescia Martis
  Ferro crudeles sustinuere feras
Humanis manibus non sufficit usus inermis
  Si non sint aliae ferrea tela manus
His mecum pigri solabar taedia uenti
  Dum resonat uariis uile celeuma modis
Lassatum cohibet uicina Faleria cursum
  Quamquam uix medium Phoebus haberet iter
Et tum forte hilares per compita rustica fagi
  Mulcebant sacris pectora fessa iocis
Illo quippe die tandem renouatus Osyris
  Excitat in fruges germina laeta nouas

Egreßi, uillam petimus, lutoque uagamur
Stagna placent ſepto delitioſa uado
Ludere laſciuos inter uiuaria piſces
Gurgitis incluſi laxior unda ſinit
Sed male penſauit requiem ſtationis amoenae
Hoſpite conductor durior Antiphate
Namque loci querulus curam Iudaeus agebat
Humanis animal diſſociale cibis
Vexatos frutices, pulſatas imputat algas
Damnaque libatae grandia clamat aquae
Reddimus obſcoenae conuicia debita genti
Que genitale caput propudioſa metit
Radix ſtultitiae, cui frigida ſabbata cordi
Sed cor frigidius religione ſua eſt
Septima quaeque dies turpi damnata ueterno
Tamquam laſſati mollis imago dei
Cetera mendacis deliramenta cataſtae
Nec pueros omnes credere poſſe reor
Atque utinam numquam Iudaea ſubacta fuiſſet
Pompeij bellis, imperioque Titi
Latius exciſae peſtis contagia ſerpunt
Victoreſque ſuos natio uicta premit
Aduerſus ſurgit Boreas, ſed nos quoque remis
Surgere certamus cum tegit aſtra dies
Proxima ſecurum reſerat Populonia littus
Qua naturalem ducit in arua ſinum
Non illic poſitas extollit in aethera moles
Lumine nocturno conſpicienda Pharos

Sed ſpeculum ualidae rupis ſortita uetuſtas
    Qua fluctus domitos arduus urget apex
Caſtellum geminos hominum fraudauit in uſus
    Praeſidium terris, indiciumque fretis
Agnoſci nequeunt aeui monumenta prioris
    Grandia conſumpſit moenia tempus edax
Sola manent interceptis ueſtigia muris
    Ruderibus latis tecta ſepulta iacent
Non indignemur mortalia corpora ſolui
    Cernimus exemplis oppida poſſe mori
Laetior hic noſtras crebeſcit fama per aures
    Conſilium Romam paene redire fuit
Hic praefecturam ſacrae cognoſcimus urbis
    Delatam meritis dulcis amice tuis
Optarem uerum complecti carmine nomen
    Sed quoſdam refugit regula dura pedes
Cognomen uerſu Veneris cariſſime Rufi
    Illo te dudum pagina noſtra canit
Feſta dies, pridemque meos dignata penates
    Poſte coronato uota ſecunda colat
Exornent uirides communia gaudia rami
    Prouecta eſt animae portio magna meae
Sic mihi ſic potius placeat geminata poteſtas
    Per quem malueram rurſus honore fruar
Currere curamus uelis Aquilone reuerſo
    Cum primum roſeo fulſit Eous equo
Incipit obſcuros oſtendere Corſica montes
    Nubiferumque caput concolor umbra leuat

Sic dubitanda solet gracili uanescere cornu
Defeßisque oculis Luna reperta latet
Haec ponti breuitas auxit mendacia famae
Armentale ferunt quippe natasse pecus
Tempore Cyrnaeas quo primum uenit in oras
Forte secuta uagum femina Corsa bouem
Processu pelagi iam se Capraria tollit
Squalet lucifugis insula plena uiris
Ipsi se monachos graio cognomine dicunt
Quod soli nullo uiuere teste uolunt
Munera fortunae metuunt, dum damna uerentur
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?
Quae nam peruersi rabies tam stulta cerebri
Dum mala formides, nec bona posse pati?
Siue suas repetunt ex fato ergastula paenas
Tristia seu nigro uiscera felle tument
Sic nimiae bilis morbum aßignauit Homerus
Bellerophontaeis sollicitudinibus
Nam iuueni offenso saeui post tela doloris
Dicitur humanum displicuisse genus
In Volaterranum uero uada nomine tractum
Ingressus dubij tramitis alta lego
Despectat prorae custos, clauumq; sequentem
Dirigit, & puppim uoce monente regit
Incertus gemina discriminat arbore fauces
Defixasque offert limes uterque sudes
Illis proceras mos est adnectere lauros
Conspicuas ramis, & fruticante coma

Vt praebente algam densi Symplegade limi
    Seruet inoffensas semita clara notas
Illic me rapidus consistere coruus adegit
    Qualis siluarum frangere lustra solet
Vix tuti domibus saeuos tolerauimus imbres
    Albini patuit proxima uilla mei
Namque meus quem Roma meo subiunxit honori
    Per quem iura meae continuata togae
Non expectatos pensauit laudibus annos
    Vitae flore puer sed grauitate senex
Mutua germanos iunxit reuerentia mores
    Et fauor alternis creuit amicitijs
Praetulit ille meas cum uincere posset habenas
    Praedecessoris maior amore fuit
Subiectas uillae uacat aspectare salinas
    Namque hoc censetur nomine salsa palus
Qua mare terrenis decliue canalibus intrat
    Multifidosque lacus paruula fossa rigat
Ast ubi flagrantes admouit Sirius ignes
    Cum pallent herbae, cum sitit omnis ager
Cum cataractarum claustris excluditur aequor
    Vt fixos latices horrida duret humus
Concipiunt acrem natiua coagula Phoebum
    Et grauis aestiuo crusta calore coit
Haud aliter quam cum glacie riget horridus Ister
    Grandiaque adstricto flumine plaustra uehit
Rimetur solitas natura expendere caussas
    Inque pari dispar fomite quaerat opus

Iuncta

Iuncta fluenta gelu conspecto Sole liquescunt
Et rursus liquidae Sole gelantur aquae
O quam saepe malis generatur origo bonorum
Tempestas dulcem fecit amara moram
Victorinus enim nostrae pars maxima mentis
Congressu expleuit mutua uota suo
Errantem Tuscis considere compulit agris
Excolere externos capta Tolosa lares
Nec tantum duris nituit sapientia rebus
Pectora non alio prosperiora tulit
Conscius Oceanus uirtutum, conscia Thule
Et quicumque ferox arua Britannus arat
Qua praefectorum uicibus frenata potestas
Perpetuum magni faenus amoris habet
Extremum pars illa quidem discessit in orbem
Sed tanquam medio rector in orbe fuit
Plus palmae est, illos inter uoluisse placere
Inter quos minor est displicuisse pudor
Illustris nuper sacrae comes additus aulae
Contempsit summos ruris amore gradus
Hunc ego complexus uentorum aduersa fefelli
Dum uideor patriae iam mihi parte frui
Lutea protulerat sudos aurora iugales
Antennas tendi littoris unda iubet
Inconcussa uehit tranquillus aplustria flatus
Mollia securo uela rudente tremunt
Assurgit ponti medio circumflua Gorgon
Inter Pisanum, Cyrniacumque latus

Aduersus scopulos damni monumenta recentis
    Perditus hic uiuo funere ciuis erat
Noster enim nuper iuuenis maioribus amplis
    Nec censu inferior, coniugioue minor
Impulsus furijs homines, diuosque reliquit
    Et turpem latebram credulus exul agit
Infelix putat illuuie caelestia pasci
    Seque premit laesis saeuior ipse deis
Nūm rogo deterior Circaeis secta uenenis?
    Tunc mutabantur corpora, nunc animi
Inde Trituritam petimus, sic uilla uocatur
    Quae latet expulsis insula paene fretis
Namque manu iunctis procedit in aequora saxis
    Quique domum posuit, condidit ante solum
Contiguum stupui portum, quem fama frequentat
    Pisarum emporio, diuitijsq; maris
Mira loci facies pelago pulsatur aperto
    Inque omnes uentos littora nuda patent
Non ullus tegitur per brachia tuta recessus
    Aeolias poßit qui prohibere minas
Sed procera suo praetexitur alga profundo
    Molliter offensae non nocitura rati
Et tamen insanas cedendo interrigat undas
    Nec sinit ex alto grande uolumen agi
Tempora nauigij clarus reparauerat Eurus
    Sed mihi Protadium uisere cura fuit
Quem qui forte uelit certis cognoscere signis
    Virtutis speciem corde uidente petat

Nec

Nec magis efficiet similem pictura colorem
Quam quae de meritis mista figura uenit
Aspicienda procul certo prudentia uultu
Formaque iustitiae suspicienda micat
Sit fortasse minus si laudet Gallia ciuem
Testis Roma sui praesulis esse potest
Substituit patrijs mediocres Vmbria sedes
Virtus fortunam fecit utramque parem
Mens inuicta uiri pro magnis parua tuetur
Pro paruis animo magna fuere suo
Exiguus, regum rectores cespes habebat
Et Cincinnatos iugera pauca dabant
Haec etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani, Fabricijq; foco
Puppibus ergo meis fida in statione locatis
Ipse uehor Pisas qua solet ire pedes
Praebet equos, offert etiam carpenta tribunus
Ex commilitio carus & ipse mihi
Officijs regerem cum regia tecta magister
Armigerasque Pij principis excubias
Alpheae ueterem contemplor originis urbem
Quam cingunt geminis Arnus & Ausur aquis
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt
Intratur modico frons patefacta solo
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen
Et pontum solus scilicet Arnus adit
Ante diu quam Troiugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret

Elide deductas suscepit Etruria Pisas
    Nominis indicio testificata genus
Hic oblata mihi sancti genitoris imago
    Pisani proprio quam posuere foro
Laudibus amissi cogor lacrimare parentis
    Fluxerunt madidis gaudia maesta genis
Nanque pater quondam Tyrrenis praefuit aruis
    Fascibus & senis credita iura dedit
Narrabat memini multos emensus honores
    Tuscorum regimen plus placuisse sibi
Nam neque opum curam, quamuis sit magna, sacrarum
    Nec ius quaesturae grata fuisse magis
Ipsam, si fas est, postponere praefecturam
    Pronior in Tuscos non dubitabat amor
Nec fallebatur, tam carus & ipse probatis
    Aeternas grates mutua cura canit
Constantemque sibi pariter, mitemque fuisse
    Insinuant natis qui meminere senes
Ipsum me gradibus non degenerasse parentis
    Gaudent, & duplici sedulitate fouent
Haec eadem cum Flaminiae regionibus irem
    Splendoris patrij saepe reperta fides
Famam Lachanij ueneratur nominis instar
    Inter turrigenas Lydia tota suos
Grata bonis priscos retinet prouincia mores
    Dignaque rectores semper habere bonos
Qualis nunc Decius Lucilli nobile pignus
    Per Coryti populos arua beata regit

Nec

Nec mirum magni si redditus indole nati
    Felix tam simili posteritate pater
Huius uulnificis satyra ludente camoenis
    Nec Turnus potior, nec Iuuenalis erit
Instituit ueterem censoria lima pudorem
    Dumque malos carpit praecipit esse bonos
Non olim sacri iustissimus arbiter auri
    Circunsistentes repulit Harpyias
Harpyias quarum decerpitur unguibus orbis
    Quae pede glutineo quod tetigere trahunt
Quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum
    Inter custodes publica furta uolant
Sed non Lucillum Briareia praeda fefellit
    Totque simul manibus restitit una manus
Iamque Trituritam Pisaea ex urbe reuersus
    Aptabam nitido pendula uela noto
Cum subitis tectus nimbis insorduit aether
    Sparserunt radios nubila rupta uagos
Substitimus. Quis enim sub tempestate maligna
    Insanituris audeat ire fretis?
Otia uicinis terimus naualia siluis
    Sectandisque iuuat membra mouere feris
Instrumenta parat uenandi uillicus hospes
    Atque olidum doctas nosse cubile canes
Funditur insidiis, & rara fraude plagarum
    Terribilisque cadit fulmine dentis aper
Quem Meleagrici uereantur adire lacerti
    Qui laxat nodos Amphitryoniadae

Tum


Tum responsuros persultat bucina colles
    Fitque reportando carmine praeda leuis
Interea madidis non desinit Africus alis
    Continuos picea nube negare dies
Iam matutinis Hyades occasibus udae
    Iam latet hiberno conditus imbre lepus
Exiguum radijs, sed magnis fluctibus astrum
    Quo madidam nullus nauita linquit humum
Namque procelloso subiungitur Orioni
    Aestiferumque canem roscida praeda fugit
Vidimus excitis pontum flauescere arenis
    Atque eructato uortice rura tegi
Qualiter occeanus medijs infunditur agris
    Destituenda uago cum premit arua salo
Siue alio refluus nostro colliditur orbe
    Siue corusca suis sidera pascit aquis

FINIS ITINERARII PRIMI

RVTILII . CLAVDII NVMATIANI . GALLI V.C. DE. REDITV. SVO ITINERARII

LIBER. SECVNDVS

AD . VENERIVM RVFVM





ONDVM *longus erat, nec multa uolumina passus*
Iure suo poterat longior esse liber
Taedia continuo timuit cessura labori
Sumere ne lector iuge paueret opus
Saepe cibis affert serus fastidia finis
Gratior est, modicis haustibus unda, siti

Interualla

Interualla uiae feßis praestare uidetur
Qui notat inscriptus milia crebra lapis
Partimur trepidum per opuscula bina rumorem
Quem satius fuerat sustinuisse semel
Tandem nimbosa maris obsidione solutis
Pisano portu contigit alta sequi
Adridet placidum radijs crispantibus aequor
Et sulcata leui murmurat unda sono
Incipiunt Apennini deuexa uideri
Qua fremit aerio monte repulsa Thetis
Italiam rerum dominam qui cingere uisu
Et totam pariter cernere mente uelit
Inueniet quernae similem procedere frondi
Artatam laterum conueniente sinu
Milia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniae
In latum uarijs damnosa anfractibns intrat
Tyrreni rabies, Hadriacique sali
Qua tamen est iuncti maris angustißima tellus
Triginta & centum milia sola patet
Diuersas medius mons obliquatur in undas
Qua fert atque refert Phoebus uterque diem
Vrget Dalmaticos eoo uertice fluctus
Caerulaque occiduis frangit Etrusca iugis
Si factum certa mundum ratione fatemur
Consiliumque dei machina tanta fuit
Excubijs Latijs praetexuit Apenninum
Claustraque montanis uix adeunda uijs

Inuidiam timuit natura, parumque putauit
Arctois alpes opposuiße minis
Sicut uallauit multis uitalia membris
Nec semel inclusit quae pretiosa tulit
Iam tum multiplici meruit munimine cingi
Sollicitosque habuit Roma futura deos
Quo magis est facinus diri Stiliconis acerbum
Proditor arcani qui fuit imperij
Romano generi dum nititur esse superstes
Crudelis summis miscuit ima furor
Dumque timet quiquid se fecerat ipse timeri
Immisit Latiae barbara tela neci
Visceribus nudis armatum condidit hostem
Illatae cladis liberiore dolo
Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat
Et captiua priusquam caperetur erat
Nec tantum Geticis crassatus proditor armis
Ante Sibyllinae fata cremauit opis
Odimus Althaeam consumpti funere torris
Nisaeum crinem flere putantur aues
At Stilico aeterni fatalia pignora regni
Et plenas uoluit praecipitare colos
Omnia tartarei cessent tormenta Neronis
Consumat stygias tristior umbra faces
Hic immortalem, mortalem perculit ille
Hic mundi matrem perculit, ille suam
Sed deuerticulo fuimus fortasse loquaces
Carmine proposito iam repetamus iter

Aduehimur celeri candentia moenia lapsu
Nominis est auctor Sole corusca soror
Indigenis superat ridentia lilia saxis
Et laeui radiat picta nitore silex
Diues marmoribus tellus, quae luce coloris
Prouocat intactas luxuriosa niues

RELIQVA. DESIDERANTVR

Lectori S




RBIS Romæ, hoc eſt regionum, ædificiorumque deſcriptione breuiſſime & accurate abſoluta, nunc reliquum uidetur eſſe, ut eius interpretationẽ, quam inſigni commẽtario edidi, ſtudeam publicare, in qua omnia quæ ſingulis regionibus a me, P. Victore, & Sex. Rufo digeſta ſunt, ueterum auctorũ locis citatis, diligenter ſunt examinata. Quod quam primũ me factu rum omnino polliceor, ſi primos hos labores meos gratos fuiſſe cognouero. Nō enim futuros exiſtimo, qui laborem hũc meum facile improbaturi ſint, quod de iis mihi diſputare conſtituerim, in qui bus multi noſtra uel patrum memoria, ſumma cũ ingenii & doctrinae laude uer ſati ſunt. Quod & ſi haud inficias eam, illud tamen mihi etiam concedi uelim,

haec

hæc ipſa quæ ante ex obſcuriſſimis paulo certe clariora reddita ſunt, poſſe etiam aſsiduis & nouis hominum laboribus longe clariſsima & illuſtriſsima reddi. Quantum enim in his quae antequam XIIII. vrbis regiones attigerim, deſcripſi, prae ceteris praeſtiterim, facile omnes diiudicare poſſunt; quae etiam fidem reliquis facere queunt, an haec ipſa nouis quibuſdam & accuratioribus hominum lucubrationibus melioreſcere poſſint. Sexcenta enim loca, aut reſtitui, aut in melius mutari poſſe opinor. Sed haec latius alias. Vrbe igitur quanta breuitate potui ornata, nunc quod pollicitus ſum ſecundum librum aggrediar, in quo praeclariora Romanae ciuitatis inſtituta, eadem propemodum ratione, qua ſuperiora, aperire, & illuſtrare pro mea virili conabor. Vale

ONVPHRII. PANVINII VERONENSIS. FRATRIS EREMITAE. AVGVSTINIANI

CIVITAS. ROMANA



VENETIIS
Ex officina Erasmiana, apud
Vincentium Valgrisium
M D LVIII

IMP. CAESARI. FERDINANDO AVSTRIO. PIO. FELICI PERPETVO. AVGVSTO

ONVPHRIVS. PANVINIVS. VERONENSIS FRATER. EREMITA AVGVSTINIANVS. S. P. D



RIMA totius inſtituti mei parte Caeſar Auguſte defunctus, nunc longe digniſſimum, & praeſtantiſſimum opus aggredior. Tanto enim quae ſequuntur, ea quae anteceſſerunt excellunt, quanto aedificiorum moles res praeſtantiſſimorum hominũ geſtae. Veterem enim Romanam, maximamque illam rempublicam dilucide ſub omnium oculos, tanta breuitate, quanta fieri poſſe intelligo, ſubijcere inſtitui. Quo ortu, & quibus incrementis orbem terrarum occuparit, quo ordine, qua ratione, quo conſilio, & euentu ſingula praeclara geſ

ſerit, demonſtrare deinceps, commentarij potius quã hiſtoriae more conabor. A Romulo autem initium ſumens, omnia vſq; ad Iuſtiniani Magni Auguſti imperium perſequar, quae praecipue cognitu digna animaduerterim. Qua ratione Romulus primum, deinde ceteri rereges Romanam rempublicam conſtituerint. Quis libertate parta, eiuſdem ſtatus fuerit, quonam modo ex paucorũ patriciorum imperio, quibus ſolis, plebe excluſa, principio reſpublica commiſſa fuerat; tenuiores, ideſt plebs cum principibus ciuitatis in ea adminiſtranda, paulatim adaequata, eos poſtremo ſuperauerit, atque pulſis optimatibus, ad iniuſtum populi dominatum reſpublica translata ſit. L. Sullaẽ deinde, Marij & Cinnae dominationem; Craſſi & Pompeij arma, quae in C. Caeſarem dictatorem; Antonij & Lepidi, quae in Auguſtum ceſſere exponam. Poſt Auguſtum, qui primus ſub

ſub principis nomine ſingulare imperiũ a ſenatu obtinuit, quae Romanae ciuitatis cõditio ſub ſequentibus ĩperatoribus fuerit, vſq; ad Iuſtinianum imperatorem aperiam. Ad haec ſacra, ſacerdotia, magiſtratus maiores, minores, ordinarios, extra ordinem, vrbanos, prouinciales, comitia, tribus, curias, centurias, ordines, & omnia poſtremo eius ciuitatis praeclariora inſtituta, quantum potero, demonſtrabo. Quae omnia quum non ſolum cognitu digniſſima, ſed & lectu iocundiſſima ſint, ea in publicum exire nullo alio munita praeſidio conuenientius eſſe exiſtimaui, quam rerum Romanarum ſummi praeſidis, imperatoris optimi, & Caeſaris Auguſtiſſimi. Cuius virtute, iuſtitia, pietate, & religione vniuerſus terrarũ orbis tãquam clariſſimo iubare illuſtratur, cuius doctrina, eruditione, & liberalitate, priſca illa virtus, & litterarum prope deplorata ſtudia recreari, & in priſtinum

ſplendorem redigi coeperunt, quum ſuſceptum abs te optime Caeſar, litterarum patrocinium ab omnibus fere noſtrae aetatis principibus etiam ſummis prope neglectum, vndique fama ferat. Te enim Deus optimus maximus, quum ad Romani nominis gloriam renouandam, conſeruandamque, tum ad litterarũ ſtudia retinenda & augenda ad tantum imperij faſtigium euexiſſe videtur. Sed ne diutius maieſtatem tuam verbis diſtineam, propoſiti mihi operis rationem explicandam aggrediar. Venetiis Kal. Auguſti ∞ DLVIII

ONV-

ONVPHRII. PANVINII VERONENSIS. FRATRIS EREMITAE. AVGVSTINIANI CIVITATIS. ROMANAE DESCRIPTIO

Romulus rex primus



RBEM Romam reges ab initio tenuisse constat. Quorum imperio tantae futurae reipublicae non solum utili, uerum prope etiam necessario, annis CCXLIIII. paruit. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum conuenarumque congregata multitudo, transfuga ex suis populis, sub tutela inuiolati templi, aut libertatem, aut certe impunitatem adepta, soluta regio metu, agitari coepta esset tribunicijs procellis, & in aliena vrbe cum patribus ciuili contentione decertare, priusquam pignora coniugum, ac liberorum, charitasque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos eorum consociasset? dißipatae res nondum adultae discordia forent, quas tranquilla regij imperij moderatio fouit, eòque nutriendo postremo perduxit, ut bonam frugem libertatis, maturis iam uiribus ferre possent. Primus autem Romae regnasse, qui eandem etiam condidisse Romulus proditur. Quo tempore tria millia peditum, & trecenti equites, ex loci indigenis, Graecis, & Latinis, Albanis, & pastoribus per mille domos distributi Romae collecti erant, a quibus quum Romulus fratre Remo caeso, auspicato rex creatus esset, tunc primũ illud institutum est, ne ullus deinceps in vrbe magistratus, nisi ante captatis auspicijs crearetur: Ita

Liuius libro 1. Dionysius libro II. & Plutarchus in Romulo

De primis tribubus, & curiis

Quum Romulus rex creatus, ad ciuitatis statum constituendum animum adiecisset, primo uniuersum populum Romanum in tres partes, quas tribus appellauit, diuisit; singulas uero tribus in decem partes, quas curias uocauit; curiasque in decurias distribuit. Tribubus tres tribuni, curijs XXX. curiones, decurijs decuriones, populi Romani suffragijs praepositi. Post haec agrum Romanum in tres partes diuisit, quarum alteram publicam, alteram sacerdotum, tertiam priuatorum esse uoluit. Partem uero agri quae priuatis obtigerat in triginta partes diuisam, singulas curias sortiri uoluit. Quae ita a Dionysio in Romulo libro II. traduntur: Diuisa in tres partes omni multitudine, singulis partibus praefectum constituit eum, quem illustrissimum, ac nobilißimum censebat. Tum singulas trium partium rursus in decem partes distribuit, totidemque singulis praefectos dedit, qui essent fortißimi, ac maiores quidē tribus, minores curias appellauit. Et ij quidem qui tribuum praefecti erant, tribuni, curiarum uero curiones appellati. Diuisaeque rursus sunt curiae in decurias, uocabaturq; singularum praefectus decurio. Postquam autem hoc modo omnes in tribus & curias descripti sunt, agrum vrbanum omnem in triginta equales partes distribuit, exempta ex singulis tantilla portione quae sufficeret templis, delubrisque construendis, simulque parte aliqua publica relicta. & cet. Vnde autem tribus, & curiae dictae, aut quae earum nomina fuerint, paulo post dicam

De pa-

De patricijs, & plebe; senatu, equitibus, & populo

Tertia populi diuisio a Romulo facta, in patres, & plebem exemplo ab Atheniensibus sumpto, fuit: patrum progenies patricij, plebis plebeij appellati. Romulus enim quum nouã vrbem uiribus, & iuuenum robore affatim ab se munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus, si eandẽ quoq; consilij ope fulcisset. Quare populum Romanum tertia (ut dixi) diuisione in duas partes primo distribuit, ex his illustriores genere, spectatae uirtutis, quique prudentia, modestia, probitate, uitaeq; sanctimonia prae ceteris pollerent, uel plures filios suscepissent, itemque ditiores, & opulentiores, ac postremo natu grandiores essent, patres, reliquam uero multitudinem ut ignobiles, & pauperes, plebem appellauit. Patres autem dicti ob aetatem (nam ex populo seniores erant) uel ob curae similitudinem, uel quia agrorum partem tribuebant tenuioribus, & eos suae curae commendatos, atque in clientelam susceptos, tanquã patres tuebantur. Patres ad concionem singillatim per preconem conuocabantur addito patris praenomine, plebs uero omnes simul cornu bubulo. Patribus & patricijs sacra facere, sacerdotia & magistratus gerere, ius dicere, atque cũ rege publica negocia, quae ad ciuitatis statum pertinebant, administrare iniunctum est. Plebs his muneribus exclusa, quaestuarias artes exercebat, & agriculturae pecorique alendo operam dabat. Ad quorum ordinum concordiam conseruandam, clientum ac patronorum ius instituit. Nam tenuiores & plebem, in ditiorum, patriciorumq; clientelam distribuit. Quod postea egregium reipublicae temperamentum Ti. Gracchus tribunus plebis dissoluit. Familiae autem quae ab his patribus, quos primos Romulus legit descenderunt, patriciae maiorum

gentium

gentium dictae sunt, ut aliquot discrimen esset inter has, & illas quas posteriores reges in patricias cooptarunt, quae minorum gentium sunt uocitatae. In his fuerunt certae familiae hae

Iulia	Fabia	Tarpeia
Hostilia	Potitia	Pinaria
Gegania	Quinctilia	Romilia

Ex quibus familijs, quae maiorum gentium dictae sunt, centum hac ratione senatores, quorum consilio rempublicam administraret, primo legit. Nam singulis tribubus edixit, ut tres omnium praestantißimos ex una quaque earundem suis suffragijs crearent, atque ita nouem facti; deinde eadem ratione tres a singulis curijs quae XXX. erant ditiores, meliores, & natu grandiores renuntiari iußit, atque ita omnino nonaginta nouem aucti, ipse uero suo arbitrio ijs centesimum adiecit. Hi omnes ex patribus lecti sunt. Centum autem ideo tantum creauit, uel quia is numerus satis erat nouae & paruae ciuitati, siue quia soli centum erant, qui creari senatores possent. Senatores autem propter senectutem, quum uetustissimi patriciorum essent, siue ab honore & uirtute appellauit. Senatorum ordo senatus, reliqui omnes non senatores populus appellati sunt. Hinc ortũ SENATVS. POPVLVS. QVE ROMANVS. Ex reliquis porro qui senatores creati non fuerant, omnibusque tam patricijs quam plebeijs familijs Romulus trecentos iuuenes ad corporis custodiam, decem ex singulis curijs legit, qui ab eorum primo duce Fabio Celere, celeres uocati sunt. Inde ille postea, & ij qui post eum fuerunt, tribuni celerum appellati. Quamquam eos quidam a corporis celeritate dictos opinentur. Quum autem trecẽti essent, omnibus quidem tribunus uel praefectus celerum, singulis uero cẽtenarijs tres cẽturiones, singulis decurijs decuriores XXX.

prae

praeerant. Hi equis merebant, a quibus ordo equester medius inter senatum & populum manauit, senatorum seminarium appellatus, reliqua deinceps multitudo sub populi uel plebis nomine remansit. Diu autem post reges exactos, quum senatores quoque ex plebe fieri coepti sunt, ex hac Romuli institutione ciuium Romanorum, (qui ex duplici genere constabant patricio & plebeio, tres ordines facti sunt, senatores, equites, & de populo; duplexque Romanorum ciuium diuisio orta, quarum altera ad alteram nihil pertinebat, prior autem fuit haec a Romulo instituta. Omnes Romani ciues, uel patricij sunt, uel plebeij, posterior haec quum senatores e plebe fieri coepti orta. Ciues Romani omnes, uel senatores sunt, uel equites, uel de populo, tametsi populi plebisque nomina, apud Ciceronem & Liuium aliquanto confundantur. verum propria populi appellatione omnes non senatores, uel ut alij, extra senatorum, & equitum numerum intelligebantur; hinc illud notissimum elogium S. P. Q. R. uel illud CONSENSV. SENATVS. ET. EQVESTRIS. ORDINIS. POPVLIQVE. ROMANI. Ita ut uel a genere, uel ab ordine ciues Romani distingui coepti sint. Vt ciuis Romanus genere patricio natus, equestris tamen ordinis, si nondum in senatum lectus esset, sin autem senator esset factus ordinis senatorij diceretur. Quod si patricius neque senator allectus esset, neque inter equites locum haberet, quia scilicet equestri censu non esset, hoc est H-S CD ∞ non possideret (minus enim qui habebat eques esse non poterat), aut si censum quidem equestrem habuisset, censor tamen illi ob flagitia equestris ordinis insignia equum, & annulum ademisset, is de populo erat. Si quis igitur patriciae gentis, neque senator eßet, neque eques, is patricius quidem erat, & dicebatur, idē tamen de populo erat. Quando quidem ciuis Romanus qui-

cunque

cumque erat, ut is de tribus ordinibus unum haberet, senatorium, aut equestrem, aut popularem necesse esset. Ita ut dici posset: senator non es, ergo eques, aut de populo: neque senator, neque eques quamuis patricius, ergo de populo, ordo enim praeterea nullus superest. Ita quoq; de plebeio genere qui patricio opponebatur dicendum. Si ciuis Romanus plebeius minus haberet CD ∞ de populo erat, si CD ∞ haberet, equumque publicum obtinuisset, annuloque uteretur, quamuis plebeius, erat tamen eques, etsi ex equite in senatum a censoribus lectus senator erat. Quod post reges exactos factum est. Erant ergo ita patriciorum tres ordines, sicut & ciuium plebeiorum: ciues Romani patricij & plebeij senatores; ciues Romani patricij & plebeij equites; ciues Romani patricij & plebeij de populo, uel de plebe. Post Ti. Gracchi seditiones, quibus egregium illud reip. Romanae temperamentum dissolutum est, altera orta est ciuium Romanorum diuisio. Nam omnes qui reip. conseruationem studebant optimates, qui uero seditiosis ciuibus res nouas molientibus adhaerebant, plebs dicebantur, ita ut plebis nomine multa significari necesse sit. Plebs enim primum accipitur, ut distinguitur contra patricios. Plebs item pro populi uoce usurpatur, ut omnes qui non sunt senatores, de plebe aliquando dicuntur a Liuio, & Cicerone, qua ratione patricius ciuis Romanus, non senator, neque eques, de plebe is dici poterit. Accipitur item plebis uox ut se opponit optimatibus, nā ciuis Romanus siue patricius, siue senator, siue etiam in magistratu sit, quum reip. incommodus est is de plebe dicitur, ut qui eius commodis student, siue neq; senatores, neque equites, neque patricij sint, optimates appellantur, ita ut haec tertia ciuium Romanorum diuisio a factionum studijs, hominumque moribus, & uoluntate orta sit. Rursus plebs ut est ordo, & opponitur senatui, & ordini

ordini equestri, in duas partes distributa fuit, in collegia, et libertinos, serui enim in numero ciuium non erant. Quae autem, et quot collegia, itemque libertinorum genera fuerint alibi explicabo. Hae autem populi Romani diuisiones rep. maxime stante fuerunt. Quum enim ad unius arbitrium constituta fuisset, omnibus his sublatis, harũ rerũ tantũ umbrae quaedam per aliqua tempora remanserunt. Ceterum satis ab instituto digreßi ad Romulum, senatorum, populique originem, et eorundem munera reuertamur. Regum enim munera erant templorum primum & sacrificiorum omnium curam gerere; per eũ deinde omnia quae ad deorum cultum, & honorem pertinerent agebantur, legum morumque patriae regimen habebat, iuris omnis quum naturalis, tum ciuilis custos erat, iniuriarum maximarum iudicium penes regem esse solebat, minorum enim cognitio senatui permissa fuerat. Senatum habere, populum ad concionem uocare, primũ sentẽtiam dicere, & quae a pluribus decreta essent exequi munus regum erat. In bellis uero eius suprema potestas semper fuit, postremo tanquam omnium princeps, & caput colebatur. Senatus autem munus erat cognoscere de omni re, de qua reges primum, deinde consules referre soliti essent, & quod maiori parti placuisset id demum perfici, hocque a regibus & senatu Lacedemoniorum translatum, quibus omnis iuris publici potestas penes senatum erat. Ex patricijs quoque siue senatoribus sacerdotes, & magistratus tantum creabantur. Plebis autem siue reliqui populi officia ei a Romulo concessa principio, haec tantum fuerunt; magistratus omnes creare, leges sciscere uel condere, deque bello paceue decernere, societatem cum aliquo contrahere ac dissoluere, faederaque inire, quum rex uel consules rettulissent. Neque tamen plebis potestas absoluta erat, nisi ea etiam senatus approbaßet, quae a plebe sancita erant. Ferebat autem

populus

populus suffragium non uiritim, sed per XXX. curias diuisus, & quod pluribus uisum esset curijs, ad senatum referebatur. Qui mos postea paulatim dilabi coepit, et sensim eò res processit, ut suffragiorum ius conuersum fuerit, neque enim de plebiscitis senatus quidquã statuebat, sed senatus consultum ratum nõ erat, nisi id populus approbasset. Iure enim sciscendarũ legum, ui postremo, & secessionibus, populus tantam sibi potestatem exactis regibus uindicauit, ut maximam reip. Romanae partem demum obtinuerit status popularis, quamquam enim regiae potestatis species quaedam in consulum imperio, in senatus uero potestate optimatum principatus quodammodo agnosceretur, populi tamen tanta auctoritas supra omnes magistratus, & senatum fuit, ut non immerito dici posit, omne imperium, atque illius reip. maiestatem penes populum fuisse. Cui argumento esse potest ad populum prouocatio, quae non fuisset nisi maior esset populi quam magistratuum potestas, quin etiam fasces submittendi mos, cum magistratus in concionem ascendebant, confessio erat populi quam magistratuum uim, maiestatemque maiorem fuisse. Iam uero de capite ciuis, omninoque de libertate, ac iure ciuitatis nullius erat nisi populi iudicium. Quae si maximi sunt in omni republica momenti, populum sane penes quem haec omnia fuerunt, longe maximam reip. Romanae partem obtinuisse fatendum est. Verum quibus rationibus, & temporibus, quo rerum auctu, uel a quibus singula haec populus Romanus obtinuerit sigillatim post dicam. Porro autem ex populo a Romulo in his tribus & XXX. curias diuiso, quum exercitus ad bellum educturus esset, rex quidem tribunis, illi curionibus, curiones uero decurionibus, quo militum numero opus esset statim praescribebant, atque uno edicto, siue omnes Romanae copiae, siue pars ad arma uocarentur in praescriptum sibi locum instructae, stato die

die quam primum aderant. Recte igitur bello paceuè his institutis Romulus remp. suam constituit. Ex Dionysio libro II Liuio libro I. Plutarcho in Romulo, & alijs.

De reliquis Romuli publicis institutis

Romulus ad augendã urbis frequentiam tria praecipue excogitauit: partus necare uetuit, Asylum aperuit, his qui ad eũ confugerant omnium rerum impunitate promissa, hostes uictos pro amicis, & ciuibus in ciuitatem recepit. Quum enim vrbs in spem magis futurae magnitudinis, quam ad id quod tum hominum erat, alia atque alia appetendo loca aucta fuisset, ne vrbis uana magnitudo esset, adijciendae multitudinis caussa, uetere consilio condentiũ vrbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem mentiebantur; locum quendam in Capitolio qui inter duos lucos erat Asylum aperuit, inter arcem Capitoliumque. Eó ex finitimis populis turba omnis sine discrimine liber, an seruus esset, auida nouarum rerum, uel quae apud suos aliquam noxam cõtraxerat perfugit, idque primum ad coeptã magnitudinem roboris fuit. Romanas quoq; uires hoc commẽto ualde auxit, finitimorumque minuit. Confugientibus autem ad Asylum seruis spõsor factus est sub religionis praetextu, eos nihil detrimẽti ab inimicis passuros, si permanere apud se uellent, omnesque ciuitate donabat, agri parte quam bello acquisierat singulis tradita. Confluebant etiam undique domestica fugientes mala, nec amplius ex urbe discedebant comiter a Romulo suscepti. Ex vrbibus uero bello uictis et captis, quasdã integras Romã transduxit, ciuitateque donauit. Quasdam uero colonias Romanas fecit, de quibus tertio libro accurate disseram. His igitur & similibus institutis, breui tempore urbem ex parua am-

amplis-

plißimam, & maximam reddidit. Nam qui, quum Romã condidit, tria tantum millia peditum, & CCC. equites habuerat, idem moriens peditum sex & quadraginta millia, & mille equites reliquisse traditur. Cuius instituta ceteri reges, & post consules sequuti, urbem Romam omnium maximam, & populo refertißimam effecerunt. Ex Dionysio, Liuio, Plutarcho, & alijs

De re diuina a Romulo instituta

Rebus ciuilibus a Romulo recte constitutis, deorum deinde sacra, & caerimonias, quibus homines praecipue in officio cõtinentur, & multa bona recte institutis ciuitatibus eueniunt, prouidentißime formauit. Sumpto enim a deorum cultu, Geniorumque ueneratione initio, sacra, templa, aras, simulachrorum erectiones, formasque eorum, & signa, potestates, & beneficia, quibus humanum genus affecisse creditum est, descripsit. Dies quoque festos, deorum, & larium, & sacrificia, quibus gauderent ab hominibus honorari, ferias, & nundinas, & a laboribus quietem populum docuit. Traditas de ipsis fabulas quibus maledicta insunt, atque deorum contemptus gignitur, omnes aboleuit, assuefecitque homines, ut de dijs optime loquerentur, & sentirent, nihil illis beata illa natura indignum attribuendo: sacra omnia peregrina reiecit, nullaque eorum sine S. C. in urbem recipi uoluit. Multos postea sacerdotes creauit, quos omnes enumerabo quum de Numae institutis uerba faciam. Is enim sacrorum omnium, iurisque diuini apud Romanos conditor creditus est. Quae enim Romulus primum instituit, ille postea reformauit, multaque sacra & sacerdotia de nouo adiunxit. Dionysius libro II

De Romuli domesticis institutis

Romulus post politicã priuatas leges, et mores quae ad oeconomicam attinent, ordinauit: in queis praecipua fuere uxorum ducendarum, & matrimonij leges, maritorum uxorumque conditiones; adulterij & aliorum criminum poenam, patrumq; in filios potestatem. Artes sordidas et sedentarias ingenuis prohibuit, seruos enim et aduenas eas exercere uoluit, Romanis uero tantum res rusticam & militarem permisit: ob rusticorum commoditatem ut singulo nono die Romam ad mercatum uenirent, nundinas instituit. Hoc autem breuissime libro primo Liuius docet ita: Rebus itaque diuinis, & humanis rite peractis, uocata ad concionem multitudine, quae coalescere in populi unius corpus, nulla re preterquã legibus poterat, iura dedit, quae ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse uenerabilem insignibus imperij fecisset, quum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim, cum fascibus & securibus sumptis fecit. Alij ab numero auium quae augurio regnum portenderant, eum sequutum numerum putant, alij, ab Etruscis finitimis, unde sella curulis & toga praetexta sumpta est, numerũ quoque ipsum ductum placet. Et ita habuisse Etruscos, quod ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi lictores dederint. Dionysius libro secundo

De raptu Sabinarum, & primo bello Sabino

Quum Romulus & populus Romanus uxores non haberent, neque a finitimis gentibus filias impetrare possent, animi aegritudine dissimulata ad spectaculum ludorum solemnium,

Neptuno equestri de industria paratorũ, quos Consuales uocant, uicinos urbi populos inuitauit, & praesertim Sabinos; quarum quum ludicro inter fuissent, filias uirgines medio spectaculo rapi a Romanis iußit, quas DCXXCIII. fuisse Dionysius scribit, anno post urbem conditam iiij.xiiij. Kal. Septemb. Quare hi populi qui raptas amiserant, & alij quos uel ipsi lacrimis suis, uel exemplum ad multos pertinens mouit, raptarum uirginum iniuriam uindicatari contra Romanos arma coeperunt. Primi omnium Caeninenses in agrum Romanum impetum fecerunt, quibus effuse uastantibus, obuius factus cum exercitu Romulus, leui certamine eorum exercitum fudit, fugauit, urbemque primo impetu cepit. Post Caeninam in Antemnates copias eduxit, quam urbem captam cum Caenina colonias Romanas fecit, eorũq; multitudinem Romã traducens, eam statim in tribus curiasque diuisit, atque ad sex millia peditum populum Romanum auxit. Eadem ratione Crustumios profectus, cũ eam quoque ciuitatẽ cepisset, coloniam fecit. Nouißime uario & periculoso Marte, bellum cum Sabinis fuit, quorũ Rex T. Tatius erat, in quo a Tarpeia uirgine arce Romana prodita, urbs admodum periclitata est. Demum triennio exacto raptarum precibus, Romani cum Sabinis amicitiam contraxere. Inde quum ad faedus faciendum duces prodijssent, non pacem modo, sed ciuitatem unam ex duabus fecerũt, regnũq; aequo iure cõsociãtes imperiũ oẽ Romã cõtulerunt. Ita geminata urbe, ut Sabinis tamẽ aliquid daretur, Roma quidẽ priscã appellationẽ retinuit, populus uero a Curibus T. Tatij patria Quirites appellati, T. que Tatius cõmune regnũ cũ Romulo in urbe tenuit annos v. quo postremo a Laurẽtibus caeso, Romulus solus regnũ obtinuit. Quũ autẽ bello Sabino adhuc uigente, plerique ex Etruria, & Latio in Romuli auxilium uenissent, confecto bello, multi ex ijs, eius bene-

nefi-

neficijs, gratia, & morum humanitate ducti, Romae remanse runt, in his unus fuit princeps gentis Etruscae Vibenna Coelius, a quo monti Coelio inditum nomẽ tradunt. Item alter nomine Lucumo, de cuius nomine, tertiae Lucerum tribui appellationem factam quidam scripsere

De tribuum, & curiarum nominibus; & comitiis curiatis

Sabinorum, Tuscorum, & aliorum aduenarum in urbe aduentu, quum urbs duplicata esse uideretur, ornatus quoque ciuitatis auctus. Sabini enim omnes in unam tribum, & decem curias, Etrusci uero & reliqui aduenae, in aliam tribum totidemque curias distributi sunt, tribubusque nomina indita. Prima enim Ramnenstum a Romulo, in qua ueteres Romani omnes erant; Tatientium a Tatio in qua Sabini; Luerum tertia appellata fuit, in qua Tusci, Latini, & reliqui omnes qui ad Asylum confugerant coniecti sunt, a luco Asyli, ut Pedianus, & Plutarchus; uel a Lucumone Etrusco, ut Varro scripserunt; nominata. Has Liuius equitum centurias uocat, quod ex singulis tribubus singulae equitum centuriae conscriptae essent. De tribubus autem latius in Ser. Tullio uerba faciam. Ceterum de XXX. curiarum etymologia, & nominibus loquuturus, M. Varronis, & Sex. Pompeij uerba praeponam: Ille enim libro ij. de uita populi Romani: Curiam a cura dictam scripsit: Itaque propter curam locus quoque quo suam quisque domum senator confert, curiam appellauit. Sex. uero Pompeius: Curia locus est (inquit) ubi publicas curas gerebant. Varro etiam libro iiij. de lingua Latina ita scribit: Curiae duorum generum, nam & ubi curarent sacerdotes res diuinas, ut curiae ueteres; & ubi senatus humanas ut curia Hostilia, quam primus aedificauit Hostilius rex, ante rostra, &c. Adijcit Sex. Põpeius: Curiae ẽt nominantur, in quibus unius cuiusque

que partis populi Romani quid geritur, quales ſunt hae, in quas populum Romulus diſtribuit, numero xxx. ita ut in ſua quiſque curia ſacra publica faceret, feriaſque obſeruaret. De quarum curiarum nominibus parũ inter auctores cõmune. Liuius.n.et quidã alij, eas a Sabinis mulieribus nomina accepiſſe ſcripſerunt. Liuij uerba ſunt haec: Itaq; quum populũ in xxx curias diuideret, nomina earum curijs impoſuit. Id non traditur, quũ haud dubie aliquando numerus maior hoc mulierum fuerit, aetate an dignitatibus ſuis uirorumue, an ſorte lectae ſint, quae nomina curijs darent. Alij uero, inter quos eſt Varro, eas ante Sabinarum raptum nomina habuiſſe ſcripſerunt, ijs a Romulo in prima ciuitatis diuiſione impoſita. Varronis ſententiam Plutarchus confirmat, quum ait: Curias quidam perhibent, a Sabinis mulieribus nomen traxiſſe, ſed hoc mendacium eſſe deprehenditur, nam multis illarum a locis nomina impoſita ſunt. Dionyſius quoque libro ij: De honoribus (inquit) habitis uirginibus Sabinis Romani ſcriptores diſſentiunt. Quidam enim ſcribunt inter alia id eis tributum, ut xxx. curiae earum nominibus appellarentur, tot enim fuiſſe ſcribunt quae legationem ſuſcepiſſent. Terentius autem Varro, cum his hac in re non conſentit, dicit enim iam ante nomina curijs fuiſſe impoſita a Romulo in prima diuiſione populi, partim a principibus uiris, partim ex locis ſumpta, nec uero xxx. tantũ mulieres legationẽ ſuſcepiſſe, ſed DXXVII. Ceterum quum omnia fere curiarum nomina uetuſtate oblitterata ſint, paucaque admodum ſuperſint, quid de hac re ego ſentiam, nihil certi habeo quod dicam, Varronis tamen ſententiam ut approbem, facit, tum ipſius uiri ingenium, diligentia et doctrina; tum Plutarchi, & Dionyſii teſtimonia; poſtremoque ea quae ſuperſunt curiarum nomina, quae ab aliquo potius alio euentu, quam a mulierum nominibus deducta eſſe

uidentur

uidentur. Ego enim ex xxx. curijs octo haec tantum nomine inueni, quae ſunt: Forienſis, Rapta, Vellenſis, Velitia, Calabra, Titia, Tiſata, & Saucia. *Quattuor primarum quae & curiae ueteres dictae ſunt, atque in Palatio ſemper fuerunt ita meminit Sex. Pompeius:* Nouae curiae proximae compitū Fabricij aedificatae ſunt, quod parum amplae erant ueteres a Romulo factae, ubi is populum & ſacra in partes xxx. diſtribuerat, ut in ijs ea ſacra curarēt. Quæ quādo ex ueteribus in nouas euocarentur, quattuor curiarum per religiones euocari non potuerunt. Ita quod Forienſis, Raptae, Vellenſis, Velitiae, res diuinae fiunt in ueteribus curijs. *Ex quo loco & quattuor curiarum quae ueteres a ſcriptoribus appellātur, ſemperque in Palatio fuerunt nomina habemus, & reliquas curias ex Palatio, ubi urbs Romuli fuit aucto urbis ambitu, per urbem diſperſas eſſe. De curia Calabra in quae Capitolio erat, meminit Varro libro v. & libro I. Saturnaliū Macrobius, & Sex. Pompeius:* Calabra curia dicebatur, ubi tantum ratio ſacrorum gerebatur. *De curiis Titia, & Tiſata ſic ſcribit Sex. Pompeius:* Titienſis tribus a prenominae Tatij regis appellata uidetur, Titia quoque curia ab eodem rege eſt dicta. Item Tiſata, Iliceta. Romae etiam Tiſata curia. Tiſata ēt locus iuxta Capuam. *Curiæ uero Fauciae quae in antiquis ſcriptis codicibus Saucia dicitur, ſic meminit Liuius libro* IX. dictator Papirius, C. Iunium Bubulcū magiſtū eq. dixit, atque ei legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit, quod Fauciae curiae fuit principium, duabus inſignis cladibus captae urbis, & Caudinae pacis, quod utroque anno eiuſdem curiae fuerat principium. *Forte in his & curia Hoſtilia fuit in mōte Coelio. De curijs ita ſcribit Dionyſius libro ij:* Sacra ſua ſingulis curiis conſtituit, ſuis cuique diuis quos uenerari ſemper deberent aſsignatis, & ſacris facien

dis certos ſumptus definiuit, quos ex aerario ſuppeditari oporteret. Porro *autem una cum ſuis ſacerdotibus ſacris ſibi ſolemnibus peragendis, curiales adeſſe oportebat, unaque epulabantur feriis, in curialibus tricliniis coenaculiſque, erant enim ſuae cuique curiae coenationes, in quibus communis ueluti focus, ſingulis curiis conſecratus erat.* Huiuſmodi *autem aedes curiarum etiam nominibus appellabantur, quae nomina noſtra adhuc aetate retinent. & alio loco:*Omnibus *curiis* Iunoni Q*uirinae arae poſitae ſunt, quae etiam num hoc noſtro tempore ponuntur.* Et *eodem libro de* Numa *loquens:* V*num ſacerdotum collegium fecit xxx. curionum, quorum (ut dixi) munus erat pro curialibus ſacra facere. & paulo poſt:* His *quidem de cauſsis* Romulus *non fecerat commune totius urbis templum* V*eſtae, nec* V*eſtales uirgines inſtituerat, ſed in una quaque xxx. curiarum ſuam quamdam* V*eſtam ſtatuerat, in qua epulabantur curiales; ſacerdotes autem peragendis ſacris non alios quam praefectos curiarum.* Sex. Pompeius: C*uriae etiam nominantur in quibus uniuſcuiuſque partis populi* R*omani quid geritur, quales ſunt hae in quas populum* Romulus *diſtribuit, numero xxx. ita ut in ſua quiſque curia ſacra publica faceret, feriasque obſeruaret, iiſque curiis ſingula nomina uirginum impoſita eſſe dicuntur, quas uirgines quondam* R*omani de* S*abinis rapuerant.* Idē *alibi:* Hos *curiones flamines uocatos ſcribit ita:* C*uriarū flamines curiarū ſacerdotes ſunt. et* Pōponius *lege ij. de origine iuris:* Poſtea *aucta ad aliquē modū ciuitate, ipſe* Romulus *traditur populū in xxx. partes diuiſiſſe, quas partes curias appellauit: propterea quod tunc reip. curā per ſentētias earū partium expediebat, & ita leges quaſdā, & ipſe curiatas ad populū tulit.* Ex *quibus locis manifeſtum eſt, curias* R*omae fuiſſe populi tales quaſdā partes, quales ſunt noſtro tēpore in urbibus paroeciae.* Vt enim

enim nostrae paroeciae habent destinatas quasdam aedes, & domos in certa quadam urbis parte sitas, quae communia sacra, ipsam aedem sacram communem, sacrorum communem ministrum, idest parocum habent, ita curiae erant incolarum urbis partes non modo loco, sed etiam sacris sibi peculiaribus distinctae, quibus qui praeerant curiones uocabantur. In has ergo curias omnes, qui ciuitate donati in urbem migrabāt, per curias diuidebantur. Nam ciues Romani, qui in colonijs, & municipijs erant, sua quaedam in suis urbibus sacra habebant, non secus quam qui Romae erant. Neque in Romanas curias erant distributi. A curijs fiunt curiata comitia, in quibus populus curiatim suffragium dicebat, hoc est, in quibus populi per curias diuisi sententia rogabatur, ut quod plures curiae statuißent, id iußum populi eße diceretur. Quod his uerbis docet Dionysius. Populus ferebat suffragium, non uniuersus confuse, sed per curias uocatus. Quodque pluribus uisum eßet curijs, id ad patres referebatur, nunc uero mos mutatus est. Neque enim patres de iußu populi iudicant, sed contra sententiam patrum populus confirmat. &c. Populus enim postquam is, qui habiturus eßet comitia suam rogationem exposuißet, in suas quisq; curias discedebat, quae deinde eo ordine suffragium dicerent, quo sorte exibant. Quæ autem prima exibat ea PRINCIPIVM eße dicebatur. Quodque plures ex triginta curijs iußerant id ratum habebatur. Ac si primo uocatae consentirent, statim atque sexdecim ex illis suffragium dixerant, finis erat comitiorum. Quia tum certum eßet a pluribus curijs, id iussum esse, quod sexdecim iußißent; sin dißentirent, eò usque uocabantur dum sexdecim curiae consensißent. Quod si XVI. curiae rogationem non suscipiebant, ea omnino teneri non poterat. Haec autem comitia auspicato, non nisi auctoribus patricijs, intra pomerium, atque in foro,

fiebant. Ideo foro locus proximus Comitium dicebatur, in quo haec comitia, Liuio, Dionysio, & Tranquillo auctoribus, fieri consueuerant. Ceterum post curias a Romulo institutas, usque ad tempora Ser. Tullij VI. Romanorum regis, omnia quae suffragijs populi a regibus committebantur, curiatis comitijs peragi necesse erat, quum adhuc nec centuriata, nec tributa comitia in usu essent. Itaque non modo reges, sed etiam ceteros magistratus curiatis comitijs creatos fuisse interpretandum est, quum apud auctores reperimus a populo eos creatos. Leges quoque omnes, & iudicia, quae ad illud usque tempus latae sunt, uel acta, curiata fuerunt, ita ut omnia quae populi suffragijs fierent, non nisi comitijs curiatis fierent. Verũ post classes a Ser. Tullio institutas, tum duo coeperunt esse comitiorum genera, curiata, & centuriata; quibus duobus comitiorũ generibus populus usus est, usque ad iudicium Coriolani, annumque urbis CCLXIII. quo primum anno coeperunt tributa comitia usurpari. Vt autem comitijs tributis populus Romanus per tribus, centuriatis per centurias distinctus, suffragium ferebat; sic curiatis, per curias, nulla tribuum, census, aetatis, aut ordinis habita ratione distinguebatur. Quod Gellius ex Laelio Felice docet, quum ait: Curiata comitia esse cũ ex generibus omnium suffragium fertur. Nam qui in tribus descripti erant, locis ac regionibus erant distincti, qui in classes censu, ordinibus, aetatibusque; at qui in curijs continebantur, nulla habita istorum ratione, tantum sacrorum quadam distinctione, distinguebantur. Erant enim ex omnibus tribubus, qui urbem incolerent, ideoque in curias descripti. Vnde fiebat, ut in curijs esset tribuum, & classium, quae praecipue populi Romani partes erant, confusio. Ideo Laelius ait, curiata comitia esse quando ex generibus omnium suffragium fertur. Postquam igitur curiatis centuriata, tributaque comitia acces-

accesserunt, tum minus frequentari coeperũt curiata, quum omnia fere quae ante curiatis fiebant, post tributis & centuriatis fieri coeperint, & maxime postquam lex lata est de creandis plebeijs magistratibus tribus comitijs, qui hactenus curiatis creati fuerant. Post quae tempora duabus potissimum rationibus curiata comitia haberi tantum coeperunt, una erat legũ ferẽdarũ, altera uero sacerdotũ quorũdã creandorũ caussa. Leges aũt curiatae fuerunt quinq;. Prima de imperio, hoc est rei militaris administrandae facultate, magistratibus dando. Cicero oratione II. in Rullum. Hi autem erant dictatores, ut Liuius libro IX. & XXIII. consules, pro consulibus, praetores, & pro praetoribus, ut Cicero in Rullum, ep. fam. lib. I. & libro V. Liuius, postremo pro quaestores, qui cum iure praetorio in prouincias mittebantur, & idem Cicero II. Philippica tradiderunt. Ex quibus locis intelligitur rem militarem nemini attingere licuisse, nisi lege curiata id ei nominatim datũ esset, atqui nemo cum imperio rem militarem gerere poterat, nisi consulari aut praetorio. Quicunque ergo in prouinciam cum belli gerendi potestate mittebantur, legem curiatam ante habere debebant. Nam quum uel dictator rei gerendae caussa a consule dictus esset, uel reliqui magistratus comitijs centuriatis, aut tributis creati fuissent, quo imperium haberent, hoc est rei militaris administrandae facultatem, lege curiata opus erat. Altera lex curiata fuit, qua Camillus ab exilio reuocatus est, ut tradit libro V. Liuius. Tertia lex curiata erat, qua adoptiones fiebant, de qua Cicero pro domo. Tacitus libro XVII. & Gellius libro V. cap. XIX. scribunt. Quarta quae testamentis confirmandis ferri solebat. Gellius libro XV. cap. XXVII. Quinctam postremo legem curiatam fuisse inueni, qua sacrorum detestationes fiebant, idest omnes consecrationes, quas publice in concione populi fieri oporteret. Gellius libro

bro XV. cap. XXVII. Altera porro caussa habendorum curiatorum comitiorum fuit, ad creandos sacerdotes quosdam. Hi autem fuerunt Flamines, & Curio maximus, cuius, ut tradit Sex. Pompeius, auctoritate, curiae omnes, curionesque regebantur: ut ex Dionysio libro II. & Laelio Felice apud Gellium libro XV. cap. XVII. intelligitur. Curiatis omnibus comitijs (ut dixi) commune erat, ut auspicato intra pomerium haberentur, auctoribus patricijs. Ipsis enim ius tantum erat curiata comitia habendi, qui aut dictatores, consules, praetores, & interreges, aut si de rebus sacris tractandum esset, pontifices eßent. Haec comitia primo uniuersi populi Romani, qui in urbe habitaret per curias distincti suffragijs agebantur. Postea quum ciuitas integris urbibus data fuißet, & non omnes, qui ciues Romani eßent, sed hi tantum qui in curias descripti erant, quas eorum tantum fuisse constat, qui urbem habitabant, ius in hisce comitijs haberent, factum est, ut minus frequentari curiata comitia coeperint. Neque enim equum uidebatur hac suffragiorum parte eos priuare, qui æquo iure, ciues essent, quique urbem non habitarent. Nam principio, quum omnia quae suffragijs populi gererentur curiatis comitijs gererentur, post centuriata comitia a Ser. Tullio rege inuenta, maiores magistratus centuriatis creari coepti sunt, minores uero curiatis comitijs adhuc creari mos retentus est, usque ad legem Publiliam, qua cautum fuit, ut minores magistratus non curiatis amplius, sed tributis, quae paulo ante inuenta fuerant, crearentur. Tunc enim ea ratio inuenta est, omnes ciues comitijs admittendi, ut omnes magistratus, uel centuriatim uel tributim, non curiatim amplius crearentur. Ex qua re factum est, ut successu temporis paulatim curiata comitia quasi abolita fuerint, nam quum de imperio magistratuum agendum erat, qui iam centuriatis, uel tributis comitijs rite fa-

cti

cti fuerant, non XXX. curiæ amplius in suffragium uocarentur, sed pro XXX. curijs, triginta lictores suffragium inierint: ita ut legem curiatam de magistratuum imperio ferre, non esset populo curiatim conuocato, legem iubendam amplius dare, sed ad usurpationem quandam uetustatis triginta lictorũ suffragijs legem committere, quæ Cicero secunda in Rullum, suis temporibus ita fuisse docet his uerbis: Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa, curiata tantum auspiciorum caußa remanserunt. Hic autẽ tribunus plebis quia uidebat potestatem neminem, iniussu populi aut plebis poße habere, curiatis comitijs quae uos non initis confirmauit, tributa quae uestra erant substulit. Et paulo post: Sunt igitur decemuiri neque ueris comitijs, hoc est populi suffragijs, neque illis ad speciem, atque ad usurpationem uetustatis per triginta lectores, auspiciorum caussa adumbratis. Ex his uerbis perspicuum est, tempore Ciceronis curiatis comitijs de magistratuum imperio habendis, triginta tantum lictores suffragium inijße, quum ante omnes ciues, qui in curias descripti erant, soliti essent suffragium dicere. Hi uoce loco triginta curiarum, quod rogati erant iubebant, eoque modo, quod hi iußißent ratum habebatur, perinde ac si curiarum suffragijs iußũ eßet. Quomodo factum sit, ut lictoribus potius, quam aut curionibus, aut alijs quibusdam grauioribus personis, curiata haec comitia committerentur, locus est Laelij Felicis apud Gellium libro XV. cap. XXVII. unde id suspicari possumus. Scribit enim curiata comitia per lictorem curiatim calari. Ex eo enim credi potest factum esse, desuetudine quadam, & incuria populi, quum singulae curiae a singulis lictoribus uocatae, non conuenient, ut ipsis lictoribus id committeretur, cuius caußa curiae eßent uocatae. Quum autem adoptionis, aut sacerdotum creandorum caußa, quae populi beneficio dabantur, comitia curia

ta

ta haberentur, non triginta lictores, sed populus curiatim con uocabatur. Tuncque tabellis curiatim distributis, & comitia more ceterorum comitiorum peragebantur, & quod pluribus curijs uisũ fuisset, id demum more maiorum exequi solitum fuisse. Nam quae a Cicerone de triginta lictoribus scribuntur, non existimo ad omnia curiata comitia transferenda esse, sed ad ea tantum quae de imperio magistratuum habebantur. Nã magistratibus iustis comitijs a populo iam ante designatis, rursus coire populus propter eorundem magistratuum imperium minus curabat. Itaque ne omnino deserta per infrequentiam populi uiderentur, constitutum uidetur, ut pro triginta curijs, triginta lictores conuenirent. Verum ceteris in rebus retenta fuisse existimo comitia curiata, & legibus curiatis reliquis promulgandis, & sacerdotibus quae populi beneficia erant, creandis

De patricijs minorum gentium; & nouis senatoribus lectis, a quibus patrum conscriptorum appellatio manauit

Bello Sabino confecto, quum Sabinorum, Etruscorum, & multorum in dies ad Asylum confugientium aduentu, urbs ualde creuisset; postquam eos Romulus in ciuitatem aequo iure suscepisset, & in Lucerum, Tatientiumque tribus coniecisset, regibus quoque uisum est, ut patriciorum numero duplicato, Senatorum quoque ordinem augerent. Igitur ex illustrioribus familijs uiros centum curiarum suffragijs diligentes, eos in patres cooptatos, ueteribus senatoribus adscripserunt, atque hac ratione senatorum numerus ad ducentos est auctus. Hinc patriciorum minorũ gentium, & patrum conscriptorum originẽ manasse potius crediderim, quam quod Liuius, Plutarchus, &

Taci-

Tacitus tradunt. Quorum Liuius patricios minorum gentium ſub Tarquinio Priſco; Tacitus uero ſub L. Bruto primo conſule, (nam & is patricios legiſſe traditur) primum appellatos ſcribunt. Plutarchus uero patrum conſcriptorum originem eidem Bruto attribuit. Nam eos tantum patricios, qui a Romulo primum lecti ſunt, maiorum gentium fuiſſe, uel ſequentis lectionis patriciorum teſtimonio confirmari poſſet, qui eorum ratione habita non niſi minorum gentium ſe ipſos eſſe profiterentur. Fuerunt equidem & hi maiorum gentium, ſi ijs qui a ſequentibus regibus lecti ſunt conferantur. ita ut a Romulo lecti, ita ſint maiorum gentium, ut minorum eſſe non poſſint. Nouisſimi uero a Bruto creati, ita ſint minorum, ut maiorum appellationem obtinere nequeant: medij uero a regibus allecti modo maiorum, modo minorum dici poſſint, maiorum quidem inferiorum, minorum uero ſuperiorum patriciorum habita ratione. De patribus uero conſcriptis, eos primum conſcriptos eſſe credendum, qui primo ordini iam inſtituto inſerti ſunt, & reliqui omnes qui uarijs temporibus in eum ordinem ſunt collocati. Nam ſi conſcriptum eſſe, idem eſt, quod allectum, cur hi qui in ordinem iam inſtitutum cooptati ſunt, conſcripti non ſunt appellandi? Patrum igitur conſcriptorum appellationem ab hac ſecunda Romuli & Tatij ſenatorum lectione manaſſe credendum. Quo tempore inter reliquas familias in patricias, hae praecipuae lectae ſunt Valeria, Turannia, Curtia, Vettia, Marcia, Aurelia, Camillia, Berennia, & pleraeque aliae, quae ex Sabinis Romam cum T. Tatio commigrauerãt. Poſt Sabinos, Medullinos, Fidenates, Veientes, Camerinos, & alios populos partim ſponte, partim coactos in ciuitatem acceptos, integras quoque urbes uictas, dum Romulus uixit eadem ratione ciuitate donauit, hocque inſtitutum perpetuo ſeruandum poſteris reliquit. quod reges & conſules ſequuti,

eo prae-

eo praecipue factum est, ut urbs ipsa totius demum orbis terrarum imperio potita sit. Haec autem sunt quae de reipublicae a Romulo cõstitutae forma, quamque is moriens reliquit, ex Dionysio, Liuio, Plutarcho, & aliis ueteribus scriptoribus accurate collegi

De Numa Pompilio secundo rege

Vir diuini humanique iuris consultissimus Numa Pompilius, qui rex post Romulum Romae creatus est, nulla quidem bellica laude insignis fuit, sed non minus ciuitati in pace, quam Romulus in bello profuit. Vrbem enim nouam ut & armis cõditam, iure, moribus, legibus, & religione de integro condidit, & renouauit. Inter cuius cetera praeclara gesta, quae a me in Fastis breuiter commemorata sunt, sacerdotum ordo, distinctioque praecipua fuere. Vniuersam enim sacerdotiorum rationem in octo partes distribuit. Curiones, flamines, tribunum celerum, augures, uirgines Vestales, salios Palatinos, fetiales cum patre patrato, & postremo pontifices. Quorum quosdam ipse, quosdam uero Romulus instituerat. Cuius rei occasione commodum mihi hoc loco, & opportunum uisum est, rem omnem sacram, quae apud Romanos fuit breuiter pertractare, atque de omnibus quae apud eos unquam fuerint, sacerdotijs disserere, ab antiquissimis Lupercis incipiens, & ad nouissime instituta usque perueniens. Sed ante omnia de prima apud Latinos religione disserere necessarium esse uidetur

De prima Latinorum religione

Homines priscos, agrestes, asperos, & more ferarum uiuentes, ad mitiorem cultum, uitamque Saturnum, & Ianum, qui in Latio regnarunt, redegisse fama est, quum eos agrorum cul-

cultum, & politiorem quandam uiuendi rationem docuißent. Ipsis uero, qui hactenus sine ulla religione fuerant, primus deorum cultum metumque iniecit Saturni filius Faunus, qui lucos sacrauit, templa constituit, & sacrificiorum ius ordinauit. A quo etiam aedes sacrae fana appellata sunt. Post Faunum quum Picus, Latinus, Euander, & alij qui in Latio regnauerunt, nouas semper caerimonias commenti essent, nouissime demonum cultum maxime in Latio auxit Aeneas sacris Phrygijs in Italiam transportatis. Cuius postea exemplum sequuti ceteri reges Albani primũ, deinde Romani, multa & ipsi sacra addidere usque ad Numam, qui quum omnia in certum ordinem sacra direxisset, diuini apud Romanos iuris conditor creditus est. De cuius institutis quae ad deorum cærimonias attinẽt loquuturus, prius de is quae ante eum instituta sunt sacerdotia, uerba faciam

NOMINA. OMNIVM. SACERDOTIORVM POPVLI. ROMANI

LVPERCI. PANOS. LYCAEI. *uel* INVI SACERDOTES

Luperci, qui & Fauiani, & Quinctiliani appellabantur, auctore Sex. Pompeio, a Fauio, & Quinctilio praepositis suis, sacerdotes omnium uetustißimi fuerunt, ante urbem conditam ab Euandro Arcade Arcadum rege, solemni ex Arcadia translato, in Palatino monte instituti. De quibus Dionysius libro secundo sic scribit: Arcades itaque in colle Palatino firmati, quum aedificia alia more patrio exornassent, templa quoque construxere, ac primum quidem Pani Lycaeo, admonente eos Carmenta (est enim apud Arcadas Pan uetustißimus, plurimumque in honore habitus) loco congruo inuento, quẽ Romani Lupercal uocant, Graeci Lycaeum dicunt. Erat enim anti-

antiquitus antrum magnum sub colle arbusto denso contectũ, et fontes sub petris profundi, adhaerensque rupibus saltus crebris arboribus, & quidem magnis opacus, ubi ara deo constructa, sacrificia patria perficiebant, quae Romani postea mense Februario peragebant. Et libro secundo. Quum praesensissent homines Numitoris, peracturos iuuenes Lupercalia, sacrificium Arcadicum, quod Euander constituit, tempus illud sacrificij insidijs delectum est, quum oportebat iuuenes Palantium incolentes, sacris perfectis ex Lupercali circuire uicum cursu, nudos ipsos succinctos pudenda pellibus immolatorum paulo ante animantium. Haec enim uelut purgatio, siue lustratio quaedam incolarum patria habebatur. Et Liuius libro primo. Iam tum in Palatino monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, & a Palanteo urbe Arcadica Palantium, deinde Palatinum montem appellatum: ibi Euandrum, qui ex eo genere Arcadum multis ante tempestatibus ea tenuerat loca, solemne allatum ex Arcadia instituisse, ut nudi iuuenes Lycaeum Pana uenerantes, per luxum atque lasciuiam currerent, quem Romani deinde uocarunt Inuum. Et Iustinus libro XLIII. Sub Fauno Aboriginum rege, Euander ab Arcadiae urbe Palanteo in Italiam cum mediocri turba popularium uenit, cui Faunus & agros, & montem, quem ille postea Palatinum appellauit, aßignauit. In huius radicibus templum Lycaeo quem Graeci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit, ipsum dei simulachrum, nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romae Lupercalibus decurritur. Varro libro IIII. de lingua Latina. Luperci (inquit) dicti sunt, quod Lupercalibus in Lupercali sacra faciunt. & libro quinto. Ego magis arbitror Februarium, a die Februato dictum, quod tum februatur populus, idest Lupercis nudis lustratur antiquum oppidum gregibus cinctum. & Sex. Pompeius. Februarius mensis dictus,

ctus, quod tum, ideſt extremo menſe anni populus februare-tur, id eſt luſtraretur, ac purgaretur; uel a Iunone Februata, quam alij Februalem, Romani Februlim uocabant; quod ipſi eo menſe ſacra fiebant, eiusque feriae erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur a Lupercis amiculo Iunonis, ideſt pelle caprina, quam ob cauſſam is quoque dies februatus appellabatur. Lupercalia autem XV. Kal. Martij celebrabantur. Plutarchus in problematibus. Quid eſt (inquit) quod Luperci canem immolant? Luperci autem ſunt, qui Lupercalibus per laſciuiam diſcurrentes, pellibus obuios cedunt. &c. Valerius Maximus libro II. cap. I. Equeſtris uero ordinis inuentus omnibus annis bis urbem ſpectaculo ſui ſub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione. Lupercalium enim mos Romae a Romulo & Remo inchoatus eſt, tunc quum laetitia exultantes, quod his auus Numitor rex Albanorum, eo loco ubi educati erant, urbem condere permiſerat ſub monte Palatino, hortatu Fauſtuli educatoris ſui, quem Euander Argiuus conſecrauerat, facto ſacrificio, ceſisque capris, epularum hilaritate, ac uino largiore prouecti, diuiſa paſtorali turba, cincti omnes pellibus immolatarum hoſtiarum, iocantes obuios petierunt, cuius hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur. &c. Lupercalia igitur erant feſta, & ſacrificia, quibus ad expiandos manes, Pani Lycaeo iuuenes Romani nudi canem & capram immolabant. Deinde facie ſanguine foedata, ſe his pellibus cingebant, lorisque e pelle factis currebant nudi, circa Palatium obuios quoſque corijs illis uerberantes, & praeſertim mulieres grauidas, quae ultro obuiam occurrebant, facilem partum percuſsione ſperantes. De qua re ita ſecundo Faſtorum meminit Ouidius

Monte ſub Eſquilio multis inciduus annis
Iunonis magnae nomine Lucus erat
Huc ubi uenerunt pariter nuptaeque uirique
Suppliciter poſito procubuere genu
Quum ſubito motae tremuere cacumina ſiluae
Et dea per lucos mira loquuta ſuos
Italides matres (inquit) ſacer hircus inito
Obſtupuit dubio territa turba ſono
Augur erat nomen longis intercidit annis
Nuper ab Etruſca uenerat exul humo
Ille caprum mactat, iuſſae ſua terga puellae
Pellibus exectis percutienda dabant
Luna reſſumebat decimo noua cornua motu
Virque paterque ſubito, nuptaque mater erat
Gratia Lucinae dedit haec tibi nomina lucus
Aut quia principium tu dea lucis habes
Parce precor grauidis facilis Lucina puellis
Maturumque utero moliter aufer onus

Et alibi de Lupercis loquens ſcribit

Menſis ab his dictus ſecta qui pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant, idque piamen habent

De Lupercalibus autem, ita in Romulo ſcribit Plutarchus: Sed Lupercalia expiationis gratia inſtituta uidentur. Celebrantur enim ea ſacra menſis Februarij atris diebus, quae expiatiua interpretari quis poßet. Eam quoque diem Februatam ueteres appellabant. Ac uidetur id ſolemne peruetuſtum, Euandrum ex Arcadia allatum inſtituiſſe. Hoc uulgatior fama tenet. Poteſt etiam nomen ipſum a lupa dictum uideri. Etenim uidemus Lupercos inde curſum incipere, ubi Romulum expoſitum ferunt. Verum qui in his ſeruatur ſacrificij mos, haud facile eum coniectura aſſequi poßumus. Iugulant enim capras, tum

tum duos ex genere adulescentes eò sistunt, quorum frontes alij cultro sanguine perfuso pingunt, alij statim lanam lacte madentem admouentes abstergunt: oportet etiam abstersos adulescentes ridere. Deinde incisis in corrigias caprarum pellibus, discurrunt in orbem, & si qui obstant scuticis cedunt. Mulieres adulta aetate ultro se ad uerbera offerunt, ratae eam rem ad foecunditatem conducere. Proprium ac suum eius celebritatis est, ut Luperci canem immolent

De Lupercis mentio est in hac antiqua inscriptione

L. AELIANO. L. F
AN. PROVINCIALI
EQVO. P. ORNATO
LVPERCO. DESIG
HVIC. ORDO. DECVRION
STATVAM. DECREVIT
L. AELIANVS. VERECVNDVS
H. V. S. R. L. D. D. D

Haec sacra Romae usque ad Anastasij imp. tempora perdurauerunt, Theoderico Amalo Gothorum rege in Italia regnante; quibus auctore Gelasio papa circiter annum Christi CDXCV. reclamantibus superstitiosis quibusdam Romanis, omnino abolita sunt, fierique amplius prohibita; ut ex antiquo S. R. registro cognoui, cuius mihi copiam fecit, uir omni laude, & perpetua memoria dignus Marcellus papa II. qui eo tempore Cardinalis S. Crucis erat

CERERIS.GRAECA.SACERDOS

Dionysius libro primo. Arcades auctore Euandro, in Palatio Cereri etiam templum erexerunt, eique sacrificia faciebant per foeminas, quae sine uiro essent, ut lex est Graecis, quorum nihil mutauit sequens aetas. Liuius saepe Cereris Graecae sacerdotis mentionem facit

POTITII. ET. PINARII. HERCVLIS SACERDOTES

Dionysius libro primo. Euander, & Arcades caerimonias Graeco ritu, ut ipsos Hercules docuerat, & sacra eidem Herculi instituerunt (qui caeso Geryone quum in Latium cum eius armentis uenissent latronem Cacum occiderat) & ut grata ei semper sacra facerent, familias duas illustres fuisse dicunt, qui caerimonias didicerint Graecas, Potitios & Pinarios, penes quas familias multum tempus durauit cura sacrificij, ut ille instituerat. Potitijs quidem sacrificij auctoribus, Pinarijs autem extorum participatione prohibitis, atque in alijs omnibus quaecunque per utrosque fieri oporteret, secundum honorem habentibus. Hanc autem ignominiam esse eis impositam dicunt tardioris aduentus caussa. Iussi enim summo mane adesse, adessis ipsi iam extis aduenere. Nunc non amplius manet in his familiis huius sacrificij solemne ministerium, sed empti pueri de publico id peragunt. &c. Liuius libro I. Ibi tum primum boue eximia capta de grege, sacrum Herculi adhibitis ad ministeriũ dapemque Potitijs, ac Pinarijs, quae tum familiae maxime inclytae ea loca incolebant, ab Euandro factum. Forte ita euenit, ut Potitij ad tempus praesto essent, iisque exta apponeren tur,

tur, Pinarij extis adesis, ad ceteram uenirent dapem, inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solemnibus uescerentur. Potitij ab Euandro edocti, antistites sacri eius per multas aetates fuerunt, donec tradito seruis publicis solemni familiae ministerio, genus omne Potitiorum interijt. Quod quando factum fuerit libro IX docet. & Valerius libro I. cap. ij. Hercules quoque detractae religionis suae, & grauem, & manifestam paenam exegisse traditur. Nam quum Potitij sacrorum eius ritum, quem pro dono genti eorum ab ipso aßignatum uelut hereditarium obtinuerant, Ap. Claudio censore auctore, ad humilem seruorum ministerium transtulissent, omnes qui erant numero supra triginta puberes intra annum extincti sunt. Nomenque Potitium in duodecim familias diuisum prope interijt. Appius uero luminibus captus est

REGES

Reges tam apud Graecos, quam apud Romanos sacerdotes fuisse manifestum est. Virgilius enim de rege Deli Anio loquens, ita ait

Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique sacerdos

Et Liuius in Numa libro primo. Tũ sacerdotibus (inquit) creandis animum adiecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime quae nunc ad Dialem flaminem pertinent. Et libro secundo: Rerum deinde diuinarum habita cura, & quia quaedã publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant. etc. Idem libris II. & V. Dionysius refert

FRATRES. ARVALES. XII

Maßurius Sabinus, apud Gellium libro ſexto, cap. ſeptimo. Accam Laurentiam Romuli nutricem duodecim filios ſuſcepiſſe ſcripſit. Ex quibus quum unum amiſißet, grauiter dolere coepit. Quare quo eius dolorem leniret, in filij demortui locum Romulus Accae Laurentiae ſeſe filium dedit; ſeque & ceteros eius filios fratres aruales appellauit. Ex eo tempore collegium manſit fratrum arualium numero XII. cuius ſacerdotij inſigne erat ſpicea corona, & albae inſulae. Plinius lib. XVII. cap. ſecundo: Aruorum ſacerdotes Romulus in primis inſtituit, ſeque duodecimum fratrem appellauit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice ſua. Spicea corona quae uitta alba colligaretur ſacerdotio ei pro religioſißimo inſigni data, quae prima apud Romanos fuit corona, honos quoque is non niſi uita finitur, & exules etiam captosque comitatur. Et Varro libro quarto de lingua Latina. Fratres (inquit) Aruales dicti ſunt, qui ſacra publica faciunt propterea, ut fruges ferant arua, a ferendo & arueis fratres aruales dicti, quia fratria dixerunt

De hoc ſacerdotio mentio eſt in antiquis epigrammatibus ſic

C. PORCIO. C. F. QVIR
PRISCO. LONGINO. C. V
X. VIRO. STLITIB. IVDICAND
ADLECTO. INTER. QVAESTOR
AB. ACTIS. SEN. AED. CVR
ADLECTO. INTER. PRAETOR
PRO. COS. LYCIAE. PAMPHILIAE
COS. FRATRI. ARVALI

Item

Item

L.CAESONIVS. C. F. QVIRINA
LVCILIVS.MACER.RVFINIANVS
COS. FRATER. ARVALIS
PRAEF. VRBI. ELECTVS. AD
COGNOSCENDAS.VICE.CAESARIS
COGNITIONES.PROCOS.PROVINC
AFRICAE

LX. PVBLICI. SACERDOTES

Dionysius libro II. ex Varrone: Deinde autem quia curiae quaedam sine ratione, & inconsiderate magna ex parte electiones faciebant sacerdotum, quaedam uero hunc honorem precio per praeconem subijciendum censebant, quaedam esse sorte partiendum existimabant; non uenalia Romulus, neque sorte partiēda fecit sacerdotia, sed cuiusq, curiae ipse binos creauit, supra annum quinquagesimum natos, genere excellentes, simul & uirtute praestantes, neque inopes, aut corpore ulla ex parte trunco; hos autem non in praefinitum quodam tempus, sed per omnē uitam potiri eo honore statuit, atq; ob aetatem a militaribus officijs, ex lege uero a ciuilibus molestijs immunes esse uoluit

AVGVRVM. XV. COLLEGIVM

Augurandi ars antiquißima est, quae a Chaldeis ad Graecos, a Greacisque ad Etruscos, & ab Etruscis ad Latinos deuenit. Nam ueteres Chaldeos optimos augures fuisse memoriae proditum est. Amphiaraus quoque, Mopsus, & Calcas peritissimi apud Graecos augures memorantur: in Tuscis uero haec ars multum floruiße constat. Ascanium etiam apud Latinos augurasse legimus, quum aciem contra Mezentium educeret. Et ubi micare a sinistris fulgur aspexit, pugnauit, & uicit.

uicit. Dionysius uero, antiquam augurandi peritiam apud Aborigines etiam fuisse tradit. Romulus ipse summus augur fuit; & idcirco instituit magistratus cum augurijs creari. Et posteri non nisi augurato res gerebant. Tanta autem ueneratio huic arti accessit, ut Romulus principio trium augurum collegium constituerit, singulos ex singulis tribubus, quae tres erant Ramnensium, Tatientium, Lucerum. Quod his uerbis libro secundo tradit Dionysius. Ad haec etiam uates statuit ex singulis tribubus singulos sacris interesse, quos augures uocauit. Quos per curias craeari instituit. Et in Numa: Quartam sacrorum partem tribuit interpretantibus signa a diis missa, & distinguentibus quarum essent rerum iudicia, priuataque & publica, quos equidem augures Romani uocant, totius rei diuinae peritißimos. Sex. Pompeius: Augustus locus sanctus ab auium gestu, id est quia ab auibus significatus est, sic dictus; siue ab auium gustatu, siue quia aues pastae id ratum fecere. Augur ab auibus gerendoque dictus, quia per eũ auium gestus edicitur, siue ab auiũ garritu, unde et augurium. Inde auspiciũ ab aue aspicienda dictum, nam quod nos cum praepositione dicimus aspicio, apud ueteres sine praepositione a, Spicio dicebatur. Augurandi modum libro 1. diserte narrat Liuius. Accitus Numa, sicut Romulus augurato in urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque deos consuli iußit. Inde ab augure, cui deinde honoris gratia publicum id perpetuumque sacerdotium fuit deductus in arcem, in lapide ad meridiem uersus consedit. Augur ad laeuam eius capite uelato sedem cepit, dextra manu baculum sine no do aduncũ tenens, quem lituum appellauerũt. Inde ubi prospectu in urbem, agrumque capto, deos precatus, regiones ob oriente ad occasum determinauit dextera ad meridiem partes, leuasque ad septentrionem esse iußit. Signum contra quod longißime

me conspectu oculi ferebant, animo finiuit: tum lituo in laeuam manum translato, dextra in capite Numae imposita, precatus est ita: Iuppiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium cuius ego caput teneo regem Romae esse, uti tua signa nobis certa, ac clara sint, inter eos fines quos feci. Tum peregit uerbis auspicia, quae mitti uellet. Quibus mißis declaratus rex Numa de templo descendit &c. Locus enim augurij templum uocabatur. Varro libro VI. de lingua Latina: Templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auspicio, ab similitudine. ab natura in caelo, ab auspicijs in terra, ab similitudinē sub terra. In caelo templum dicitur, ut in Hecuba

O magna templa caeli, tum commixta stelleis splendidis

In terra ut in Periboea

Scrupea saxa Bacchi templa prope aggreditur

Sub terra, ut in Andromacha

Acherusia templa alta Orci saluete infera

Quā quia initium erat oculi, a tuendo primo templum dictum, quo circa caelum qua tuimur templum dictum sic:

Contremuit templum magnum Iouis altitonantis

Idest ut ait Naeuius in Hemisphaerio, ubi terra caerulo septum stat. Eius templi partes quattuor, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. In terreis dictum templum locus augurij, aut auspicij caussa quibusdam conceptis uerbis finitus. Concipitur uerbis non ijsdē usque quaque. In arce ita: Tesqua a me ita sunto, quoad ego ea uelim, quum nūcupauero: olla, terra, arbor, quisquis est, quam me sentio dixisse, templum tectum qua uis esto in sinistrum. Olla, terra, arbor, quisquis est, quod me sentio dixisse, templū tectūque: ferto in dextrum & cet. Ita igitur locatus augur, si signa læua fuerunt quia illa parte septentrio est, felicia pronuntiat. Nam pars illa orbis propter altitudinem

dinem dextra putatur. Si a dextera infelicia. Nam quia meridies depressius est infelix existimatus. Alites autem uolatu auspicia facientes praecipuae putabantur buteo, sanqualis, immusculus, aquila, uultur, ut tradit Sex. Pompeius. Quamquam autem maxima augurijs, auguribusque ex Romuli praescripto ueneratio habita semper fuerit, nihilominus sub L. Tarquinio Prisco rege post Attii Naui miraculum, iis certe, sacerdotioque augurum tantus honos accessit, ut nihil belli, domique postea, nisi auspicato gereretur, concilia populi, exercitus uocati, summa rerum, ubi aues non admisissent, dirimerētur. Ser. Tullius rex postea, ut existimo, quū in quattuor tribus urbem diuisisset, alterum augurem adiunxit. Nam anno urbis CDLIIII. ut tradit libro X. Liuius, Q. Apuleio Pansa, & M. Valerio Coruo V. Cos. rogatione Ogulnia, quinque e plebe additis, ad nouem numerum aucti sunt. ut latius demonstraui in Fastorum commentariis, ubi de pontificibus, & pontifice maximo uerba feci. Primi e plebe augures hi fuerunt, C. Genucius, P. Aelius Paetus, M. Minucius Fessus, C. Marcius, T. Publilius. Qui numerus usque ad dictaturam Sullae Felicis mansit. Quo tempore, ut ex Liuio Florus in epitoma libri XXCIX. tradit, Sulla augurum, pontificumque collegium ampliauit, ut essent XV. augures, totidemque pontifices. Qui numerus postea mansit. Ceterum quum ceteris fere omnibus sacerdotibus, simul ac in iudicium ducti et damnati essent, alium substitui mos fuißet, augures hac lege immunes erant, dum enim uiuerent licet maximorum criminū conuicti essent, sacerdotio tamen potiebantur, neque unquam priuari poterant. Quum enim sacrorum arcana neminem qui augur non eßet cognoscere uellent. Vbi quis augur cooptatus esset iure iurando adigebatur, augurum res nemini se dicturum, priuatum uero eum postea factum, eo sacramento libe-

liberum esse nolebant. Augurum autem in Romuli memoriam uultur prosperrima auis esse existimabatur. Quum autem ueteri lege ac more augures ab auguribus, pontifices à pontificibus, reliqui sacerdotes a suis quique collegijs crearentur, unus tantum pontifex maximus a populo, primus Cn. Domitius Ahenobarbus tribunus plebis Neronis imperatoris attauus, pontificibus offensior, quod alium quam se sui patris in locum, coоptassent, lege lata ius sacerdotum subrogandorum a collegijs ad populum transtulit, anno urbis DCLI. C. Mario III. & L. Aurelio Oreste cos. *Nec multo post ipse pontifex maximus populi suffragio creatus est. Huius legis Cicero* II. *agraria in Rullum, meminit his uerbis*: Hoc idem de ceteris sacerdotijs Cn. Domitius trib. plebis uir clarißimus tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi uocaretur, ab ea parte qui esset factus is a collegio coоptaretur. *Qua lege etiam permißum est, ut absentes possent petere sacerdotia, scribit enim Cicero; C. Marium, quum in Cappadocia esset, lege Domitia augurem factum fuiße. Atq; ita augures, pontifices, septem uiri epulonum,* XV. *uiri sacris faciundis, & fetiales, qui hactenus a suis collegijs creari solebant, tributis comitijs renuntiari coepti sunt. Postea L. Sulla dictator, rerum potitus quum alia multa contra plebem, quae Marianas partes fouerat, tum hoc sanxit, ut sacerdotes ijdem a collegijs crearentur, ut Pedianus in diuinationis commentario sic tradit*: His decem annis a Sylla, bellis ciuilibus spoliatus est populus Romanus potestate tribunicia, iudicandi iure, arbitrio creandorum sacerdotum. *Sed quemadmodum legem Domitiam abrogauit Sulla, sic legem Sullae aliquot annis post T. Attius Labienus tribunus plebis abrogauit, Domitiamque restituit, M. Tullio, & C. Antonio cos. Fecit autem hoc auctore C. Caesare: qui si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret,*

ret,se qui popularis admodum erat, pontificem maximum in demortui Metelli Pij locum creatum iri, non sine caussa putabat. Quod & re comprobatum est, nam P. Seruilio Isaurico, & Q. Lutatio Catulo, consularibus uiris deiectis, ipse nondum praetorius in amplißimi sacerdotij gradum ascendit. Rursus a populo ad collegia lege Labieni abrogata, ius cooptandorum sacerdotum rettulit, post caedem Caesaris M. Antonius consul, eo consilio ut facilius, ac certius, M. Aimilius Lepidus, uius filio filiam suam collocauerat, pontifex maximus in Caesaris locum subrogaretur. Ceterum quum Antonij omnes leges anno sequenti Hirtio & Pansa cos. ex S. C. abrogatae essent, quod ex M. Tullij oratione in ipsum XIII. & Dionis III. libro XLV. intelligitur, haec quoque quam de sacerdotijs tulerat, fracta est, lexque Domitia iterum restitua: sic enim eo anno scribit Cicero ad Brutum: Pansa uiuo celeriora omnia putabamus, statim enim collegam sibi subrogasset, deinde ante praetorum, sacerdotum comitia fuissent. Postea sub Augusto abrogata tertio Domitia lege, collegiorum primo, deinde Romanorum principum arbitrio, pontifices, augures, & reliqui sacerdotes cooptari coepti. Augurum collegium Romae usq; ad Theodosij senioris imp. tempora uiguit. Quibus religione Christi sanctißima omnia iam obtinente, uetereque daemonum cultu abrogato, uno edicto sacerdotiorum omnium redditus fisco publico applicati sunt. Quare postea plane augures, & alij sacerdotes fieri desierunt. ita Zosimus

De auguribus praeterea multa mentio est apud Ciceronem libro I. de diuinatione, Ouidium quarto Fastorum, Valerium libro II. Plutarchum in problematibus, & Statium Papinium libro quarto Thebaidos

De

De augurum uero collegio has inscriptiones uidi

IOVI. O. M. SACR
COLLEG. AVGVR. D.D
CVR
T. IVNIVS. SELEV
CVS. CVM. VALER. FIL
IMMVN. PERPET

item

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP. CAES. TRAIANO
HADRIANO. AVG
TERMINOS. POMERII
RESTITVENDOS. CVR

HARVSPICES

Haruspices a Romulo institutos fuisse, tradit libro secundo Dionysius. Hi a uictimis in ara aspiciendis, dicti sunt. is enim est haruspex, qui postquam hostia immolata est, inspectis extis futura praedicit; qui & extispex dicitur. Hic saepe per pecudum, & ceterarum hostiarum fibras, iecinora, & alia intestina, futura arte daemonum diuinabant

De

De haruſpicibus mentio eſt in hac antiqua inſcriptione

SOFRONIA
Ↄ . L . TERTIA
SIBI. ET.P. SEXTILIO
PRIMO . HARVSPICI
SEVIRO . AQVINI
ET . SVIS . IN . FR
P.XII. IN.AGR. P.XII

DE.TRIBVNO. CELERVM

Tertiam ſacrorum adminiſtrandorum partem Numa tribuno celerum tribuit, quem Romulus equitum, quos celeres uocabant, praefectum conſtituit; ſub cuius poteſtate pedeſtres, equeſtreſq; copiae erat, corporis que regis ad cuſtodiam creatus fuerat. Hic enim ſtatuta quaedam ſacrificia peragebat. Ita Dionyſius libro ſecundo. De tribuno celerum mentionem facit Pōponius libro primo, tt. de origine iuris ita:Initio ciuitatis Romanae,conſtat reges omnem poteſtatem habuiſſe.Iiſdem temporibus & tribunum celerum fuiſſe conſtat, is autem equitibus praeerat,& ueluti ſecūdū locū a regibus obtinebat, quo in numero fuit L. Iunius Brutus, qui auctor fuit regis eijciendi. Et Dionyſius in Romulo: Romulus trecentos uiros ex praecipuis familijs, quos curiae renuntiarunt, eodem modo, quo antea ſenatores, delegit, eoſque ad corporis cuſtodiam circum ſe habuit, uocatique omnes ſunt celeres,ut plures ſcribunt ab exequendi miniſterij celeritate, prompti enim ueloceſque ad opera erant, quos Romani celeres uocant. Vt autem Vale-

Valerius Antias dicit a primo eorum duce Fabio Celere. Praeerat namque dux ipsis etiam clarißimus, cui tres ſuberant centuriones, & ſub eis alij inferiores magiſtratus, qui per urbem ſequentes eum cum telis miniſtri eorum quae iubebantur erant. etc. Huius tribuni celerum poſtea exactis regibus locum tenuit apud dictatorem magiſter equitum, & apud imperatores praefectus praetorio, ut tradit Pomponius

CVRIONES. XXX. ET. CVRIO MAXIMVS

Curiones erant qui curijs praeſidebant a Romulo inſtituti, curiarumque ſuffragijs creati: de quibus libro ſecundo in Numa ſic ſcribit Dionyſius: Aßumpta itaque Numa omnis diuini cultus inſtitutione, atque conſcripta, eam in octo diuiſit partes, quot erant etiam ſacrorum ordines, tradidit autem primã ſacrorum conſtitutionem triginta curionibus, quas dixi hoſtias immolare publicas pro curijs. His omnibus unus praeſidebat curio maximus ductus, cuius auctoritate (ut inquit Feſtus) ceteri curiones regebantur. Huius frequens mentio eſt apud Liuium. Hic curiatis comitijs ſemper creatus eſt

DE. SODALIBVS. TITIIS. alias TITIENSIBVS

Sodales Titij (inquit M. Varro libro IIII. de lingua Latina) dicti ſunt a Titijs auibus, quas in augurijs certis obſeruare ſolent. Tacitus uero libro primo: Idem annus (inquit) nouas caerimonias accepit, addito ſodaliũ Auguſtalium ſacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris ſodales Titios inſtituerat. Sorte ducti e primoribus ciuitatis unus & uiginti.

De

De hoc ſacerdotio mentionem facit Lucanus libro primo

Septemuirque epulis feſtus, Titijque ſodales

Hi ſacerdotes extra urbem habitabant, & in tugurijs certa au guria ſeruabant, quoniam ad id deputati a pontificibus erant. De eis praeterea nihil compertum habeo

Horum quoque ut aliorum multorum meminere antiquae inſcriptiones ita

P. CORNELIO
DOLABELLAE
COS
VII. VIRO. EPVLONVM
SODALI. TITIENSI
LEG.PRO.PR. DIVI. AVGVSTI
ET. TI. CAESARIS. AVGVSTI
CIVITATES. SVPERIORES
PROVINCIAE. ILLYRICI

Item

. . . .
M. F. CL. PRISCO
SACERDOTI. TITIALI
PR.INTER. CIVIS. ET
PEREGRINOS. TR.PL
QVAESTORI. PROC
AVG. XX. HERED

item

Item

. . . .

PONTIFICI . MAXIM . . .
TRIBVNIC.POTESTAT . . .
IMP.XVII. P . P
COS.VIII. DES.VIIII. CENSORI
CONSERVATORI.CAEREMONIARVM
PVBLICARVM.ET
RESTITVTORI.AEDIVM. SACRARVM
SODALES . TITI

FLAMINES . XV

Secundam (inquit libro secundo Dionysius) sacrorum ministeriorum curam Numa *rex ijs tradidit, qui a gestatione pileorum & infularum flamines uocati sunt.* De *quorum institutione parum inter ueteres scriptores conuenit.* Plutarchus *enim in* Numa *ita scribit:* Iouis Martisque *sacerdotibus a* Romulo *constitutis, tertium ipse* Romuli *constituit, quem flaminem* Quirinalem *nominauit.* Vocabant *& sacerdotes antea constitutos flamines, a pileis quibus ad tegenda capita utebantur, quasi pilamines quidam essent.* E *contra* Dionysius, *&* Liuius *flaminum omnium originem* Numae *tribuunt.* Ita *enim scribit* Liuius: Tum *sacerdotibus creandis animum adiecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime quae nunc ad flaminem* Dialem *pertinent, sed quia in ciuitate bellicosa plures* Romuli *quã* Numae *reges similes putabat fore, ituros q; ipsos ad bella, ne sacra regiae uicis desererentur, flaminem* Ioui *aßiduum sacerdotem creauit, insignique eum ueste, & curuli regia sella adornauit.* Huic *duos flamines adiecit,* Marti *unum, alterum* Quirino. Erat *autem flamen sa-*

cerdotis nomen, qui alicui deo peculiariter consecratus, ei uni singillatim sacra faciebat, a quo & nomen obtinebat, ut is qui Iouis sacra curabat, uel Martis, aut Quirini; is flamen Dialis, Martialis, & Quirinalis uocabatur. Hinc Cicero secundo de legibus: Diuisque aliis sacerdotes, omnibus ponti fices, singulis flamines sunto. Nominis autem ratio tracta est a filo, quo caput cinctum habebant, quod his uerbis docet M. Varro libro iiij. de lingua Latina: Flamines (inquit) quod in Latio capite uelato erant semper, ac caput cinctum habebant filo flamines dicti. Horum singuli cognomina habent ab eo deo cui sacra faciunt, sed partim sunt aperta, partim obscura. etc. & Seruius super Virgilium: Flamines (inquit) in capite habebant pileum, quod quum per aestus ferre non possent, filo tantum capita religare coeperunt. Nam nudis penitus ca pitibus incedere nefas erat, unde a filo quo utebantur flamines dicti quasi filamines. Plutarchus in Numa, eos a pileò pilamines primo post flamines dictos putat, quod non placet, nam & pontifices, & alij sacerdotes pileos gerebant, & flamines tamen non sunt appellati. Appianus, flaminem Dialem semper uelo, & galero festis profestisque diebus uti solere scribit. Sunt qui eos a sacris infulis flamines dictos putant, quas in ca pite gestabant; quae ab antiquis flamae dicebantur, siue a flammeo, quod genus est tegminis capitis, quod potius mulierum est quam uirorum. Sex. Pompeius: Flamen Dialis dictus quod filo aßidue ueletur, indeque appellatur flamen quasi filamen. Pileus autem siue galerus quo flamines utebantur, apex uoca batur, cuius formam ex lapidibus marmoreis, uetustisque num mis, ita aliquando descripsi. Nam quum apex fastigium sit & summum aliquod alicui additum rei, flaminis pileus qui ad modum galeae militaris factus erat, in summo fastigio uirgu lam fixam habebat, circa quam filum lanae albae religatum erat;

erat; a qua re (ut dixi) & ipsi flamines sunt uocati, & pileus ipse apex. Vnde Valerius libro primo cap. 1. At Sulpicio inter sacrificandum apex prolapsus, eidem sacerdotium abstulit. Et Lucanus libro primo

Et tollens apicem generoso uertice flamen

Apice autem non nisi flaminibus uti permissum erat, ut nunc mitra episcopis. Seruius libro viij. Vocant apicem ab apendo quod est uincire, unde aptus & apiculum filum quo flamines uelatum caput gerunt. Sex. Pompeius: Apex (inquit) qui est sacerdotum insigne dictus est, ab eo quod comprehendere uinculo antiqui apere dicebant, unde aptus is qui conuenienter alicui iunctus est. Virgilius libro viij

Hinc exultantes salios, nudosque lupercos
Lanigeros quae apices

Apex igitur omnium flaminum insigne commune erat. Quum autem tres a Numa principio tantum instituti fuissent, Dialis, Martialis, & Quirinalis; postea processu temporis XII. alij Romae additi sunt, & ad XV. numerum aucti. Sex. Pompeius: Maximae dignationis flamen Dialis est inter XV. flamines. Et quum ceteri discrimina maiestatis suae habeant, minimi habetur Pomonalis: Quod Pomona leuissimo fructui, agrorum praesidet, idest pomis: &c. Ceterum omnes flamines mox enumerabo. Post constitutos xij. flamines, orta est, inter eos maiorum, minorumque; uel patriciorum, & plebeiorum distinctio. Tres enim primi a Numa instituti maiores, & patricij appellati sunt. XII. posteriores minores & plebeij. Vnde Sex. Pompeius: Maiores flamines appellabantur patricij generis, minores uero plebei. Nam tres primi flamines semper ex patricijs cooptati sunt, ut docet Cicero in oratione pro domo; in qua regem sacrorum, flamines, salios, interregem, & ex dimidia parte reliquos sacerdotes non nisi ex

patribus creari posse tradit. Ceterum quamquam XV. flamines essent, qui nomine conuenirent, collegae tamen non erant, neque eorum quoddam collegium uocabatur. Siquidem flamen unius tantum dei sacerdos erat, habebatque sua quisque sacra, quae per se quisque procuraret, & ad alios nihil omino attineret. Quod Cicero libro secundo de legibus satis indicat, quum legem eiusmodi ponit: Diuisque alijs sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. Flamines autem (de maioribus praesertim loquens) tametsi non essent pontifices, ita tamen erant adscripti in collegium pontificum, ut si quando de re aliqua apud pontifices ageretur, ipsi una iudices sederent eius rei, de qua ad collegium pontificum relatum esset. Quod potest ex oratione Ciceronis pro domo sua intelligi, quae quum habita sit apud pontifices, ad quorum collegium reiectum erat de domo a Clodio consecrata iudicium, in ea tamen oratione iudices sedisse regem sacrorum, & flamines ostendit. Creabantur autem flamines a populo comitijs curiatis, ut ex Laelio Felice docet Gellius cap. XXVII. libri XV Flamines uero a populo comitijs curiatis creati inaugurabantur a pontifice maximo, cuius dicto omnes suberant. Quod ex his Liuij testimoniis demonstrari potest. Liuius lib. XXVII Et flaminem Dialem inuitum inaugurari coegit P. Licinius pōt. max. C. Valerium Flaccum. Quod idem scribit Valerius Maximus libro VI. cap. IX. C. Valerius Flaccus secundi belli Punici temporibus luxu perditam adolescentiam inchoauit. Ceterum a P. Licinio pontifice maximo flamen factus &c. & L. Florus in epitoma libri XIX. scribit: L. Caecilius Metellus pontifex maximus A. Postumium consulem, quoniam idem & flamen Martialis erat, quum ille ad bellum gerẽdum proficisci uellet, in urbe tenuit, nec passus est a sacris recedere.

dere. & idem Liuius libro XXXVII. de Q. Fabio Pictore, quem dicit eo anno quo creatus est praetor, inauguratum fuisse flaminem Quirinalem, ita scribit. Priusquam in prouincias praetores irent certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum, & Postumium Albinum fuerat. Consulem illum cum C. Lutatio collega in Siciliā ad claßem proficiscentem ad sacra retinuerat Metellus pontifex maximus. Praetorem hunc ne in Sardiniam proficisceretur P. Licinius tenuit. Et in senatu & ad populum magnis contentionibus certatum est, & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictae, & tribuni appellati, & prouocatum ad populum est. Religio ad postremum uicit, & dicto audiens eße flamen pontifici iussus. Quam obrem flamini Diali antiquitus nec magistratū petere, nec capere permißum erat. In cuius rei gratiam ei lictore, & regia sella curuli uti permissum est. Inde Cornelium Merulā flaminem Dialem consulem in locum Cinnae urbe pulsi suffectum, poenas dedisse uiolati antiqui iuris quidam crediderunt: in magistratu enim paulo post occisus est. Flaminium autem sacerdotium ita perpetuum erat, ut tamen ob certas quasdam caussas flamines etiam sacerdotio priuari possent; dicebanturq; flaminio abire, aliiq; subrogabātur, quod si nullis illarū caußis coacti fuissent sacerdotium deponere, id dum uiuebant retinere solebant. Vnde Valerius Maximus libro I. cap. I. Consimili ratione post P. Coelius, M. Cornelius Cethegus, & C. Claudius propter exta parum curiose admota aris deorum immortalium, uariis temporibus, bellisque diuersis flminio abire iussi sunt coactique etiam. At Sulpicio inter sacrificandum apex et capite prolapsus, eidem sacerdotium abstulit. Aliae quoque erant caussae eius deponendi sacerdotii, quas paulo

post afferam. Quum autem pontificum maximorum auctoritatem, super flamines, regem sacrorum, & ceteros pontifices fuisse aperte ex Liuio ostenderim, miror cur Sex. Pompeius ita scripserit: Ordo sacerdotum aestimatur deorum * maximus quisque. Maximus uidetur rex, deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto pontifiex maximus. Itaque in conuiuijs solus rex supra omnes accubat: Sed Dialis supra Martialem, & supra Quirinalem Martialis: is supra pontificem maximum: Rex quia potentißimus, Dialis quia uniuersi mundi sacerdos, qui appellatur Diûm, Martialis, quod conditor ac urbis parens Mars, Quirinalis socio Romani imperij adscito Quirino, pontifex maximus quod iudex atque arbiter rerum diuinarum humanarumque habetur. & cet. Nisi hoc intelligatur, in religiosis quibusdam epulis, & conuiuijs, quãtum ad seßionem attinet antiqui ritus ergo id obseruatum fuisse; ceterum potestate pont. max. omnes anteijsse. Flamines autem, quum populi suffragijs creati, a pontifice inaugurarentur, hoc est certis quibusdam, ac solemnibus captatis auguriis crearentur; captos duci a partibus, uelut ab hostibus mos fuit. Hinc flamines capti dicebatur. Flaminum uxores flaminicae uocabantur ut tradit Sex. Pompeius, quibus diuortium facere non licebat. Flaminum ministri flaminij dicebantur, & ministrae Flaminiae. Sex. Pompeius: Flaminius Camillus puer ingenuus patrimus & matrimus qui flamini Diali sacrificanti ministrabat, antiqui enim sacrorum ministros Camillos uocabant. Flaminia sacerdotula, quae flaminicae Diali praeministrabat, eaque patrima & matrima erat, idest patrem, matremque adhuc uiuos habebat. Flaminius lictor qui flamini Diali sacrorum caussa praesto est. Flaminia aedes domus flaminis Dialis. Praeciae dicebantur, qui a flaminibus praemittebantur, ut de nun-

nuntiarent opificibus, ut manus abstinerent ab opere, ne si ui dißet sacerdos facientem opus, sacra polluerentur. Hi ab alijs praeclamitatores appellantur. Haec itaque sunt quae omnibus flaminibus communia erant, nunc singillatim de ijs disputemus

DE. FLAMINE. DIALI

Atque primo a flamine Diali, qui maximae dignationis inter oēs erat, initium sumam. Hic, Dionysio, & Liuio auctoribus a Numa; uel ut Plutarchus tradit a Romulo ipso Ioui institutus fuit. Nam ante flaminum munus, regum fuerat; qui pontificum regumque promiscue officia exercebant, ut de Priamo, et Aenea apud Virgilium uideri potest. Item apud eundem de rege Deli Anio, & sacerdote Apollinis

Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique sacerdos

Dictus autem est Dialis ἀπὸ τοῦ δ᾽ιὸς, hoc est a Ioue, qui δ᾽ιὸς dicitur quasi Iouialis, a quo uita dari putabatur hominibus Cui flamini caerimonias multas impositas fuisse liquet; quae ex Fabio Pictore, Maßurio Sabino, M. Varrone, Plutarcho in problematibus, Gellio lib. x. cap. xv. ceterisque libris qui de sacerdotibus publicis conscripti sunt excerptae, sunt hae.

I. Equo Dialem flaminem uehi religio erat. II. Classem procinctam extra pomerium, idest exercitum armatum uidere; idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, quum bella consulibus mandabantur. III. Item iurare Dialem fas nūquam erat. IIII. Item annulo uti nisi peruio, cassoque fas non erat. V. Ignem e flaminia, idest flaminis Dialis domo nisi sacrū efferri ius nō erat VI. Vinctū si aedes eius introiisset, solui neceßum erat, & uincula per impluuium, in tegulas subduci atque inde foras in uiam demitti. VII. Nodum in apice,

neque in cinctu, neque alia in parte ullũ habebat VIII. Si quis ad uerberandum duceretur, si ad pedes eius supplex accubuisset, eo die uerberari piaculum erat. IX. Capillum Dialis nisi qui liber homo erat, detondere non poterat. X. Caprã & carnem incoctam, & ederam, & fabam, neque tangere Diali mos erat, neq; nominare. XI. Propagines e uitibus altius praeteritis non succidebat. XII. Pedes lecti in quo cubabat luto tenui circumlitos esse oportebat, & de eo lecto trinoctium cõtinuum non decubabat, neque in eo lecto cubare alium fas erat. Neque apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue, atque ferro oportebat. XIII. vnguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terra operiebantur. XIIII. Dialis quottidie festatus erat XV. Ac sine apice sub diuo esse licitum non erat, sub tecto uti libebat, & non pridẽ a pontificibus constitutum XVI. Farinam fermento imbutam attingere ei fas non erat. XVII. Tunicam intimam nisi in locis tectis non exuebat, ne sub caelo tanquã sub oculis Iouis nudus esset. XVIII. Super flaminem Dialem in conuiuio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbebat; quae res Sex. Pompeij locum de sessione sacerdotum in solemnibus conuiuijs aperit. XIX Vxorem quum amittebat flaminio decedere mos erat XX. Flaminis matrimoniũ nisi morte dirimi poterat. XXI. Locũ in quo bustum esset nũquam ingrediebatur XXII. Mortũ nunquam attingebat, funus tamen exequi religio non erat. XXIII. Vnus omnium flamen Dialis galero albo utebatur, ut libro secundo rerum diuinarum refert M. Varro, uel quod maximus esset, uel quod Ioui immolata hostia albato fieri oportuisset. XXIIII Vngi sub dio fas non erat Diali. XXV. Flamen Dialis antiquitus, nec magistratum petere, nec capere poterat, ne sacris auocaretur, & multa contra religionẽ facere cogeretur. XXVI. Praeclamitatores habebat: qui

ipsum

ipsum praecedebant, clamantes ut homines ab operibus desisterent, quia ei opus facientem uidere religiosum erat. Massurius quoque Sabinus alia quaedam fuisse scripsit, quae remissa sunt, gratiamque aliquot caerimoniarum Diali factam fuisse tradit. Flaminis Dialis apex siue pileus albogalerus dicebatur, quod fieret ex hostia alba Ioui caesa, cui affigebatur apex uirgula oleagina. Sex. Pompeius: Eaedem ferme caerimoniae sunt, quas flaminicae sacerdotissae Diales obseruabãt. In queis hae. Quod bene nato operiretur. Et quod uirrica surculum de arbore felici haberet, & quod scalas descendere ei plus tribus gradibus religiosum esset. Atque etiam, quum iret ad Argaeos, neque caput comere, neque capillum depectere solebat

Flaminicae cuiusdam mentio est in vetusta inscriptione sic

Q.CAECILIO.Q.F.AN
OPTATIANO
PRAEF.COH.I.AQVI
TANOR·EQVIT
PONTIA.T.F. SABI
NA . MATER
FLAMINICA
L . D . D . D

Adijcit in fine huius capitis Gellius: Verba praetoris ex edicto perpetuo de flamine Diali, & de sacerdote Vestae sunt haec: Sacerdotem Vestalem, & flaminem Dialem, in omni mea iurisdictione iurare non cogam. A Numa usque ad Marij & Sullae tempora, perpetua & continuata serie flamines Diales semper fuerunt, usque ad L. Cornelium Merulam, qui in seditione ciuili Cinnae, & Octauij in magistratu occisus fuit. Post quem, quum Caesar qui postea dictator fuit, id sacerdotium conse-

consequutus fuisset, non longe post a uictore Sulla, & sacerdotio, et uxoris dote mulctatus est: ita ut nullus deinceps flamen Dialis inauguratus fuit, usque ad finem imperij Augusti Caesaris. Sub quo anno plus minus centesimo postquam id sacerdotium uacauerat, flamen Dialis inauguratus est Ser Cornelius Maluginensis, post quem perpetuo ordine flamines Diales multi fuerunt usque ad nouissima imperij tempora, quibus cum reliquis sacerdotijs ueteris superstitionis ab imp. Theodosio, id sacerdotium omnino sublatum est. Atque haec sunt quae de flamine Diali apud ueteres scriptores inueni

DE.FLAMINE. MARTIALI

Secundus a Numa institutus flamen Martialis fuit, ut Dionysius, & Liuius tradunt; uel a Romulo, ut Plutarchus; quod Romuli urbis conditoris Mars pater creditus sit. Hic patricius, et maior flamen erat. De quo M. Varro libro quarto de lingua Latina: Flamines singuli cognomina habent ab eo deo, cui sacra faciunt, sed partim sunt aperta, partim obscura, aperta ut Martialis, Volcanalis. &c. Idem refert libro sexto

De flamine Martiali mentio extat in antiqua inscriptione sic

P. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA
C. IVNIVS. C. F. SILANVS. FLAMEN. MARTIAL. COS
EX. S. C
FACIVND. CVRAVERVNT. IDEM. QVE PROBAVERVNT

Hi consules, ut ex Fastis liquet, sub Augusti imperio fuerunt. Ne autem quis hac inscriptione in dubium uerteret, quod de flaminibus maioribus dixi, ipsos semper ex patricijs lectos fuisse

fuisse, animaduersione dignum, gentem Iuniam plebeiam quidem ante dictatorem Caesarem fuisse, ideoque hoc sacerdotio exclusam. Verum post Caesaris dictatoris tempora, a quo Iunia gens cum plerisque alijs in patricias allecta est, ut Tranquillus, & Dio tradunt, tam hoc sacerdotium, quam cetera quae plebeijs antea prohibita erant, obtinere potuit, ut sub Augusto hunc Iunium obtinuiße uidemus

DE. FLAMINE. QVIRINALI

Et hic flamen maior, & patricius a Numa in Romuli honorem institutus est, quod Romulus Quirinus appellatus parens, & urbis conditor fuisset. De hoc flamine frequens mentio est apud Liuium, Varronem, & Sex. Pompeium

De flamine Volcanali

Flamen Volcanalis Volcano consecratus, & reliqui undecim flamines minores omnes, & plebeij fuerunt, uariis temporibus instituti. De flamine Volcanali sic scribit Varro lib. IIII. de lingua Latina: Flaminum cognomina aperta sunt Martialis, & Volcanalis

De flamine Carmentali

Hic flamen Carmentae Euandri Arcadis matris, cuius templum prope Capitolium fuit, sacra curabat; de quo Cicero in Bruto ita mentionem facit: M. Popillius quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum laena faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione, & seditione nuntiata, ut erat laena amictus, ita uenit in concio-

concionem; seditionemque tum auctoritate tum oratione sedauit. Hos autē flamines plebeios fuiße testimonio est hic Lænas, qui ex plebe consul lectus fuerat, quum flamen Carmentalis esset

De flamine Florali

De Florali flamine, qui a Flora dictus est, meminit Varro libro sexto de lingua Latina. Hanc deam floribus praeeße ueteres credebant. Quam meretricem fuisse aiunt, quae quum magnas opes corporis quaestu quaesiuißet, populum Romanum fecit heredem, certamque pecuniam reliquit, ex cuius annuo foenore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos Floralia, siue ludos Florales appellabant. Quod quia senatui flagitiosum tractu temporis uisum est, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendae rei quaedam dignitas adderetur, deāq; finxerunt esse, quae floribus praesit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut uitibus bene, prospereque florescerent; itaque Floram nuncupasse, & ludos ei dedicatos appellauiße Floralia. De quib. in antiquo nūmo sic mentio est C.MEMMIVS.FLORALIA.PRIMVS.FECIT. Celebrabantur autem hi ludi omni cum lasciuia, conuenientes memoriae meretricis, in quibus praeter uerborum licentiam nudabantur, flagitante populo meretrices, quae mimmarum functae officio, in conspectu multitudinis ad satietatem usque impudicis motibus detinebantur. De hac dea, & eius ludis multa scribit Ouidius libro quarto Fastorum

De

De flamine Palatuali

Palatualis, ut Varro libro sexto de lingua Latina, siue Palatilis, ut Sex. Pompeius scribunt, flamen constitutus fuit ad sacrificandum ei deae, in cuius tutela Palatium erat, quam M. Varro Palatuam uocat, de quo nihil praeterea memoria dignum inueni

De flamine Falacro

Flamen Falacer, ut libro quarto de lingua Latina scribit Varro, a diuo patre Falacre dictus est. Quis autem is deus fuerit nondum inueni

De flamine Furinali

Flaminum aliquot cognomina obscura sunt (inquit Varro libro quarto de lingua Latina) ut Dialis, & Furinalis. Quum Dialis a Ioue sit, qui Diouis est: Furinalis a Furina, cuius etiam in Fastis Furinales feriae sunt. De eodem mentionem facit libro sexto de lingua Latina. Forte haec dea est, cuius uetus haec inscriptio meminit

I. O. M. H. AVG
S. A. C. R
GENIO . FORINARVM
ET.CVLTORIBVS.HVIVS
LOCI.TERENTIA. NICE
CVM.TERENTIO.DAMA
RIONE.FILIO.SACERDOTE

De flamine Volturnali

Flaminis Volturnalis solus quod sciam meminit M. Varro libro VI. *de lingua Latina sic: Eundem Pompilium Numam ait fecisse flamines, qui cum omnes sint a singulis deis cognominati, in quibusdam apparent etyma, ut cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt in quibus flaminum cognominibus latent origines, ut qui sunt in uersibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis; obscura est eorum origo. Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona pomorum patrona*

De flamine Virbiali

Flaminem Virbialem deo Virbio, idest Hippolyto consecratum, nullus quod sciam antiquus scriptor commemorat. Eius ego mētionem extare uidi Romae in antiqua inscriptione, quae modo ad manus non est, Quam uel in fine libri, uel alio loco postea ubi occasio sese obtulerit, afferam. Deus autem Virbius idem qui Hippolitus est. Thesei & Hippolytae Amazonis filius, qui quum a Phedra nouerca per calumniam apud patrem delatus esset, quod ipsi stuprum inferre uoluisset, patris iram ueritus curru consenso fugam arripuit, quumque iuxta maris littus peruenisset, incusso a Neptuno pauore, equi consternati implicatum habenis Hippolytum dilacerarunt. Cuius uicem miserata Diana ad uitam eum reuocauit, & in Aricino nemore collocatum, pro Hippolyto Virbium appellauit, quasi bis uirum. Vide haec latius apud Ouidium secundo metamorphoseos

De

De flaminibus Laurentiali, Lauinali, & Luculari

Neque etiam horum trium flaminum ullam mentionem apud ueteres auctores extare unquam uidi. Eos autem ex antiquo hoc epigrammate concinnaui

P.AELIO.P.F.PAPIR
MARCELLO.CENT
FRVM.SVB.PRINCIPE
PEREGRINOR.HASTATO
ET.PRINCIPI.ET.PRIMIPILO
LEG.VII.GEM.PIAE.FEL.ADLEC
TO.AD.MVNERA.PRAEFF
LEGG.VII.CLAVD.ET.PRIMAE
ADIVTRICIS.V.F.FLAMINI
LVCVLARI.LAVRENT.LAVINAL
PATRONO.ET.DECVRIONI
COLONIAE.APVLESIVM.PATRONO
CIVIVATIS.FORO.FLAM.FVLGINIAE
ITEM.QVE.IGVVINORVM
SPLENDIDISSIMVS.ORDO
FORO.FLAM
CVIVS.DEDICAT.DECVRIONIBVS
ET.LIBERIS.EORVM.PANEM
ET.VINVM.SS.XXX.N.ITEM
MVNICIPIBVS.SS.IIII.N.DEDIT

Ex his Laurentialem Accae Laurentiae Romuli nutrici creatum fuisse crediderim; reliquorum uero obscura cognomina sunt

De

De flamine Pomonali

Flaminis Pomonalis *quem inter* XV. *minimi habitum fuisse tradit* Sex. Pompeius, Varro *libro sexto de lingua* Latina *meminit, eumque a* Pomona *pomorum dea denominatum fuisse tradit*. Et Sex. Pompeius: Maximae *(inquit) dignationis flamen* Dialis *est inter quindecim flamines, & quum ceteri discrimina maiestatis suae habeant, minimi habetur* Pomonalis, *quod* Pomona *leuissimo fructui agrorum praesidet, idest pomis.* Haec *autem sunt quae de* XV. *flaminibus inuenire potui.* Cuius *uxores omnes flaminicae dicebantur.* Ceterum *quo ab antiquitatum studiosis gratiam aliquã ineam, & alterius generis flaminum aliquot inscriptiones suggeram, qui certe municipales flamines fuerunt*

Firmi in Piceno

T. APPAEO. T. F. VEL
ALFINIO.SECVNDO
PROC.AVGVST.XX.HERED
PROC.ALPI.ATRECTIANAR
PRAEF.VEHICVL.SVB.PRAEF
CLASS.PRAET.RAVENN.PR
ALAE.I.AVG.THRAC.TRIB.COH
I.AELIAE.BRITTON.PRAEF
COH.IIII.GALLOR.PATRON
COLON.FLAMINI.DIVOR
OMNIVM.AVGVRI
II.VIR.QVINQ.BIS
OB.MERITA.EIVS

ibid.

ibidem

L . VOLCATIO . Q . F .
VEL.PRIMO
II . VIR . II . QVINQ
FLAM . DIVOR . O M N
P. C. EX. TESTAMENTO
EIVS.POSITA
Q . LICINIO . CRISPINO
C. HERENNIO . MAXIMO
II . VIR

ibidem

L . VOLCATIO . Q . F
VEL . PRIMO
PRAEF . COH . I . NORICOR
I N . PANN . PRAEF. RIPAE
DANVVI . E T . CIVITATIVM
DVARVM.BOLOR.ET.AZALIOR
TRIB.MILIT.LEG.V
MACEDONICAE.IN
MOESIA . PRAEF . ALAE . I
PANNONIOR . I N . AFRICA
II.VIRO.QVINQ
FLAMINI . DIVOR
OMNIVM.P.C
EX. TESTAMENTO . EIVS
POSITA
M . ACCIO . SENECA
. . . MANLIO . PLANTA
II.VIR. QVINQ

De reliquis imperatorum inter diuos relatorum flaminibus; & primo de flamine diui Iuli

Post reip. casum quum Romanos imperatores et Augustas eorum uxores, uel filios, consecrandi mos irrepsisset, plures quoque eorumdem flamines sunt facti. Mortuo enim & inter diuos relato imperatori flamen, & sodales, qui ab eo nomen acciperent, addebantur, templumque in quo ipsi hymnos in eius honorem compositos canerent, extruebatur. Nam Iulio Caesari, a quo hic mos originem habuit, etiam adhuc uiuenti haec decreta fuisse tradit his uerbis Tranquillus: Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, insuper praenomen imperatoris, cognomen patris patriae, statuam inter reges, suggestum inter orchestra, sed & ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali tensam, & ferculum circensi pompa, templa, aras, simulachra iuxta deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis e suo nomine. & cet. Post mortem quoque ei cõsecrato eadem omnia remanserunt: quod his uerbis indicat idem Tranquillus: Laudationis loco cos. Antonius per praeconem pronuntiauit S. C. quo ei diuina simul atque humana decreuerat, item iusiurandum, quo se cuncti pro salute unius astrinxerant. Qua ratione uero imperatores consecrari apud ueteres Romanos solerent, quum post mortem inter diuos referrentur, accurate exposui in commentarijs libri secundi fastorum, ubi Seueri Augusti obitum descripsi.

De flamine diui Iuli mentio extat in antiquo hoc epigrammate

M . PVBLICIO
M . F . SAB. SEXTIO
CALPVRNIANO
EQVO . PVBLICO
FLAM . DIVI . IVLI
PRAEF . AEDIL.POT
QVAESTOR . AERAR
SACERD.IVVEN.BRIX
COLLEGIA
CENTON.ET. FABROR

Item

L . ACVTIO
L . F
FAB . PRIMO
EQVO . PVB
II . VIR . I . D
AEDIL. Q. ALIM
FLAM. DIVI.IVLI

De flamine diui Augusti

Augustum post mortem a Tiberio Caesare cõsecratum fuisse praeter Tranquillum docet etiam libro primo Tacitus ita: Idem annus nouas caerimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio. Sorte ducti e primoribus ciuitatis unus & uiginti, Tiberius, Drususque, Claudius, & Germanicus adijciuntur

De flamine diui Augusti mentio est in hisce vetustis inscriptionibus

NERONI . CAESARI
GERMANICI . F
TI.AVGVSTI . N . DIVI . AVG
PRON.FLAMINI . AVGVSTALI
SODALI . AVGVSTALI

Item

C . VALERIO . C . F . PAP
MARIANO
HONORES . OMNES
ADEPTO . TRIDENT
FLAMINI . ROM . ET . AVG
PRAEF . QVINQ . AVGVR
ADLECTO.AN.NON . LEG . III
ITALIC . SODALI . SACROR
TVSCVLANOR . IVDICI
SELECTO . DECVR . TRID
DECVRIONI . BRIXIAE
CVRATORI . REIP . MANT
EQVO . PVBL . PRAEF . FABR
PATRONO. COLON
PVBLICE

Item

M.ARTORIVS.M.F.PAL . PRISCVS . VICASIVS
SABIDIANVS.TRIB.COH.XV.VOLVNT.C.R.TR.LEG
VII.CLAVD.PIAE.FID.PRAEF.ALAE.I . PANN
PRAEF
MONTIS . BERENICIDIS . FLAM . DIVI.AVG
PATR . COL
. . . RATEG. THEAD.EX.VOTO.D.D

De

De sacerdote diuae Augustae

Augustarum uero consecratarum, non flamines sed sacerdotes uocabantur, quae illis praecipue sacra faciebant. Liuiam autem Drusillam, quae & Iulia Augusta, Augusti Caesaris uxorem post obitum, primam omnium Augustarum sub Diuae Augustae uocabulo a Claudio imperatore consecratam tradit Träquillus in Claudio cap. XI: Auiae (inquit) Liuiae diuinos honores, & circensi pompa currum elephantorum, Augusteo similem decernendum curauit

Eius mentio est in hac uetusta basi ita

DENTRIAE.L.F.POLLAE
SACERDOTI.DIVAE
AVGVSTAE
P O S T . MORTEM
D . D

De flamine diui Claudij

Ti.Claudium Caesarem post obitum a Nerone imperij herede consecratum fuisse tradunt Tacitus libro XII. Tranquillus cap. XLV. & Eutropius libro septimo

De cuius flamine mentio est in hac vetusta inscriptione

Q.PETRONIVS. C . F. PVB. MODESTVS
P . P . BIS
LEG. XII. FVLM . ET . LEG. I. ADIVTRIC
TRIB. MIL. COH. V. VIG
TR.COH.XII.VRB.TR.COH.V. PR. PR. . .
DIVI.NERVAE.ET.IMP.CAES
NERVAE.TRAIANI.AVG. GERM.PROVINC
HISPANIAE.CITER.ASTVRIAE.ET
GALLAECIARVM.FLAMEN. DIVI.CLAVDI
DEDIT.IDEMQVE.DEDICAVIT

De flamine vero diui Vespasiani mentio est in antiquo hoc epigrammate ita

M.BAEBIO.M.F. Q. N . ARN . SVETRIO
MARCELLO.EQVO.PVBLICO
AED.Q.IIII. VIR. I. D . IIII . QVINQ . II
PATRONO.MVNIC.FLAMINI.DIVI
VESPASIANI
M.BAEBIVS.SVETRIVS . MARCELLVS.ET
SVETRIA . RVFA . OPTVMO.HVIC.DECV
RIONES. FVNVS. PVBLICVM.STATVAM
EQVESTREM . CLYPEVM. ARGENTEVM
LOCVM. SEPVLTVRAE . DECREVERVNT
VRBANI.STATVAM.PEDESTREM

Item

item

L. APPAEO. L. F
PVP
PVDENTI. P. P
TRIB. COH. XII
VRB. ET. X. PRAET
FLAMINI. FLAV
PATRONO

De sodalibus autem Flauialibus

IMP. CAESARI
DIVI. F. T. VESPAS
IANO. AVGVSTO
PONTIF. MAX. TRIB
POT. IMP. X. P. P
CENSORI. CONSER
VATORI. AEDIVM
PVBLICARVM. ET
RESTITVTORI. AEDIVM
SACRARVM
SODALES. FLAVII
P. MARTIVS. VERVS

De sacerdote diuae Domitillae

Diuae Domitillae sororis Titi et Domitiani Imperatorum, Vespasiani Augusti filiae, a Domitiano imperatore consecratae, cuius meminit Statius libro Siluarum primo, hanc marmoream inscriptionem uidi

C.ASCONIO . C.F
FAB.SARDO
IIII . VIR. I . D
PRAEF . FABR
FRATRI
CVSINIAE . M.F
SARDI . MATRI
ET . SIBI
ASCONIA . C. F
AVGVRINA
SACERDOS
DIVAE.DOMITILLAE

De flaminae Traianali

De flamine, & sodalibus diui Traiani quem consecratum ab Hadriano fuisse omnes tradunt, has uidi ueteres inscriptiones

P.CLODIO . P. F
FAB . SVRAE
Q. FLAMINI . DIVI
TRAIANI . PONTIF
II.VIR.QVINQ. TRIB.LEG
II.ADIVTRIC. PIAE . FID
CVRAT.REIP. BERGOMEN
DAT.AB.IMP . TRAIANO
CVRAT . REIP . COMENS
DAT.AB.IMP. HADRIANO
COLLEGIA
FABROR. ET. CENT

item

Item

SEX . TITIO
SEX . F . PVP
MONTANO
CAESIO . SABINO
EQVO . PVBLICO
AED . PONTIFICI
FLAMINI . TRAIANAL
PATRONO . MVNIC
PLEBS . VRBAN
H . R . I . R . I

item

IOVI.CONSERVATORI.ET.IVNONI . SANCTAE
SACRVM
C.PLAETORIVS.C.F.STEL.PHOEBVS . VI . VIR
AVGVSTAL
SODAL.TRAIANAL.ET.HADRIANAL.IIII.VIR
QVINQVEN
PATR.IVVEN.TREBVL.MVTVST.VOT.SOL.LIB
MER

Sacerdotum diuarum Plotinae, Marcianae, & Faustinae meminerunt hae uetuſtae inſcriptiones

AEMILIAE
C . F
SACERD. DIVAE
PLOTINAE
COLLEG.CENT
TITVLO.VSA

D.M

D . M
CETRAMIAE
P . F . SEVERINAE
SACERDOTI
DIVAE. MARCIANAE
T.BAEBIVS.GEMELLI
NVS . . . . AVGVST
CONIVGI . SANCTISS

item

SAENIAE . CN . FIL
BALBILLAE
SACERDOTI . DIVAE
FAVSTINAE. DECVRI
ONES.AERE . COLLA
TO.OB.MERITA. EIVS

De flamine Hadrianali

Hadrianum imperatorem uita functum, ab Antonino Augusto Pio consecratum fuisse his uerbis docet Aelius Spartianus: Hadrianus rogante Antonino diuus a senatu appellatus est, qui templum ei pro sepulchro apud Puteolos constituit, et quinquennale certamen, & flamen, & sodales, & multa alia, quae ad honorem quasi numinis pertinerent. Vnde multi Antoninum Pium dictum putant

De

De flamine Hadrianali meminit vetus
hoc elogium ita

L.FABIO.M.F . GAL . CILONI
SEPTIMINO.COS.PRAEF . VRB
LEGG.AVGG.PR.PR . PANNON
SVPERDVCI.VEXILL. LEG. PRO
PR.PROVINCIAR.MOESIAE.SVPER
PONTI.ET.BITHYNIAE
COMITI.AVG.LEG.AVGG . PRO
PR.PROV. GALATIAE . PRAEF
AER.MILITARIS.PROV
COS.ITEM.Q.LEG.PROV.NARBONENS
LEG.LEG.XVI. FL . F . SAMOSATE
. SODAL. HADRIANAL
PR. VRB. TRIB. PLEB. Q. PROV
CRETAE.TRIB . LEG . XI . CL
X.VIR . STLITIB. IVDICANDIS
MEDIOLANENSIS
PATRONO

Plerosque ex sequentibus imperatoribus inter diuos relatos fuisse docēt Dio, Herodianus, Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Eutropius, et alij imperatorum uitarum scriptores, inter quos Marcū, L. Verū, Commodum, Pertinacem, et Seuerū fuisse ex ijsdem constat, egoque paulo post ostendam, & antiqua haec profitetur inscriptio, quae eorundem sodalium meminit

Caetera

C . CAERELLIO . FVFIDIO
ANNIO . RAVO . C . F . OVF
POLLITIANO . SODALI
MARCIANO . AVRELIANO
COMMODIANO . HELVIANO
SEVERIANO. III. VIR . MONET
A.A.A.F.F. TRIB. LATICLAVIO
LEG.III.CYR.VI.VIR. EQVIT.ROM
TVRMAE . PRIMAE. QVAESTOR
CANDIDATO
IMP . CAESARIS . M. AVRELI
ANTONINI . PII.FELICIS.AVG
TRIB.PL.CANDID.PR.HASTAR.C.V
FVFIDII . AMYCVS.ET
CHRESTINA . NVTRITORES

Ceterum si quis desiderio tenetur intelligere quo ritu, & quibus caerimonijs ueteres Romani imperatores inter diuos referebantur, is commentarios nostros in secundum fastorum librum petere poterit, ex quo omnia accurate & ut existimo diligenter descripta, facile cognoscere poterit. Ego uero hoc loco oẽs imperatores, & Augustas, qui apud ueteres inter diuos relati sunt adijciam, ut quot flamines fuerint omnes demum intelligere possint, quot enim diui imperatores usque ad Constãtinum, tot etiam flamines fuisse existimandum est

IMPERATORES.CAESARES.ET.AVGVSTAE
QVI.INTER DIVOS . EX.S.C.RELATI.SVNT

DIVOS . IVLIVS

ab Augusto Caesare. Nummi aerei. Lapides. Tranquillus capite XXCVIII. *Dio libro* XLVI

DI-

Diuus Augustus Pater

a Ti. Caesare Augusto. Nummi aerei. Lapid. Tacitus libro. I Trãquill. cap. C. Dio libro LVI. Eutropius lib. VII. Victor

Diua Augusta

a Claudio Imp. Nummus aereus. Tranq. in Claudio cap. XI

Diua Drusilla

a Caio Caligula Imp. fratre. Tranquill. in Caio cap. XXIIII

Diuus Claudius

a Nerone Imp. Nummus argenteus. Tacitus L. XII. Tranq cap. XLV. Eutropius libro VII

Diua Claudia Poppaea

a Nerone Imp. patre. Tacitus libro XVI. & Tranqullus

Diuus Augustus Vespasianus

a Tito filio. Nummi. Lapides. Tranquillus C. XXIII. Statius Lib. Siluarum. I. Eutropius libro VII

Diuus Titus Augustus

a Domitiano fratre. Num. Lap. Tranquillus in Tito, & Domit. cap. II. Statius libro Siluarum I. Eutropius libro VII

Diua Domitilla

a frate Domitiano. Statius libro Siluarum I. Lapides

Diua Iulia Diui Titi Filia

a patruo Domitiano Imp. Nummi argentei, & aurei. Statius libro Siluarum I

Diuus Caesar Imp. Domitiani Aug. F

alias

Diuus Caesar Domitianus

a patre Domitiano Imp. Nummi argenteus, & aureus

Diuus

Diuus Nerua

a Traiano Imp. Nummus arg. Lapides. Eutrop. L. VII

Diua Augusta Marciana

Traiani Imp. soror, a Traiano. Nummus arg. Lapides

Diuus Traianus Parthicus

ab Hadriano Imp. Nummus argent. Lap. Eutropius. L. VIII

Diua Plotina

Traiani Imp. vxor, ab Hadriano. Nummi arg. Lapides. Dio, & Spart. in Hadriano. Sex. Aurelius Victor

Diuus Antinous

ab Hadriano. Spartiauus in Hadriano

Diua Sabina

Hadriani uxor, ab Hadriano. Nummi, & Lapides. Spartianus in Hadriano

Diuus Hadrianus Augustus

a Pio Imp. Nummi arg. & Lapides. Spartianus, Capitolinus in Pio. Eutropius Lib. VIII

Diua Augusta Faustina

Pij Imp. uxor, a Pio. Nummi argenteus, & aereus. Lapides. Capitolinus in Pio

Diuus Antoninus Pius

a Marco Imp. Nummi arg. & aer. Lapides. Capitolinus in Pio. Victor, & Eutropius lib. VIII

Diuus Verus Parthicus

a Marco Imp. Nummi aerei. Capitolinus in Marco. Eutropius libro VIII

Diua Faustina Pia

a marito Marco Imperatore. Nummi argentei, & aerei. Capitolinus in Marco

Diuus M. Antoninus Pius Germanicus Sarmaticus

a Commodo Imperatore. Nummi, & Lapides. Capitolinus. Eutropius Libro VIII

Diuus Commodus

a Seuero Imperatore. Nummi, et Lapides. Lampridius, & in Seuero Spartianus

Diuus Pertinax Pius Pater

a Seuero Imperatore. Nummi aerei. Dio, Iulius Capitolinus, & Sex. Victor

Diuus Septimius Seuerus Pius

a Caracallo, & Geta impp. filijs. Nummi, & Lapides. Herodianus libro IIII. Spartianus, Eutropius libro VIII

Diuus Geta

a Caracallo Imp. fratre. Spartianus

Diuus Antoninus

a Macrino Imperatore. Spartianus

Diua Iulia Augusta

Seueri Imperatoris uxor, ab Alagabalo. Nummus aereus. Ex Herodiano

Diua Iulia Maesa

Auia Imp. Alexandri, ab ipso consecrata. Herodianus lib. VI

Diuus Alexander

a S.P.Q.R. Lampridius

Diua Iulia Mammaea

Alexandri Imp. mater. a S.P.Q.R. *Lamprid. in Alexandro*

Diua Paullina

Vxor Maximini, ab ipso. Nummus aereus

Diuus Gordianus Africanus

Diuus Cordianus Africanus

a S.P.Q.R. *Herodian. lib.* VIII. *Iulius Capitolinus*

Diuus Gordianus Auguſtus

a Philippo Imp. Iulius Capitolin. Eutropius lib. IX

Diuus Philippus Senior

Diuus Philippus Iunior

Diuus Decius

a S.P.Q.R. *Eutropius libro.* IX

Diuus Valerianus

a Gallieno filio Imp. Trebellius Pollio in Gallieno

Diua Mariniana

a Gallieno. Nummi argenteus, & aereus

Diuus Caeſar Valerianus

a Gallieno patre. Nummus argenteus. ex Pollione

Diuus Claudius

ab Aureliano Imp. Numm. aereus. Trebellius Pollio. Eutrop. libro IX. *Victor*

Diuus Aurelianus

a Tacito Imp. Fl. Vopiſcus. Eutropius libro IX

Diuus Carus

a filijs Carino & Numeriano Impp

a Dio-

Diuus Numerianus

a Diocletiano Imp. Lapis antiquus

Diuus Nigrinianus

Nummus aereus

Diuus Constantius Pius Princeps

a Constantino Imp. filio. Nummus aereus & Lapides. Eutropius libro x

Diuus Maximianus Sen. Fort. Imp

a Maxentio Imp. filio. Nummus aereus

Diuus Romulus

a patre Maxentio Imp. Nummus aereus

Diuus Maximianus

a Licinio Aug. Nummus aereus

Diuus Diocletianus

a Constantino, & Licinio Impp. Eutropius lib. IX

Diua Helena

a filio Constantino Imperatore

Diuus Aug. Pius Constantinus Max

a filijs Constantino, Constantio, & Constante Augustis. Num. aereus. Eutrop. lib. x. Codex Theodosianus

Diuus Constantinus Iun

a fratribus Constantio, & Constante Augustis. Codex Theodosianus

Diuus Constans

a fratre Constantio. Eutropius libro x. Symmachus libro I Epist. XXXIX

Diuus Constantius

a *Iuliano Imperat. Eutropius libro* x. *Symmachus ibidem. Codex Theodosianus*

Diuus Iulianus

a *Iouiano, Aug. Eutropius libro* x. *Symmachus ibidem. Codex Theodosianus*

Diuus Iouianus

a *Valentiniano, & Valente Impp. Eutropius libro* x. *Codex Theodosianus*

Diuus Valentinianus Magnus

a *Gratiano filio, & Valente fratre Impp. Marcellinus Comes*

Diuus Valens

a *Gratiano, & Valentiniano Iuniore Impp. Codex Theodosianus*

Diuus Gratianus

a *Theodosio, & Valentiniano Iuniore Impp. Codex Theodosianus. Symmachus libro* I. *Epist.* XXXIII. & XXXIX

Diuus Valentinianus Iun

a *Theodosio Imp. Codex Theodosianus*

Diuus Theodosius

a *filijs Arcadio, & Honorio Impp. Cod Theodosianus*

Diuus Arcadius

a *filio Theodosio Iuniore Aug. Cod. Theodosianus*

Diuus Honorius

a *Valentiniano* III. *Aug. Codex Theodosianus*

Diuus

Diuus Theodosius Iunior

a Valentiniano III. Imperatore. ex Codice Iustiniani

Diuus Placidius Valentinianus

Ex Codice Iustiniani

VIRGINES. VESTALES. VI

De Virginibus Vestalibus

Virginum Vestalium institutionem Dionysius libro secundo, Liuius libro primo, & in Romuli, & Numae uitis Plutarchus, Numae Pōpilio, quemadmodū pleraq; alia sacra tribuūt. Alij uero (ut tradit Plutarchus) inter quos Virgilius est, uetustius id institutum putant; ipsum enim Ilio, & Troianis manasse scribunt, posteaquam Palladio potiti sunt. Easque ex Troianis ad Lauinios primum, deinde Albanos, postremo ad Romanos commigrasse. Virgilius II. Aeneidos

Sic ait & manibus uittas, Vestamque potentem
Aeternum additisque effert penetralibus ignem

Vestae enim ignis perpetuus dicatus erat, a sacris uirginibus custoditus. Eam autem terram esse quidam credunt, alij uero Vestam nihil aliud quam purum ignem esse arbitrantur. Alij porro eandem, quae & Opis, & Cybelles omnium deorum mater dicitur, esse opinati sunt. Cuius sacra, uigilem scilicet ignē, cum uirginibus, penatibus, & Palladio Aeneas ex Troia in Latium tulit, & condito Lauinio Vestae aedem sacrauit; in qua etiam haec sacra condidit. Postea Ascanius condita Alba longa templum Vestae aedificauit in montis Albani parte, cui suberat lucus, in quo Ilia siue Rhea Siluia Romuli mater compressa est. Vestae enim ministrae perpetuam uirginitatē ser-

uabant. Nam mos antiquus Latinis fuit generosas, & castas uirgines legere in Vestae ministerium, quod idem obseruasse Romulum quidam tradunt, qui castißimas sacrorum caeri-monias, ut auctor est M. Varro, instituit. Temploque Vestae excitato, Vestales uirgines legit. Quamquam alij (ut dixi) nõ Romulũ, sed Numã Põpiliũ eiusmodi instituti auctorem ferant. Ego porro existimo Vestalium sacra antiquißima quidẽ, & longe ante ipsum Romulum fuisse. Nam Ilia, siue Rhea uirgo Vestalis fuit, ipsorum scriptorum testimonio, Numam uero ipsum templum Vestae condidiße, (quum id sacerdotium a Romulo neglectum fuisset, domesticae calamitatis recordatio-ne) praescriptum uirginum numerum ordinasse, rationem, & tempus quibus capi deberent addidisse, honorem, delinquen-tium poenam, & postremo omnes Vestalium caerimonias sta-tuiße, quibus apud Romanos eas teneri mos fuit, quae ante Numam nequaquam ita accurate obseruata fuiße crediderim. Nam is Vestae templum circulari effigie in foro inter Palatiũ, & Capitolium ex antiquorum Latinorum & Albanorum ri-tu aedificauit, et Vestae sacra, ignemque perpetuum, certis qui-busdam uirginibus, a se lectis tradidit custodienda. Ignis por-ro perpetui sacris Vestae uirginibus custodiam ideo ueteres commisisse traditur, ut puram & incorruptam ignis substan-tiam, inuiolatis item integrisque corporibus commendarent, siue quod sterile, & infecundum esset scitae uirginitati adiun-gerent. Ideo autem in Vestae templo perpetuum ignem serua-ri uoluerunt, quod ueteres nihil aliud Vestam esse existimaue-rint, quam purum ignem, uel quod Vesta eadem esset quae & tellus, quae medium orbis locum obtinens, igneos globos ex se ipsa emittat. Itaque nihil aliud a sacris uirginibus, quam inex-tinguibilem illum ignem custodiri quidam putant. Nonnulli uero praeter hunc alia quaedam arcana in Vestae templo ser-

uari

uari tradidere, pontificibus ipsis, uirginibusque Vestalibus etiam incognita, quod ea uidere, aut audire fas non sit. Quidā duo dolia haud magna, alterum apertum, alterum clusum in Vestae templo fuisse scribunt, in quibus quid repositum fuerit, incertum. Alij Paladium in eo templo custodiri etiam existimauerunt. Quoties autem ignis ille perpetuus quouis casu extinguebatur, maximorum malorum imminentium praesagium erat, idque super omnia grauia Romani timebant, interitum urbis quamprimum ad futurum existimantes, ut Romae, quū Mithradatici, tum ciuilis belli temporibus, quibus ignis in aede Vestae extinctus fuit. Ignem autem amissum nequaquam decebat ex altero igne sumere, sed maximis precibus numen Vestae placantes, multis sacrificijs nouum ex Solis radijs eliciebant, pura & immaculata flamma, ex lagena aqua plena Solis splendori opposita, accensa. Primus autem Numa quattuor Vestales uirgines legit omnes nobilissimas, & patricias Geganiam, Berenniam, Camiliam, & Tarpeiam. Quibus postea aucta ciuitate, propter multitudinem sacrorum, quae perficiebant, duas alias addidit Ser. Tullius rex, sexque uirgines Vestales factae sunt, qui numerus semper postea in posterum mā sit donec id sacerdotiū fuit. Quarū praefecta uirgo Vestalis maxima appellabatur, quemadmodum ex his inscriptionibus liquet CLOELIAE. CLAVDIANAE

.V. V. MAXIMAE
A. DIIS. ELECTAE. MERITO
QVAM. SIBI. TALEM. ANTISTITEM
NVMEN. VESTAE. RESERVARE. VOLVIT
COELIA. NERVIANA. SOROR
CVM. PIERIO. CONIVGE. AC. LIBERIS
SVIS. ORANTES. VT. PER. TOT. SAECVLA
FACERE. DII. PERMITTANT

item

FL . MANILIAE . V . V . MAX
CVIVS.EGREGIAM. SANCTIMO
NIAM . E T . VENERABILEM
M O R V M . DISCIPLINAM
IN.DEOS.QVOQVE.PERVIGILEM
ADMINISTRATIONEM
SENATVS . LAVDANDO
COMPROBAVIT
AEMILIVS . FRATER . E T
RVFINVS . FRATER . E T
FLAVII . SILVANVS . E T
EIRENEVS. SORORIS . FILII
A.MILITIIS . OB. EXIMIAM
E R G A . S E . PIETATEM
PRAESTANTIAM. QVE

L. Antistius Labeo, qui de uirgine Vestali capienda diligentissime scripsit, minorem quam annos sex, maiorem quam annos decem natam capi fas esse negauit: item quae non fuerit patrima, & matrima, hoc est cuius utriq; parentes uiuerent, itẽ quae lingua debili, sensuue aurium diminuta, aliaque qua uis corporis labe affecta sit: item quae ipsa, aut cuius pater emancipatus sit, etiam si uiuo patre in aui potestate sit. Item cuius parentes alter amboue seruitutem seruierint, aut in negocijs sordidis diuersati sint: sed eam cuius soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem mereri aiunt: item cuius pater flamen, aut augur, aut XV. uir sacris faciundis, aut qui septem uir epulonum, aut salius etiam fuerit. Sponsae quoque pontificis, et tibicinis sacrorum filiae uacatio a sacerdotio isto tribui solet. Porro autem C. Atteius Capito. XV. uir sacris faciundis, scriptum reliquit, neque eius legendam filiam, qui domicilium

in

in Italiam non haberet, & excusandam eius, qui liberos tres non tulisset. Virgo autem Vestalis simul atque capta, & in atrium Vestae deducta, pontificibus tradita est, eo statim tempore sine emancipatione, ac sine capitis minutione, e patris potestate exijt, & ius testamenti faciundi adipiscitur. Virginibus Vestalibus triginta annorum castitas a rege Numa praescripta fuit. Quibus caste & incorrupte manerent, sacrificiaque, & alias caerimonias Vestae peragerent. Quod tempus in tres partes partitum erat; nam decem primis annis discebant, totidem ministrae erant, reliquis uero decem alias iuniores edocebant. Anno uero tricesimo exacto, dabatur eis nubendi potestas; quae uittis & reliquis sacerdotij insignibus depositis, matrimonio iungi poterant. Hoc uero paucissimas admodum fecisse traditum est. Fertur quoque eis, quae hanc nubendi licentiam amplexae sunt, non tantum multa aduersa, omni tempore quo uixerunt contigisse, uerum etiam poenitentia & merore reliquam uitae partem infeliciterque transigisse, Vesta iniuriam, quae sibi allata uidebatur ulciscente, pessimum postremo uitae finem sortitae sunt. Quare reliquae his exemplis permotae, usque ad mortem pudice & caste in Vestae ministerio permanserunt. In demortuae autem locum ante triginta annorum spatium, aliam subrogare necesse erat.

Interdiu cum uirginibus Vestalibus commorari omnibus licebat; noctu autem uiris ad eas ingressus erat interdictus. Quas populus Romanus multis maximisque honoribus honestauit, quibus nuptiarum, aut filiorum desiderium leniri poterat. Sacrosanctae enim & inuiolabiles erant, lictore utebantur, ampliorem & digniorem in circo, & alijs spectaculis locum habebant, si casu quispiam nocens ad mortem ductus, uirginem Vestalem obuiam habuisset, eum amplius interficere non licebat, uerum iurare cogebatur, se non ultro, & de industria,

aut dedita opera, sed casu obuiam factam. Qui uero occurrebat, cum ipsae feretro uehebātur ad necem nihilominus moriebatur. Vestalium porro delinquentium poena haec erat. Si petulanter egißet, aut rerum sacrarum perinde ac ignis custodiam suae curae creditam neglexisset, atque ob cetera eiusmodi peccata, nuda linteo tamen obtensa, in editiore obscurioreque domus loco flagris a pontifice maximo uerberabatur, quemadmodum a P. Licinio pontifice maximo, in eam quae parum diligenter sacrum ignem custodierat, animaduersum fuiße Valerius tradit. Si uero parum pudice se habuisset, castitateque amißa, incesti conuicta fuisset, turpißima miserabilique morte, hac ratione afficiebatur. Sandapila uincta efferebatur per medium forum ab aedibus Vestae usque ad portam Collinam, tanquam mortua, cum luctu propinquorum, & necessariorum, sequentibus pontificibus, alijsque sacerdotibus in moesto silentio. Iuxta portam Collinam intra urbis muros, tumulus usque hodie impudicarum Vestalium supplicium sinistra euntibus ad portam, imminet, ubi locus erat subterraneus, in quo per foramen scalis descendebatur. In eum uirgo corrupta, uinculis soluta, capiteque uelato, postquam pontifex maximus arcana quaedam uerba pronuntiaßet, & cum ceteris sacerdotibus terga uertisset, sola a carnifice demittebatur, sublatisque scalis occludebatur locus undique, ubi ne fame uideretur necata, panis, lactis, & olei aliquantulum ponebatur, lectulusque stratus, & ardens lucerna simul. Quibus perfectis discedebant sacerdotes, atque eo die iustitium erat in urbe, & moeror, pauorque magnus, praesertim quod ingentes ciuitati, atque reipublicae calamitates pena Vestalis uirginis portendere credebatur. Nec sane ciuitas lugubriorem, aut moestiorem diem agebat, quàm eum, quo de uirgine Vestali supplicium sumptum est.

De more autem, rituque capiundae uirginis litterae quidem antiquiores

tiquiores non extant, nisi quod capta fuisse fertur, quae capta prima est a Numa rege, Ego autem (ut supra dixi) ante Numam ipsum captam primum fuisse Vestalem existimo, tum multis coniecturis, tum etiam ex testimonio libri primi Q. Fabij Pictoris, in eo loco ubi ea uerba recitantur, quae pontifex maximus fari solet, quum uirginem Vestalem capit. Ea autem eiusmodi sunt. Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae ius sit, & sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus uti, quod optima lege fiat, ita te Amata capio. Amata autem inter capiendum a pontifice maximo appellatur, quoniam quae prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est. Ceterum quum ex quattuor, quas primas a Numa captas refert Plutarchus nulla sit quae Amata uocatur, ante Numam quoque uirgines Vestales fuisse certum est. De capienda quoque uirgine Vestali inuenitur lex Papia, qua cautum fuit, ut pont. max. arbitratu, uirgines e populo uiginti legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat. Sed ea sortitio ex lege Papia paulatim abrogata est. Nam si quis honesto loco natus pontificem maximum adijsset, atque obtulisset ad sacerdotium filiam suam, cuius dumtaxat saluis religionum obseruationibus, ratio haberi posset, gratia Popilliae legis per se ratum fit. Capi autem uirgo propterea dicitur, quia pontificis maximi manu prehensa, ab eo parente in cuius potestate est, ueluti bello capta abducitur. Plerique autem capi uirginem solum debere dici putant, sed flamines quoque Diales, pontifices, & augures capi dicebantur, ut auctor est L. Sulla rerum gestarum libro secundo, In commentarijs autem Antistij Labeonis, quae in XII. tabulas composuit, ita scriptum est: Virgo Vestalis neque haeres est cuiquã intestato, neque intestatae quisque, sed bona eius in publicum redigi aiunt. Vestales autem publicis sumptibus alebantur, quod sacerdo-

tium

tium Romae usque ad Theodosii senioris Augusti tempora perdurauit. Ipse enim quum Christianae pietatis cultum ardentissime amplexus esset, gentiliumque antiquae superstitioni prae omnibus Romanis imperatoribus aduersaretur, eas tollendas censuit. Quae res hac ratione trāsacta est. Victo & occiso Maximo tyranno, qui Gratianum imperatorem per insidias apud Lugdunum interfecerat, quum Romam uenisset, triumphum de tyranno acturus imperator Theodosius Augustus, postquam triumphum egisset, filiumque suum Honorium imperatorem creasset, Romano suasit senatui, qui religionem ueterem retinere studebat, ut decepti, & inducti in errores gentium, resipiscere, & Christianam religionem in qua omnium scelerum abolitio donaretur amplecti uellent. Sed nemo motus omni oratione illius dicitur, quod negarent, se facere posse, ut maiorum suorum instituta & tradita, nouitijs Christianorum inuentis postponerent, quum illorum custodia urbs incolumis prope mille & ducentos annos conseruata fuisset, quibus si alia potiora duxissent, ignorare se quae sit fortuna consequutura; institit tum Pius princeps, & rempublicam sumptibus sacrorum grauari dixit, quos quum senatus tueri non posset uirginum Vestalium ante omnes, pontificum, augurum, XV uirum sacris faciundis, fetialium, saliorum, VII. uirum epulonum, & aliorum sacerdotum redditus publicos priuatosque uno edicto substulit, quare paulatim Christiana religione crescente, gentilium superstitiones aboleri, & antiquari coeptae sunt, quum sumptus quibus sacerdotes ali ac nutriri possent, amplius eis ab ullo suppeditarentur. Quo tempore senatus auctoritas admodum diminuta est. Legationem postremo pro antiquis cærimonijs et praesertim uirginibus Vestalibus restituendis, Q. Aurelius Symmachus V.C. praefectus urbi ad impp. Theodosium & Valentinianum Iuniorem suscepit, a quibus

bus, quum eiusdem postulata suscepta non fuissent, nihil eorum quae petierat obtinere potuit, Diuino Ambrosio Mediolanensi episcopo soluta oratione, & Aurelio Prudentio, heroicis uersibus acriter reclamantibus, eiusq; rationes singularis ingenij, et eruditionis plenis orationibus refellẽtibus. Porro aũt tam Symmachi relationem, quam Diui Ambrosij responsionem hoc loco adijcere placuit, tum quod ob rerum quibus refertae sunt copiam, his commentarijs intelligẽdis maximo usui erunt, tum ut quibus rationibus uana gentilitas ritus suos defendere solebat cognoscatur: quibusq; rõnibus diuinus ille Ambrosius tela in nos a Symmacho iacta in eũ ipsum retorserit. Fuit uero is Symmachus senatorij ordinis, & quod tum eximium habebatur in ipsis senatoribus, sicut & apud eorum maiores, caerimoniarum ueterum pontifex, item augur, & XV. Vir sacris faciundis, ut ex eius statuae elogio intelligi potest, & ideo parum aequus Christianis, ut sunt ingenia propensa ad priuatum commodum, apud quos si potuisset eundem dignitatis locum tueri, fortasse sensisset aliter, quo factum est, ut contradictores, & ut ita loquar antagonistas habuerit insignes aliquot e nostris, in queis ut dixi Prudentiũ, & D. Ambrosium, cum quibus etiam uicto, certasse fuit honorificum, quod ipsum excusaret caussa deterior, non dilutior facundia. De qua sic scribit Prudentius

O linguam miro uerborum fonte fluentem
Romani decus eloquij, cui cedat & ipse
Tullius, has fundit diues facundia gemmas
Os dignum aeterno tinctum quod fulgat auro
Si mallet laudare deum, cui sordida monstra
Praetulit, & liquidam temerauit crimine uocem

Atque hactenus de Symmacho: nunc uero ipsum pro ueteri superstitione disserentem audiamus

DDD. NNN. VALENTINIANO. THEODOSIO ET. ARCADIO. AVGVSTIS. SYMMACHVS. V. C PRAEFECTVS. VRBI

VBi primum ſenatus ampliſsimus ſemperque ueſter, ſubiecta legibus uitia cognouit, & a principibus pijs uidit purgari famam proximorum temporum, boni ſaeculi auctoritatem ſecutus, euomuit diu preſſum dolorem, atque iterum me querelarum ſuarum iuſsit eſſe legatum. Cui ideo diui principis denegata eſt ab improbis audientia, quia nõ erat iuſtitia defutura, DD. Imperatores Valentiniane, Theodoſi, & Arcadi inclyti uictores & triumphatores ſemper Augg. Gemino igitur functus officio, & ut praefectus ueſter geſta publica proſequor, & ut legatus ciuium mandata commendo. Nulla eſt hic diſsenſio uoluntatum, quia iam credere homines deſierunt aulicorum ſe ſtudio praeſtare, ſi diſcrepent. Amari, coli, diligi: maius imperio eſt. Quis ferat, obfuiſse reipub. priuata certamina? Merito illos ſenatus inſequitur, qui potentiam ſuam famae principis praetulerunt. Noſter autem labor, pro clementia ueſtra ducit excubias. Cui enim magis commodat quod inſtituta maiorum, quod patriae iura & fata defendimus, quam temporum gloriae? quae tum eſt maior, cum uobis contra morem parentum intelligitis nil licere. Repetimus igitur religionum ſtatum, qui reip. diu profuit. Certe numerentur principes utriuſque ſectae, utriuſque ſententiae: proximus eorum caerimonias patrum coluit, recentior non remouit. Si exemplum non facit religio ueterum, faciat diſsimulatio proximorum. Quis ita familiaris eſt barbaris, ut aram uictoriae non requirat? Cauti in poſterum ſumus, & talium rerum oſtenta uitamus. Reddatur tamen ſal-

ſaltem nomini honor, qui numini denegatus eſt. Multa uicto riae debet aeternitas ueſtra, & adhuc plura debebit. Auerſentur hanc poteſtatem, quibus nihil profuit, uos amicum triumphis patrocinium nolite deſerere. Cunctis potentia iſta uotiua eſt. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam. Quod ſi huius numinis non eſſet iuſta uſitatio, ornamentis ſaltem curiae decuit abſtineri. Praeſtate oro uos, ut ea quae pueri ſuſcepimus, ſenes poſteris relinquamus. Conſuetudinis amor magnus eſt. Merito diui Conſtantij factum diu non ſtetit. Omnia uobis exempla uitanda ſunt, quae mox remota didiciſtis. Aeternitatem curamus famae & nominis ueſtri, ne quid futura aetas inueniat corrigendum. Vbi in leges ueſtras & uerba iurabimus? qua religione mens falſa terrebitur, ne in teſtimonijs mentiatur? Omnia quidem deo plena ſunt, nec ullus perfidis tutus eſt locus. Sed plurimum ualet ad metum delinquendi, etiam praeſentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem conuenit ſingulorum, neque aliud magis auctoritatem facit ſententijs noſtris, quam quod omnia quaſi iuratus ordo decernit. Patebit ergo ſedes prophana periurijs, & hic inclyti principes mei probabile iudicabunt, qui ſacramento publico tuti ſunt? Sed diuus Conſtantinus idem feciſſe dicitur. Cetera potius illius principis aemulemur, qui nihil tale eſſet aggreßus, ſiquis ante ſe alius deuiaſſet. Corrigit enim ſequentem lapſus prioris, & de reprehenſione antecedentis exempli naſcitur emendatio. Fas fuit, ut parens ille clementiae ueſtrae, in re adhuc noua non caueret inuidiam. Num poteſt etiam nobis eadem defenſio conuenire, ſi imitemur quod animus improbat? Accipiat aeternitas ueſtra alia eiuſdem principis facta, quae in uſum dignius trahat. Nil ille decerpſit ſacrarum uirginum priuilegijs, decreuit nobilibus ſacerdotia, Romanis caerimonijs nõ negauit

impen-

impensas, & per omnes uias aeternae urbis laetum secutus senatum, uidit placido ore delubra, legit inscripta fastigijs deum nomina, percontatus est templorum origines, miratus est conditores. Cumque alias religiones ipse sequeretur, has seruauit imperio. Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes urbibus cunctis mens diuina distribuit. Vt animae nascentibus, ita populis fatales genij diuiduntur. Accedit utilitas, quae maxime homini deos asserit. Nam cum ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentiis rerum secundarum, cognitio uenit numinum? Iam si longa aetas auctoritatem religionis faciat, seruanda est tot saeculis fides, et sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assistere, atque his uobiscum agere sermonibus. Optimi principes, patres patriae, reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar caeremonijs auitis. Neque enim poenitet. Viuam more meo, quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit, haec sacra Hannibalem a moenibus, à Capitolio Senonas repulerũt. Ad hoc ergo seruata sum, ut longaeua reprehendar? Video quale sit quod instituendum putatur. Sera tamen & contumeliosa est emendatio senectutis. Ergo dijs patrijs, dijs indigetib. pacem rogamus. Aequum est, quicquid omnes colunt unum putari. Eadem spectamus astra, commune caelum est, idem mundus inuoluit. Quid intersit, qua quisque prudentia uerum inquirat? Vno itinere non potest perueniri ad tam grande secretum. Sed haec ociosorum disputatio est. Nunc preces, non certamina offerimus. Quanto commodo sacri aerarij uestri, Vestalium uirginum praerogatiua detracta est: sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi praestiterunt. Honor solus est in illo uelut stipendio castitatis. Vt uittae earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur sacrifi-
cij

cij, uacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate a dispendio tutae sunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. Siquidem saluti publicae dicata uirginitas, crescit merito cum caret praemio. Absint ab aerarij uestri puritate ista compendia. Fiscus bonorum principum, non sacerdotum damnis, sed hostium spolijs augeatur. Vllum ne lucrum compensat inuidia? Atqui auaricia in uestros mores non cadit. Hoc miseriores sunt, quibus subsidia uetera decerpta sunt. Etenim sub Imperatoribus qui alieno abstinent, qui resistũt cupiditati, ad solam detrahitur amittentis iniuriam, quod desiderium non mouet auferentis. Agros etiam uirginibus et ministris deficientium uoluntate legatos, fiscus retentat. Oro uos iustitiae sacerdotes, ut urbis uestrae sacris reddatur priuata successio. Dictent testamenta securi, & sciant sub principibus non auaris stabile esse quod scripserunt. Delectet uos ista felicitas generis humani. Coepit caussae huius exemplum sollicitare morientes. Ergo Romanae religiones ad Romana iura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus fecit caducas? Capiunt legata liberti, seruis testamentorum iusta commoda non negantur. Tãtum nobiles uirgines, & fatalium sacrorum ministri, excluduntur praedijs haereditate quaesitis. Quid iuuat, saluti publicae castum corpus dicare, & imperij aeternitatem coelestibus fulcire praesidijs, armis uestris, aquilis uestris, amicas applicare uirtutes, pro omnibus efficacia uota suscipere, & ius cum omnibus non habere? Ita ne melior est seruitus quae hominibus impenditur? Remp. laedimus, cui nunquam expedit ut ingrata sit. Nemo me putet solam caussam religionum tueri. Ex huiusmodi facinoribus, orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Vestales uir

gines

gines ac ministros deorum, uictu modico iustisque priuilegijs. Stetit muneri huius integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem uilium baiulorum sacrae castitatis alimenta uerterunt. Secuta est hoc factum fames publica, & spem prouinciarum omnium meßis aegra decepit. Non sunt haec uitia terrarum. Nihil imputamus astris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec auena fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certe si est huius mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem uicibus annorũ. Grauis hanc sterilitatem aura contraxit. Siluestribus arbustis uita producitur, & rursus ad Dodonaeas arbores plebis rusticae inopia conuolauit. Quid tale prouinciae pertulerunt, quum religionum ministros honor publicus pasceret? Quando in usus hominum concußa quercus? quando uulsae sunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deseruit foecunditas mutua, quum populo & uirginibus sacris cõmunis esset annona? Cõmẽdabat enim terrarum prouentus uictus antistitum, & remedium magis quam largitas erat. An dubium est, semper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium uendicauit? Dicet aliquis, sumptum publicum denegatum alienae religionis impendijs. Absit a bonis principibus ista sententia, ut quod de communi quibusdam tributum est, in iure fisci esse uideatur. Nã cum resp. de singulis constet, quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis, si suum cuique seruatis, plusque apud uos iustitia quam licentia ualet. Consulite certe munificentiam uestram, an haec publica uelit existimari, quae in alios transtulistis. Semel honori urbis delata compendia, desinunt esse tribuentium, & quod a principio beneficium fuit; usu atque aetate fit debitum. Inanem igitur metum diuino animo uestro tentat incutere, si quis aßerit con-

scien-

ſcientiam uos habere praebentium, niſi detrahentium ſubieritis inuidiam. Faueant clementiae ueſtrae ſectarum omnium arcana praeſidia, & haec maxime, quae maiores ueſtros aliquando iuuerunt, uos defendant, a nobis colantur. Eum religionum ſtatum petimus, qui diuo parenti culminis ueſtri ſeruauit imperium, qui fortunato principi legitimos ſuffecit heredes. Spectat ſenior ille diuus ex arce ſiderea lacrimas ſacerdotum, & ſe culpatum putat, more uiolato quem libenter ipſe ſeruauit. Praeſtate etiam diuo fratri ueſtro alieni conſilij correctionem, tegite factum, quod ſenatui diſplicuiſſe neſciuit. Siquidem conſtat ideo excluſam legationem, ne ad eum iudicium publicum perueniret. Pro aeſtimatione eſt temporum ſuperiorum, ut non dubitetis abolere, quod probandum eſt principis non fuiſſe

Nunc uero diuinum Ambroſium futilibus eius inanibuſque rationibus reſpondentem attente auſcultemus

AMBROSIVS . EPISCOPVS . BEATISSIMO PRINCIPI.ET.CHRISTIANISSIMO.IMP VALENTINIANO.AVGVSTO

QVum omnes homines qui ſub ditione Romana ſunt, uobis militent imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipſi uos omnipotenti deo & ſacrae fidei militatis. Aliter enim ſalus tuta eſſe non poterit, niſi unuſquiſque deum uerum, hoc eſt deum Chriſtianorum, a quo cuncta reguntur, ueraciter colat. Ipſe enim ſolus uerus eſt deus, qui intima mente ueneretur. Dij enim gentium daemonia, ſicut ſcriptura dicit. Huic igitur deo uero quiſquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non diſsimulationem, non conniuentiam, ſed fidei ſtudium & deuotionis impendit. Poſtremo ſi

non ista, consensum saltem aliquem non debet colendis idolis et prophanis caerimoniarum cultibus exhibere. Nemo enim deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt. Ergo cum a te imperator Christianissime fides deo uero sit exhibenda, cum ipsius fidei studium cautio atque deuotio, miror quomodo aliquibus in spem uenerit, quod debeas aras dijs gentium tuo instaurare praecepto, ad usus quoq; sacrificiorū prophanorum praebere sumptum. Quod enim iamdudum uel fisco uel arcae est uendicatum, de tuo magis conferre uidebere, quam de suo reddere. Et de dispendijs queruntur, qui nunquam nostro sanguini pepercerunt, qui ipsa ecclesiarum aedificia subruerunt. Petunt etiam ut illis priuilegia deferas, qui loquēdi & docendi nostris communem usum, Iuliani lege proxima denegarunt, & priuilegia illa quibus saepe decepti sunt etiam Christiani. Nonnullos enim illis priuilegijs partim per imprudentiam, partim propter publicarum necessitatum molestias declinandas, irretire uoluerunt: & quia non omnes fortes inueniūtur, etiam sub principibus Christianis plerique sunt lapsi. Sed haec si iam sublata non essent, auferenda tuo imperio comprobarem. At cum per totum fere orbem a pluribus retro principibus inhibita interdictaque sint, Romae autem a fratre clementiae tuae augustae memoriae Gratiano fidei uerae ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis, ne quaeso uel fideliter statuta cōuellas, uel fraterna praecepta rescindas. De negotijs ciuilibus si quid statuitur, nemo putat esse temerandum: & praeceptum de religione calcatur? Nullus obrepat iuniori aetati tuae, siue ille gentilis est qui ista deposcit, non debet mentem tuam uinculis suae superstitionis innectere, sed proprio studio docere & admonere te debet quemadmodum uerae fidei studere debeas, quando ille tanto motu ueri uana defendit. Deferendum meritis clarorum uirorum

rum & ego suadeo : sed deum certum est omnibus praefe-rendum. Si de re militari est consulendum, debet exer-citati in praelijs uiri expectari sententia, consilium com-probari. Quando de religione tractatus est, deum cogi-ta. Nullius iniuria est, cui deus omnipotens antefertur. Ha-bet ille sententiam suam. Inuitum non cogitis colere quod nolit, hoc idem uobis liceat imperator: & unusquisque patienter fe-rat, si non extorqueatur imperatori, quod moleste ferret si ei extorquere cuperet imperator. Ipsis gentilibus displicere con-sueuit praeuaricantis affectus. Libere enim debet defendere u-nusquisque fidele mentis suae & seruare propositum. Quòd si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, men tem tuam uocabula nuda non capiant, nomina cassa non fal-lant. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit. Tolerabilius tamen est unius sacrificium, quàm lapsus omniũ. Totus hic Christianorum periclitatur senatus. Si hodie genti-lis aliquis imperator, quod absit, aram statueret simulachris, & eò conuenire cogeret Christianos, ut sacrificantibus inte-ressent, ut oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, fa-uilla de sacrilegio, fumus ex busto, & in ea curia sententiam diceret, ubi iurati ad aram simulachri in sententiam cogeren-tur: propterea enim interpretantur aram locatam, ut eius sa-cramento, ut ipsi putant, unusquisque conuentus consuleret in medium: cum curia maiore iam Christianorum numero sit re-ferta, persecutionem esse crederet Christianus, qui cogeretur tali optione ad senatum uenire: quod fit plerunque, nam etiam iniurijs conuenire coguntur. Te ergo imperatore Christiani in aram iurare cogentur? Quid est iurare, nisi eius quem testare fidei tuae praesulem, diuinam potentiam confiteri? Te imperato re hoc petitur & postulatur, ut aram iubeas eleuari, sumptum sacrificijs prophanis dari. Sed hoc non potest sine sacrilegio

decerni. Vnde rogo te, ne id decernas, ſtatuas, uel in eiuſmodi decreta ſubſcribas. Conuenio fidem tuam Chriſti ſacerdos. Omnes conueniremus epiſcopi, niſi incredibile hoc & repentinum ad aures perueniſſent hominum, quòd tale aliquid eſſet uel in conſiſtorio ſuggeſtum tuo, uel à ſenatu petitum: ſed abſit ut hoc ſenatus petiſſe dicatur. Pauci gentiles communi utuntur nomine. Nam & ante biennium fermè cum hoc petere tentarent, miſit ad me ſanctus Damaſus Romanae eccleſiae ſacerdos, iudicio dei electus, libellum quem Chriſtiani ſenatores dederunt, et quidem innumeri, poſtulantes nihil ſe tale mandaſſe, non congruere gentilium iſtiuſmodi petitionibus, non praebere conſenſum. Queſti etiam publice priuatimque, ſe non conuenturos ad curiam, ſi tale aliquid decerneretur. Dignum eſt temporibus ueſtris, hoc eſt Chriſtianis temporibus, ut dignitas Chriſtianis ſenatoribus abrogetur, quo gentilibus ſenatoribus prophanae deferatur uoluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri clementiae ueſtrae direxi. Vnde conſtitit, non ſenatum aliquid de ſuperſtitionis impenſis mandaſſe legatis. Sed fortaſſe dicatur: Cur dudum non interfuerunt ſenatui; cum iſta peterentur? Satis loquuntur quid uelint, qui non interfuerunt: ſatis locuti ſunt, qui apud imperatorẽ locuti ſunt. Et miramur tñ ſi priuatis reſiſtẽdi Romae eripiũt libertatẽ, qui nolunt eſſe liberũ tibi non iubere quod nõ ꝓbas, nõ ſeruare quod nõ ſentis. Et ideo memor legationis proxime mandatae mihi, cõuenio iterum fidem tuam, conuenio mentem tuam, ne uel reſpondendum ſecundum huiuſmodi petitionem gentilium cenſeas, uel in eiuſmodi reſponſa ſacrilegium ſubſcriptionis adiungas. Certe refer ad parentem pietatis tuae principem Theodoſium, quem ſuper omnibus fere maioribus cauſſis conſulere conſueſti. Nihil maius eſt religione, nihil ſublimius fide. Si ciuilis cauſſa eſſet, diuerſae parti reſponſio ſeruaretur: cauſſa religionis eſt, epi-

episcopus cõuenio. Detur mihi exẽplũ mißae relationis, ut et ego plenius rñdeam, & sic de omnibus cõsultus clemẽtiae tuæ pares rñdere dignetur. Certe si aliud statuitur, episcopi hoc aequo aĩo pati et dißimulare nõ possumus: licebit tibi ad ecclesiã conuenire, sed illic nõ inuenies sacerdotẽ, aut inuenies resistẽtem. Quid respõdebis sacerdoti dicẽti tibi: Munera tua nõ q̃rit ecclesia, quia templa gentilium muneribus adornasti. Ara Christi dona tua respuit, quoniã aram simulachris fecisti. Vox enim tua, manus tua, & subscriptio tua, opus est tuũ. Obsequium tuum dominus Iesus recusat & respuit, quoniam idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: Non potestis duobus dominis seruire. Priuilegia tua sacratae deo uirgines non habent: & uendicant uirgines Vestae? Cur sacerdotes dei requiris, quibus petitiones prophanas gentilium praetulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respondebis his uerbis, puerum esse te lapsum? Omnis aetas perfecta Christo est. Omnis deo plena puericia fidei comprobatur. Paruuli etiam Christum intrepido aduersus persecutores ore confeßi sunt. Quid respondebis germano tuo? Nonne tibi dicet, uictum me esse non credidi, quia te imperatorem reliqui: mori non dolui quia te heredem habebam, imperio me decedere non ingemui, quia imperia mea, praesertim de religione diuina, omnibus saeculis mansura credebam. Hos ego titulos piae uirtutis erexeram, has de saeculo manubias, haec spolia de diabolo, has ego de aduersario omnium exuuias offerebam, in quibus aeterna uictoria est. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Abrogasti decreta mea, quod adhuc ille qui contra me leuauit arma, non fecit. Nunc grauius telum corpore recipio, quod a fratre mea statuta damnantur, meliore parte mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, ista uirtutis est. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod est grauius, abrogatur a

tuis, abrogatur a meis: & id abrogatur, quod in me etiam mei aduersarij prædicarunt. Si uolens acquieuisti, damnasti fidem meam: si inuitus cessisti, prodidisti tuam. Ergo quod grauius est, & in te periclitor. Quid respondebis etiam patri, qui te maiore dolore conueniet dicens: De me fili pessime iudicasti, qui putasti quod ego gentilibus conniuentiam praestitissem. Nemo ad me detulit, aram esse in illa Romana curia: nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Christianorum gentiliũque consilio sacrificarent gentiles praesentibus Christianis, & inuiti Christiani interesse sacrificiis cogerentur. Multa & diuersa crimina me imperante commissa sunt, ultus sum quaecunque sunt deprehensa, si quis tunc latuit, debet ergo dicere, me probasse quod ad me nemo detulerat? De me pessime iudicasti, si mihi superstitio aliena, non fides mea seruauit imperium. Vnde cum aduertas imperator, deo primum, deinde patri & fratri iniurias irrogari siquid tale decernas, peto ut id facias quod saluti tuae apud deum intelligis profuturum

AMBROSIVS. EPISCOPVS. BEATISSIMO PRINCIPI. ET. CLEMENTISSIMO. IMP VALENTINIANO. AVGVSTO

Cum uir clarissimus praefectus urbis Symmachus ad clementiam tuam rettulisset, ut ara quae de urbis Romae curia sublata fuerat, redderetur loco, & tu imperator licet adhuc in minoris aeui tyrocinio florẽtibus nouus annis, fidei tamen uirtute ueteranus obsecrata gentilium non probares, eodem quo comperi puncto libellum obtuli, quo licet comprehenderim quae suggestioni necessaria uiderentur, poposci tamen exemplum mihi relationis dari. Itaque non fidei tuae ambiguus, sed prouidus cautionis & pij certus examinis,

nis, hoc sermone relationis assertioni respondeo, hoc unum petens, ut non uerborum elegantiam, sed uim rerum spectandam putes. Aurea.n.(sicut scriptura diuina docet) est lingua sapientium litteratorum, quae phaleratis dotata sermonibus, et quodam splendentis eloquij, uelut coloris preciosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, uisuque perstringit. Sed aurum si diligentius manu tractes, foris precium, intus metallum est. Volue quaeso atque excute sectam gentiliũ, preciosa & grandia sonant, ueri effoeta defendunt. Deum loquuntur, simulachrum adorant. Tria igitur in relatione sua Vir clarissimus praefectus urbis proposuit, quae ualida putauit. Quòd Roma ueteres, ut ait, suos cultus requirat. Et quòd sacerdotibus suis, uirginibusque Vestalibus emolumenta tribuenda sint. Et quòd emolumentis sacerdotum negatis fames secuta publica sit. In prima propositione, flebili Roma questu sermonis illachrymat, ueteres, ut ait, cultus caerimoniarum requirens. Haec sacra, inquit, Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum sacrorum potentia praedicatur, infirmitas proditur. Ergo Hannibal diu sacris insultauit Romanis, & dijs contra se dimicantibus usque ad muros urbis uincendo peruenit. Cur se obsideri passi sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant? Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolij secreta penetrantes Romanae reliquiae non tulissent, nisi eos pauido anser strepitu prodidisset? En quales tẽpla Romana praesules habent. Vbi tunc erat Iupiter? An in ansere loquebatur? Verum quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Hannibal eosdem deos colebat. Vtrum uolunt igitur eligant. Si in Romanis uicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt: si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt. Facessat igitur inuidiosa illa populi Romani querela. Non haec

Roma mandauit. Alijs illa eos interpellat uocibus. Quid me caßo quotidie gregis innoxij ſangine cruentatis? Non in fibris pecudum, ſed in uiribus bellatorum trophaea uictoriae ſunt. Alijs ego diſciplinis orbem ſubegi. Militabat Camillus, qui ſublata Capitolio ſigna, caeſis Tarpeiae rupis triumphatoribus reportauit: ſtrauit uirtus, quos religio nō remouit. Quid de Atilio loquar, qui militiam etiam mortis impendit? Africanus non inter Capitolij aras, ſed inter Hannibalis acies triumphum inuenit. Quid mihi ueterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicam bimeſtres imperatores, & terminos regum cum exordijs copulatos? Aut forte illud eſt nouū, barbaros ſuis exceßiße finibus? Nunquid etiam illi Chriſtiani fuerunt, quorum miſerabili nouoque exemplo alter captiuus imperator, ſub altero captiuus orbis, feſelliſſe quae uictoriam promittebant, ſuas caerimonias prodiderunt? Nunquid & tunc non erat ara Victoriae? Poenitet lapſus, & uetuſta canicies pudendi ſanguinis traxit ruborem. Non erubeſco cum toto orbe longaeua conuerti: uerum certe eſt, quia nulla aetas ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus quae emendare ſe non poteſt. Non annorum canicies eſt laudanda, ſed morum: nullus pudor eſt ad meliora tranſire. Hoc ſolum habebam commune cum barbaris, quia deum antea neſciebam. Sacrificium ueſtrum, ritus eſt beſtiarum cruore aſpergi. Quid in mortuis pecudibus quaeritis dei uoces? Venite & diſcite in terris caeleſtem militiam. Hic uiuimus, & illic militamus. Caeli myſteriū doceat me deus ipſe qui condidit, non homo qui ſeipſum ignorauit. Cui magis de deo, quàm deo, credam? Quomodo poſſum uobis credere, qui fatemini uos ignorare quod colitis? Vno, inquit, itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum. Quod uos ignoratis, id nos dei uoce cognouimus. Et quod uos ſuſpicionibus quaeritis, nos ex ipſa ſapientia dei & ueritate

ueritatē cōpertū habemus. Nō cōgruunt igitur uestra nobiscū. Vos pacē diis uestris ab imperatorib. obsecratis, nos ipsis imperatoribus a Christo pacē rogamus. Vos manuū uestrarum adoratis opera: nos iniuriā dicimus, omne quod fieri potest, deū putari. Non uult se deus in lapidibus coli. Deniq; etiā ipsi philosophi uestri ista riserunt. Quod si uos ideo Christū deum negatis, quia illum mortuum esse nō creditis: nescitis. n. quòd mors illa carnis fuerit non diuinitatis, q̄ fecit ut credētiū iā nemo moriatur: quid uobis imprudentius, qui contumeliose colitis & honorifice derogatis? Vestrum enim deum lignum putatis: o cōtumeliosa reuerentia. Christum mori potuisse non creditis: o honorifica peruicacia. Sed uetera (inquit) reddenda sunt altaria simulachris, ornamenta delubris. Reposcantur haec a consorte superstitionis: Christianus imperator aram solius Christi didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia ministerium suis cogunt sacrilegijs exhibere? Vox imperatoris nostri Christum resultet, & illum solum quem sentit loquatur, quia cor regis in manu dei. Nunquid imperator gentilis aram Christo leuauit? Dum ea quae fuerunt reposcunt, exemplo sui admonet quantum Christiani imperatores religioni quam sequuntur debeant deferre reuerentiae, quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt. Dum cepimus, etiam sequamur. Nos sanguine gloriamur, illos dispendium mouet. Nos haec uictoriae loco ducimus, illi iniuriam putant. Nunquam nobis amplius contulerunt, quam cum uerberari Christianos atque proscribi ac necari iuberent. Praemium fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos: per iniurias, per inopiam, per supplicium nos credimus: illi caerimonias suas sine quaestu manere posse non credunt. Habeant, inquit, Vestales uirgines immunitatem suam. Dicant hoc qui nesciunt credere, quod posset esse gratuita uir

ginitas

ginitas: prouocent lucris, qui diffidunt uirtutibus. Quot tamen illis uirgines praemia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiuntur puellae, En totus numerus quem infulae uittati capitis, purpuratarum uestium murices, pompa lecticae ministrorum circunfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, praescripta denique pudicitiae tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, uideant plebem pudoris, populum integritatis, concilium uirginitatis. Non uittae capiti decus, sed ignobile uelamen, usui nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata, lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus ieiuniorum: non priuilegia, non lucra: omnia postremo talia, ut reuocari studia putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, studium prouocatur, suis castitas cumulatur dispendijs. Non est uirginitas quae precio emitur, non uirtutis studio possidetur. Non est integritas, quaecunque tanquam in auctione nummario ad tempus sollicitatur compendio. Prima castitatis uictoria, est facultatum cupiditates uincere, quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda uirginibus, quae Christianis munera reaundabunt, quod tantas opes sufficiet aerarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet ut qui totum sibi sub imperatoribus gentilibus uendicarunt, ijdem sub principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse cōmunem? Sacerdotibus quoque suis & ministris queruntur alimenta publica non praeberi. Quantus hinc uerborum tu tumultus increpuit? At contra nobis etiam priuatae successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo cōqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia dispendium non dolemus. Si priuilegium quaerat sacerdos ut onus curiale declinet, patria atque auita & omnium facultatum possessione ceden-

cedēdum est. Quomodo hanc gentiles, si haberēt, ingrauarēt q̃relam, quod sacerdos ferias ministerij sui emat totius patrimonij sui damno, & priuatus uniuersae commoditatis dispendio usum publici mercetur obsequij: praetendens communis salutis excubias, domesticae inopiae se mercede solatur, quia ministerium non uendidit, sed gratiam comparauit. Conferte causas. Vos excusare uultis decurionem, cum ecclesiae excusare non liceat sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus ultimae conditionis nullus prodigus uerecundiae: soli ex omnibus clerico commune ius clauditur, à quo solo pro omnibus uotum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata uel grauium uiduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta praescribitur. Quod sacerdotibus phani legauerit Christiana uidua, ualet: quod ministris dei, non ualet. Quod ego non querar, sed ut sciant quid nõ querar, comprehendi. Malo enim nos pecunia minores esse quàm gratia. Sed referunt ea quae uel donata uel relicta sunt ecclesiae, non esse temerata. Dicant & ipsi, quis templis dona detraxerit, quod factum est Christianis. Quae si facta essent gentilibus, redderetur potius quàm inferretur iniuria. Nũccine demũ iusticia praetenditur, aequitas postulatur? Vbi tunc erat ista sententia, cum direptis Christianorum omnium facultatibus, ipsos uitales anhelitus spiritus inuiderent, & nullis usquam negata defunctis inhiberent supremæ commercia sepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei ista uictoria est, quod et ipsi iam facta maiorum carpunt suorum, sed quae melioratio, ut eorum munera petant, quorum gesta condemnant? Nemo tamẽ donaria delubris, & legata haruspicibus denegauit, sola sublata sunt praedia, quia non religiose utebantur ijs quae religionis iure defenderent. Qui nostro utuntur

tur exemplo, cur non utebantur officio? Nihil ecclesia sibi nisi fidem poßidet. Hos reditus praebet, hos fructus. Posseßio ecclesiae, sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captiuos, quae contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus uiuendi subsidia ministrauerint. Praedia igitur intercepta, non iura sunt. En quod factum, quod triste piare nefas, fames, ut aiunt, publica uindicauit: quia usui omnium proficere coepit, quod proficiebat commodis sacerdotum. Propterea ergo detractis, ut aiunt, arbusta exuta corticibus succo miserabili deficientium ora lambebant. Propterea chaonia frugem glande mutantes, rursus in pecudum pastus, & ad infelicis uictus alimenta reuocati, concussa quercu famem in siluis miseram solabantur. Noua uidelicet prodigia terrarum quae nunquam antè acciderant, cum superstitio gentilis toto orbe ferueret. Reuera quando ante uacuis auenis seges fallax, auari uota lusit agricolae, & spem rusticae plebis quaesita sulcis frugis herba destituit. Et unde Graecis oracula habita suae quercus, nisi quia remedium siluestris alimoniae, caelestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt deorum. Quis Dodonaeas arbores nisi gentium populus adorauit, cum pabulum triste sacri nemoris honore donaret? Non est uerißimile, quod indignantes eorum dij id pro poena intulerũt quod solebant placati conferre pro munere. Quae autem aequitas, ut paucis sacerdotibus dolentes uictum negatum, ipsi omnibus denegarent, cum inclementior esset uindicta quam culpa. Non est igitur idonea quae tantam aegritudinem mundi fallentis caußa cõstrinxerit, ut uirentibus segetibus subita spes anni adulta moreretur. Et certe ante plurimos annos templorum iura toto orbe sublata sunt. Modo ne demum dijs gentilium uenit in mentem suas iniurias ultum iri? Propterea nec assueto cursu Nilus intumuit, ut urbicorum sacerdotum dispen-

spēdia uindicāret, qui nō uindicauit suorū? Esto tñ si superiore anno deorū suorū iniurias uindicatas putāt, cur praesenti anno contemptui fuere? Iam.n.nec herbarū uulsis radicib.rusticana plebs pascitur, nec baccae siluestris explorat solatia, nec cibū de sentib.rapit, sed operū laeta feliciū dū messes suas & ipsa miratur, expleuit uoti satietate ieiunium, usurarios nobis red didit terra prouentus. Quis ergo tam nouus humanis usibus, ut uices stupeat annorum? & tamen etiam superiore anno plerasque nouimus prouincias redundasse frugibus, De Gal lijs quid loquar solito ditioribus? Frumentum Pannoniae quod non seuerant uendiderunt. Et foecunda Rhetia fertilitatis suae nouit inuidiam. Nam quae solebat tutior esse ieiunio, foecunditate hostem in se excitauit. Liguriam Venetiasque autumni frumenta pauerunt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, & iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quòd largo foetu uincae redundauerint. Itaque & messem foeneratam recepimus, & liberalioris uindemiae beneficia possidemus. Postremus superest & maximus locus, utrum ea quae uobis profuerint imperatores, restituere subsidia debeatis. Ait anim, suos defendant, a nobis colantur. Hoc est fidelissimi principes quod ferre non possumus, quia exprobrant nobis uestro se nomine dijs suis supplicare, & uobis non mandantibus sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant praesidia sua, suos si possunt, illa defendant. Nam si ijs a quibus coluntur, auxilio esse non possunt, quomodo possunt uos defendere, a quibus non coluntur? Sed maiorum, inquit, seruādus est ritus. Quid quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse qui uel primum coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe cō creuerat, uel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nonne postea distincto caeli, maris, terrarumque discrimi-

ne rerum formas quibus speciosus uidetur, accepit? Exutae humentibus tenebris nouum terrae stupuere solem, dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat & caloris exaestuat. Luna ipsa quae propheticis oraculis species ecclesiae figuratur, cum primum resurgens in menstruas reparatur aetates, tenebris noctis absconditur, paulatimque cornua sua complens uel è regione solis absoluens, clari splendoris fulgore irrutilat. Exerceri in fructus terrae ante nesciebant, post ubi imperare aruis sollicitus coepit agricola & informe solum uestire uinetis, siluestres animos domesticis mollitae cultibus exuerunt. Anni ipsius aetas prima quae nos usu parili colorauit, nutu gignentium sed in processu lapsuris floribus uernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoque aeui rudes sensus habemus infantiae, sed mutati in annos ingenij rudimenta deponimus. Dicant igitur, in suis omnia manere debuisse principijs, mundum tenebris obductum quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse quam corporis, fideique iubar emicuisse quam solis? Ergo & mundi sicut omnium rerum, primaeua uiam mutarũt, ut uenerabilis canae fidei sequeretur senectus. Quos hoc mouet, reprehendant messem, quia sera faecunditas est: reprehendant uindemiam, quia in occasu anni est: reprehendant oliuã, quia postremus est fructus. Ergo & meßis nostra fides animarum est, ecclesiae gratia meritorum, uindemia est, quae ab ortu mundi uirebat in sanctis, sed postrema aetate se diffudit in populos, ut aduerterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi. Nulla enim sine aduersario corona uictoriae: sed explosa ea opinione quae ante conualuit, id quod erat uerum iure praelatum. Si ritus ueteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma succeßit? Omitto absconditam precio humum, & pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid (ut de ipso

so

so respondeam quod queruntur) captarum simulachra urbium uictosque deos, & peregrinos ritus sacrorum, alienae superstitiones aemuli receperunt? Vnde igitur exemplum quod currus suos simulato Almonis in flumine lauat Cybele? Vnde Phrygij uates, et semper inuisa Romanis non aeque Carthaginis numina? quam caelestem Afri, Mithram Persae, pleriq; Venerem colunt, pro diuersitate nominis non pro numinis uarietate. Sic deam eße, & Victoriam crediderunt, quae utique munus est non potestas, donatur non dominatur, legionum gratia non religionum potentia. Magna igitur dea quam militum multitudo sibi uendicat, uel praeliorum donat euētus. Huius arā strui in urbis Romae curia petunt, hoc est, quo plures conueniunt Christiani. Omnibus in templis arae, ara etiam in templo Victoriarum, quando numero delectantur sacrificia sua ubique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei, unius arae sacrificium uendicare? Ferendum ne istud, ut gentilis sacrificet, & Christianus intersit? Hauriant omnes, inquit, hauriant uel inuiti fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, & auersantium licet ora excitata focis nostris fauilla respergat. Non illis satis sunt lauacra, non porticus, non plateae occupatae simulachris. Etiam ne in communi illo consilio non erit communis conditio? Obstringetur pia senatus portio obtestantium uocibus adiurantium sacramentis? Si refutet uidebitur mendacium prodere: si acquiescat, sacrilegium confiteri. Vbi, inquit, in leges uestras & uerba iurabimus? Ergo mensuram quae legibus tenetur inclusa, caerimonijs gentium suffragium colligit, fidem stringit, iam non solum praesentium sed absentium etiam? Et quod est amplius, imperatores fides uestra pulsatur? Vos enim cogitis si iubetis. Constantius Augustae memoriae nondum sacris initiatus mysterijs contaminari se putauit, si aram illam uideret.

deret. Iußit auferri, non iußit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc praecepti non habet. Nemo sibi de absentia blãdiatur, praesentior est qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. Plus enim est mente connecti, quam corpore copulari. Vos senatus cogendi consilij praesules habet, uobis coit, uobis conscientiam suam non dijs gentium praestat, uos liberis suis non tamen fidei suae praefert. Haec est charitas expetenda, haec est charitas maior imperio, si fides tuta sit quae seruat imperium. Sed fortaße aliquem moueat, ita fidelißimũ principem destitutum, proinde quasi meritorum precium caducis aestimetur praesentium. Quis enim sapiens non in orbe quodã atque circuitu locata humanarum rerum nouit negocia, quia non eosdem semper successus habent, sed uariant status, & mutant uices? Quem beatiorem Cn. Pompeio Romana templa miserunt? At is cum tribus triumphis terrarum cinxisset orbem, pulsus acie, bello profugus, & sui terminis exul imperij, Canopei manu spadonis occubuit. Quem nobiliorem Cyro Persarum totius Orientis terrae regem dederunt? Is quoque cum principes potentißimos aduersantes uicisset, uictos reseruasset, muliebribus armis fusus interijt. Et ille rex qui superatos etiam consessus honore donauerat, execto capite & intra utrẽ plenum cruoris satiari iußus incluso, foemineis imperijs ludibrio fuit. Adeo in istius uitae curriculo non paria paribus, sed longe diuersa referuntur. Quem etiam magis sacrificijs deditum: quàm Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? qui cum toto proelij tempore inter acies positus dimicantes sacrificium faceret, ubi partem suorum uictam eße cognouit, in ipsos quos adolebat se praecepitauit ignes, ut eos uel cruore suo restingueret, quos sibi nihil profuiße cognouerat. Nam de Iuliano quid loquar, qui cum responsis baruspicum male credulus eßet, ademit sibi subsidia reuertendi. Ergo in communi casu non

non est communis offensa. Neminem etenim promissa nostra luserunt. Respondi lacessentibus tanquam non lacessitus. Refellendae etenim relationis, non exponendae superstitionis mihi studium fuit. Te tamen imperator, ipsa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cũ de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus caerimonias patrum coluit, recentior non remouit, addidisset etiam si exemplum religio ueterũ nõ facit, faciat dißimulatio proximorum: euidenter docuit quod & fidei tuae debeas, ut gentilitij ritus non sequaris exemplum, & pietati ut fratris statuta non uioles. Si enim pro suis duntaxat partibus eorum dißimulationem principum praedicarunt, qui cum essent Christiani, decreta tamen gentilũ minime remouerunt: quanto magis amori debent deferre fraterno ut qui dißimulare deberes, etiam si quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, & nunc teneas quod et fidei tuæ et germanitatis neceßitudini iudicas cõuenire

De Palladio

Atque haec sunt quae de uirginib. Vestalibus apud ueteres auctores extare didicerim. Verũ anteq̃ ad reliqua sacerdotia explicãda deueniã, quũ paulo ãte Palladij mẽtionẽ fecerim, haud ab re fore existimo, si paucis q̃d Palladiũ fuerit explicabo, p̃sertim quum id ab auctoribus negligatur. Palladium igitur erat Palladis simulachrum, quod uana anti quorum superstitio poeticis fabulis edocta, olim e caelo lapsum fuisse, Dardanique manibus exceptum credidit. Scutum id fuisse quidam existimauerunt, ut Romae ancilia: aliter Diodorus, atque Dio sentiunt, qui Palladium signũ fuisse ligneũ tricubitale caelo lapsum in Peßinunte urbe Phrygiae, dextera tenens hastam, laeua colum & fusum, & ad eum locum boue duce deuenisse, ubi Dardanus erat, qui dum urbem Ilium condidißet, deos rogauit ut aliquot signum darent temporis nouae urbis, statimque apparuisse Palladium, a quo quum exceptum eßet,

Apollinis oraculo admonitus est, tam diu mansuram urbem do nec in ea Palladium conseruaretur. Alij ut M. Varro, Dionysius, Ouidius, Plutarchus, & Seruius, ex quibus haec excerpsi, dicunt: Chrysam Pallantis filiam, quum in Arcadia Dardano nupsisset pro dote secum attulisse Palladium, et magnorum deorum simulachra, scilicet Penates, quibus templa Dardanus in Samothracia construxit, quae postea sacra sunt in Ilium nepotum tempore transuecta, & in templo Palladis, quod in arce Troiana erat, collocata; accepto oraculo mansuram urbem quam diu intra moenia Palladium conseruaretur, quod circa intimam arcis templique partem abditum fuit, quodam altero Palladio illi simillimo efficto, quod in publico neglectius asseruabatur. Itaq; tēpore belli illius, quod cō munibus uiribus Graecia tota aduersus Troianos gessit, quum Pyrrhus ex Heleno uate Priami filio didicisset, saluo in urbe Palladio inexpugnabilem esse Troiam, idque Graecorum principes cognouissent, quum nulla spes potiundae urbis esset, nisi prius sublato Palladio, datum est negocium Vlyxi & Diomedi qui clam per cloacas in urbem ingressi, uique in custodes facta, ut Sterpsicorus, & Euphorio tradidere, Palladium Antenoris opera, quod eius uxori Theanae, Palladis sacerdoti traditum fuerat custodiendum, subripientes, ad suos reuersi sunt. Vrbemque tutellari Palladis numine spoliatam, infirmam capiuque non admodum difficilem reddiderunt. Vnde Virgil. secundo Aeneidos

. . . . caesis summae custodibus arcis
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi diuae contingere uittas

Quod tamen Palladium a Graecis captum imaginarium fuisse existimant, uerumque Palladium capta iam urbe Sicam Aeneae tradidisse cum magnis dijs, quos penates Troiani uocabant.

bant. Virgilius

. . . . et manibus uittas Vestamque potentem
Aeternumque adytis effert penetralibus ignem

Silius uero Italicus uerum quidem Palladium raptum asseruit, idque Aeneae a Diomede redditum, quod Aeneas cum omnibus alijs Troianorum sacris caerimonijsque in Italiam adduxit, Lauinique collocauit, quod deinde ab Ascanio Albam longam translatum putant, condito Vestae templo. Palladium porro ex Alba longa sub rege Tullo Hostilio, postquam eam diruisset, siue ut Varro putat ex Lauinio, Romam translatum est, atque in aede Vestae collocatum. Quid autem fuerit multis uerbis explicare Dionysius conatur, atque postremo ita concludit: Nemo tamen uidere primum illud, certaque de eo tradere potuit. Itaque in ambiguo est, an Dardanus id Iluse susceperit, fuerit ne ligneum, an aenaeum signum, aut, ut quidam tradidere, scutum; remansisse postremo Ilij, an Romam aduectum. Non defuerunt enim qui existimarunt, Aeneam relicto socijs Latinorum regno, in Phrygiam cum Palladio redijsse, quorum opinio a multis labefactata est. Frequentior enim fama est, Palladium Romae remansisse in aede Vestae locatum. Quae cum incendio flagraret, L. Caecilius Metellus pontifex maximus Palladium medio ex incendio a uirginibus fugientibus neglectum, rapuit; quare statim lumina, quod deos uisisse crederetur, amisit. Ob quod factum magni sunt postea illi honores habiti, quod sub recentem primam Punicam pacem factum est. Quo tempore Palladium primo uisum fuisse constat. Porro autem sub Commodo Marci filio imperatore, quum Vestae templum iterum conflagrasset, Palladium quoque iterum conspectum est. Quod in primis Romani colebant, atque in arcano semper habebant. Quippe raptum id Vestales uirgines media sacra uia in aulam

imperatoris transtulerunt, templo uero restituto denuo loco suo repositum est. Id deinceps Alagabalus imperator, quum templum deo suo Alagabalo, quem plerique Solem existimant, sic Phoenicum lingua appellatum, in ea Palatij parte fecisset, ubi prius Orci aedes fuerat, cum matris magnae typo, Vestae igne, ancilijs, & omnibus Romanis sacris in id templum transtulit, sedibusque proprijs tertio mouit, dictitans; Palladiũ dei sui coniugẽ esse debere. Hocque agebat ne quis Romae deus nisi Alagabalus suus coleretur. Dicebat praeterea Iudaeorum, & Samaritanorum religiones, & Christianam deuotionem illuc transferri oportere, ut omnium culturarum secretum Alagabali sacerdotium teneret. Quae post eius caedem sedibus proprijs restituta sunt. Quamquam multi existimarint eum non Palladium, sed signum quodam quod Palladium esse credebat abstulisse, quum simulachrum effictum pro uero illi uirgo Vestalis maxima ostendisset, quia plura Palladia similia facta esse dicebantur, ne quis uerum unquam auferre posset. Palladium demum cum multis alijs Romanae urbis ornamentis, Constantinus pius imperator gentilium inani superstitione abrogata, ex urbe Constantinopolim deportauit, & quo ab omnibus uideri posset, medio foro super columnam marmoream collocari iussit. Idque statuam aeneam Palladis fuisse memoriae proditum est. Atque hactenus de Palladio

DE. SALIIS. PALATINIS. XII

Sextam sacrorum institutorum partem (ut inquit Dionysius) Numa rex salijs tribuit. Quos ipse ex patricijs creauit, iuuenes XII. spectatissimos, qui quum sacra in Palatio factitarent, ubi eorum sacrarium fuisse refertur a Sex. Rufo, & P. Victore, Salij Palatini uocati sunt. Dicti autem sunt Salij, ut inquit M. Varro a saltando, quod facere in comitio in sacreis quot

quot annis & solent, & debent. Sex. Pompeius: Salios (inquit) a saliendo & saltando dictos esse, quamuis dubitari non debeat, tamen Polemon quidam ait, Arcada quendam fuisse nomine Saltum, quem Aeneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui iuuenes Italicos enopliam saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace, cum Aenea deos Penates, qui Lauinium transtulerit, saliare genus saltandi instituisse, a quo appellatos salios: quibus per omnes dies ubicunque manerent, quia amplae ponebantur caenae, si quæ aliae magnae caenae sunt, saliares appellantur. Et Liuius libro primo. Salios item duodecim Marti gradiuo Numa legit, tunicaeque pictae insigne dedit, & super tunicam aeneum pectori tegmen, caelestiaque arma, quae Ancilia appellantur ferre, ac per urbem ire canentes carmina, cum tripudijs, solemni saltatu iussit. Plutarchus in Numa. Salij uocati sunt, non ut quidam fabulantur a uiro Samothrace seu Mantineo, Salo nomine, qui saltationem quae armata dicitur edocuerit, sed ab ipso potius tripudio saltatorio, quod uehementius, robustiusque per urbem euntes subsaltant, quum ad mensem Marcium sacra scuta, quae ancilia dicebantur susciperent, induti puniceis tunicis, aeneis baltheis latisque succincti, aeneas in capite galeas portantes, & paruis gladijs arma pulsantes, reliquum uero saltationis pedum est opus. Mouentur enim suauiter conuersiones, ac saltationes in celeri, & crebro numero robuste, & leuiter reddentes. Dionysius uero libro secundo. Hi aũt salij omnes saltatores quidem sunt, & laudatores armatorum deorum, quorum solemnitas est mense Martio, quae sumptu agitur publico multos dies, quibus ducunt choreas per urbem, & in forum, & Capitolium, & in multos alios priuatos, publicosque locos, tunicas uarij coloris, aeneis succincti baltheis, togasque annectentes fibulis circum distinctas purpura, subtegmine pu

niceo, quas trabeas uocant; est enim gentilis ea uestis Romanis, & ualde honorifica, & quos apices uocant capitibus imponentes, pileos altos in speciem coni eductos; Accincti autem omnes erant gladijs, ac dexteris lanceam, aut uirgam, aut quid tale tenent, laeua ancilia. Quae autem Ancilia fuerint paulo post dicam. Adijcit Dionysius: Ancile autem est scuti cuneati specie, arctiora habentis latera, qualia dicuntur ferre eos, qui apud Graecos Curetum sacra perficiunt, suntque Salij Graeco nomine interpretati Curetes; illi quidem a Graecis ex aetate denominati. A Romanis uero a continuo motu Salij. Et ob eam caussam omnes quoque alios, quibus multum inest saltatus, & gestus ducto a Salijs nomine saltatores uocant. Mouentur autem ad tibiam ex modulo armatis motibus, quandoque simul ac uicißim, quandoque patria quaedam canentes carmina cum tripudijs, solemnique saltatu simul cum choreis; choreā aūt et armigerum motū, et in scutis factum per gladios strepitum Curetes primi instituere. De carminibus saliaribus frequens apud omnes ueteres scriptores mentio est. Quorum quaedam uocabantur axamenta quae erant in hominum memoriam composita, ut Mamurij, et Volumniae. Nam in deos singulos uersus ficti a nominibus eorum appellabantur, ut Ianualij, Iunonij, Mineruij. Is qui Saliis praeerat uocabatur magister, eorum uero coetus collegium. Valerius Maximus libro primo cap. primo: Obruitur etiam tot illustribus consularibus L. Furius Bibaculus, exemplique locum uix post Marcellum inuenit. Sed pij simul ac religiosi animi fraudandus non est, qui praetor a patre suo collegii Saliorum magistro, iussus sex lictoribus praecedentibus arma ancilia tulit, quamuis uacationem huius officii honoris beneficio haberet. Omnia namque post religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiā in quibus summae maiestatis con=

conſpici decus uoluit. Salii autem non a populo, ſed a magiſtris collegii legi ſolebant patricii adulеſcentes, quorum uterq; parens uiueret; nec in magiſtratu eſſet. Lege quoque cautum erat, ut Salii liberi eßent

De Salijs & magiſtro collegij Saliorum mentio eſt in his vetuſtis inſcriptionibus

M. RVBRIO. L.F
PROCVLO
PR. AED. Q
PONT.SALIO
MVNIC.ET.IN.COL

item

L. ANTISTIVS. CN.F.HOR. SARCVLO
SALIVS.ALBANVS.IDEM.MAG.SALIORVM
ANTISTIA.L.L.PLVTIA.L.ANTHVS.RVFVS
L. IMAGINES. DE. SVO. FECERVNT
PATRONO.ET.PATRONAE.PRO.MERITIS

Ceterum (ut ſaepe dixi) Salij non niſi ex patricijs lecti ſunt. quod Cicero in oratione pro domo refert. De Ancilijs autem haec produnt Dionyſius & Plutarchus: Annum iam octauũ regnante Numa, morbus urbem inuaſerat, cunctis uero moerentibus, traditur ſcutum aeneum e coelo delapſum in Numae manibus decidiſſe. Quod in urbis ſalutem miſſum Aegeriam ſibi rettuliſſe Numa tradidit, oportereque eum aſſeruari, alijs undecim ad illius figuram, magnitudinem, formãque effictis, quo dubium ob ſimilitudinem eſſet, caeleſtis illius adipiſcendi. Addiditque Numa ſe a muſis cognouiſſe, eã urbem in qua id ancile ſeruaretur, omnium potentißimam futuram. Quo facto quum peſtis ceſſaſſet, ſcutum autem ex eius imperio, quum effingere artifices certaſſent, diffidentibus

ac desperantibus ceteris, Mamurium Veturium praestantißimum artis eius opificem, usque adeo eius similitudinem effinxisse, struxisseque omnes similes, ut ne Numa quidem id cognosceret. Horum uero scutorum custodes salios xij. legit quot fuerant fabrefacta scuta, a quibus sacris anniuersarys efferrentur per urbem. Id autem scutum quemadmodum ex numismate Antonini Pij cognoui breue fuit, ideoque ancile appellatum, quod ex utroque latere esset recisum, & summum infimumque eius latius medio pateret. Mamurius autem XI. anciliorum a se factorum praemij loco poposcit, ut suum nomen inter carmina salij cantarent. Ideo Mamurij Veturij nomen in cantibus salij Romani maximè frequentabant

DE. VIRGINIBVS. SALIARIBVS

Virginum Saliarum sic meminit Sex. Pompeius: Saliares uirgines Cincius ait esse conducticias, quae ad salios coibant cum apicibus paludatae, quas Aelius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas, cum apicibus in modum saliorum. De eis praeterea nihil inueni

DE . FETIALIBVS . E T . PATRE PATRATO

Septimam sacrorum partem collegio Fetialium tribuit Numa. Hi erant ex optimis nobilibusque familijs electi, & per omnis uitae tempus ei sacro destinati. Fetiales dicti, ut scribit M. Varro libro quarto de lingua Latina, quod fidei publicae inter populos praeerant: nam per hos fiebat, ut iustum conciperetur bellum, & inde desitum, & ut foedere fides pacis constitueretur. Ex heis mittebant antequam bellum conciperetur,

retur, qui res repeterent, & per hos etiã nunc sit foedus, quod fidus scribit Ennius dictum. Et libro secundo de uita populi Romani. Itaque & bella & tarde nec magna licentia suscipiebant, quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, & priusquam indiceretur bellum, ijs a quibus iniurias factas sciebant, fetiales legatos, res repetitum mittebant quattuor, quos oratores uocabant. Et libro tertio. Si cuius legati uiolati essent, qui id fecissent, quamuis nobiles essent, ut dederentur ciuitati statuerũt, fetialesq; uiginti, qui de his rebus cognoscerent, iudicarent, statuerẽt, cõstituerunt. Sex Põpeius. Fetiales (inquit) a faciendo dicti, apud hos .n. belli pacisque faciendae ius est. Et Nonius Marcellus: Fetiales apud ueteres Romanos erant, qui sancto legatorum officio, ab ijs qui aduersum populum Romanum aut rapinis, aut iniurijs hostili mente commouerant, pignora facto foedere iure repetebant, nec bella indicebantur, quae tamen pia uocabãt, prius quam fuisset quid fetialibus denuntiatum. Plutarchus in Numa: Fetiales pacis custodes sunt ab re ipsa nomen adepti, controuersias enim uerbis sedabant, quum non permitterent prius militare, quàm omnis iudicij spes abscissa esset. Etenim pacem Graeci uocant, quando uerbo non ui controuersiae tolluntur. At Romani fetiales saepe ad eos ibant, qui iniurias intulissent, illisque suadebant, ut se beniuole, & amice gererent, ijs autem inimicis sese et pro uoluntate gerẽtibus, deos testari & multa grauia, in eos eorumque patriã imprecari, nisi iuste rem aggrediantur, sic eis bellum indicebant. Fetialibus uero prohibentibus, aut minus cõprobãtibus, neque militari fas erat, neque arma mouere. Sed ab his necesse erat initium belli pro iure duces acciperent, & tum demũ communi commodo prospicerent. Fertur cladem Senonicam urbi accidisse ob haec sacra uiolata. Ius Fetiale ab Aequico

lis

lis mutuatum scribit Valerius libro decimo, cuius auctor fuit Sertor Resius Aequicolarum rex. Id ius (ut dixi) Numa primus Romanis constituit, siue ut Valerius scribit ab Aequicolis, siue ut alij ab Ardeatibus assumptum. Nam Romae ante Numam collegium Fetialium non fuit. Id autem constituit, quum indicturus esset bellum Fidenatibus, ob latrocinia quaedam & excursiones in agros Romanos factas, scireque prius uellet utrum secum conuenire sine bello uellent. Qui necessitate coacti pacem maluerunt. Fetialium autem praecipua munera erant (ut tradit Dionysius) custodire ne Romani bellum foederatae ciuitati iniustum inferrent, in his autem qui foedera rumpere coepissent, ad eos legatos ire, & iusta primum ratione repetere, atque si postulatis, qui laeserint non obtemperarent, ijs bellum indicere, simili ratione, si laesos se esse a Romanis socij aliqui asseuerantes aequa postularent, ea cognoscere, atque si aliquid praeter foedera perpessi sunt, uideanturque uera obijcere, comprehensos sontes, eos laesis deditios tradere. Iniurias quoque legatis factas iudicare, & quae pia sunt in foederibus, custodire, pacem facere, atque factam, si non ex legibus sacris facta uideatur, inritam habere, imperatorum iniqua facta, quaecunque circa iusiurandum, & sponsiones fierent, cognoscere, & expiare. Quum autem bellum indicere iustum & pium esse iudicarint, Vnus quidem Fetialium, quem reliquis suffragijs praetulerint, ornatus ueste, et gestaminibus sacris, ut inter alios conspicuus manifestusque sit, ad eorum urbem qui laeserint proficiscitur, & attingens fines Iouem deosque alios, inuocat testans, quod ad repetendas poenas pro urbe Romana proficiscitur. Postea iuratus quod ad urbem uadit quae prius iniuste egerit, & execrationes maximas sibi ipsi ac Romae imprecatus si mentiatur, intra fines pergit, deinde cuicunque

que primum occurrit hunc obtestatus, siue ciuis is fuerit, siue rusticus, easdemque imprecationes apponens ad urbem uadit, deinde antequam urbem ineat ianitorem ipsum siue alium, quem primum obuium in porta habuerit, eodem modo testatus in forum progreditur, illicque adstans qua caussa uenerit, cum primoribus disserit, iusiurandū ut prius, & imprecationes apponens. Si igitur iudicium illi subeant, tradentes sontes urbe digreditur, eos uiros abducens amicus iam ab amicis. Si uero tempus illi ad consultandum petant, decem eis dierum cum dederit iterum redit, quousque petitionē eorum recipit. Elapsis uero triginta diebus si iusta ciuitas non exhibeat, dijs coelestibus manibusque inuocatis abit, hoc tātū dicto, q̄ de eis cōsultabit per otiū S. P. Q. R. Pronuntiat deinde in senatu cum aliis astans Fetialibus peractum esse ab ipsis quantum fuerit ex legibus sacris pium, & si decernere bellum uelint, eis amplius religione non prohiberi: antequam enim haec facta fuissent, neque senatus, neque populus bellum alicui decernere poterat. Cincius porro libro tertio de re militari: Fetialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telumq; in agrum eorum iacientem hisce uerbis uti scripsit: Quod populus Hermundalus, hominesque populi Hermundali, aduersus populum Romanum bellum fecere, deliquereq;, quodq; pop. Romanus cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellū iussit, ob eam rem ego populusque Romanus, populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum indico facioque. Horum Fetialium unus pater patratus dicebatur, cuius munus erat, quū pax, aut foedus faciunda essent uerba facere. Eius rei exemplum ex Liuij libro primo afferam. Foedus ictum inter Romanos, & Albanos est his legibus; ut cuius populi ciues eo certamine uicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Foedera

dera alia alijs legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt, tum ita factum accepimus, nec ullius uetustior foederis memoria ē. Fetialis regem Tullum ita rogauit: Iubens ne me rex cum patre patrato populi Albani foedus ferire, Iubente rege. Sagmina (inquit) te rex posco. Rex ait: pura tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit, postea regem ita rogauit: Rex facis ne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? uasaq; comites meos? Rex rńdit, qď sine fraude mea, populiq; Romani Quiritiū fiat, facio. Fetialis erat M. Valerius. Is patrē patratū Sp. Furiū fecit, uerbena caput, capillosq; tangens (pater patratus ad iusiurandū patrandum, idest sanciendum fit) foedus multisque id uerbis, quae longo effata carmine, non opus est referre, peragit. Legibus deinde recitatis: Audi (inquit) Iuppiter, audi pater patrate populi Albani, Audi populus Albanus, ut illa palam prima, postrema, ex illis tabulis ceraue recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectißime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet, si prior defecerit, publico consilio dolo malo, tū me Diespiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesq;, id ubi dixit, porcū silice percußit. Sua item carmina Albani, suumque iusiurandū per suū dictatorē, suosque sacerdotes peregerunt. Foedere icto & cet. Fetiales autem ut ceterorum collegiorum sacerdotes, a collegis subrogabantur. Post legem uero Domitiam de qua saepe dixi, eos populi suffragiis creatos fuisse, quemadmodum augures, pontifices, XV. uiros sacris faciundis, & VII. uiros epulonum, pro certo asserere non ausim, praesertim quum id nusquam me legisse meminerim. Eos tamen populi tributis comitijs creatos fuiße, ut credam potißimum adducor, quod penes collegium XX. fetialium erat publicae religionis pars una non minus necessaria,

ceßaria, quam quae erat penes augures, pontifices, XV. uiros S. F. & VII. Viros epulonum. Vnde fit ut pari ratione credam, ante legem Domitiam cooptari per collegas solitos fetiales, sicut illi cooptabantur, praesertim quum nusquam reperiamus, uel a pontificibus eos creatos sicut flamines, uel a magistratibus, post primam eorum a Numa creationem. Quod si ante legẽ Domitiã cooptari a collegio concedamus, necesse ẽ ut hac lege suffragijs populi creari coeperint. Fetiales uero habere partẽ religionis publicae a reliquis sacerdotibus separatam, tum ex his quae dixi, tum ex legibus Ciceronis intelligi potest, apud quem seorsum de fetialibus libro secundo haec lex ponitur

Foederum, pacis, belli, induciarum, oratorum, fetiales iudices sunto. Bella disceptanto. Fuisse autem eorum collegium tum ex his quae etiam dixi, tum ex Liuio cognosci potest, qui libro XXXVI. ita scribit: Consul inde M'. Acilius ex S.C. ad collegium fetialiũ rettulit, ipsi ne utique regi Antiocho indiceretur bellum. Reliqua quantum ad fetialium creationem attinet, quemadmodum de pontificibus, & auguribus dixi intelligenda sunt. Atque haec sunt, quae de fetialibus, ex Cicerone, M. Varrone, Dionysio libro primo, Liuio libro primo, Gellio libro XVI. cap. IIII. Plutarcho, Sex. Pompeio, & Nonio Marcello collegi. De fetialibus mentio est in antiqua inscriptione ita

P. CORNELIO . LENTVLO
SCIPIONI . COS . PRAEF
AERARI . LEGATO . TI
CAESARIS . AVG . LEG . LEG
VIIII . HISPAN . PONTIFICI
FETIALI . D . D

DE . PONTIFICIBVS

Octaua & ultima diuisio (inquit Dionysius libro secundo) sacrarum traditionũ Numae fuit eorum sacrorum quae pontifices sortiti sunt. Qui magnum apud Romanos sacerdotium, & potestatem habent. De quibus loquuturus ea erunt hoc loco mihi repetenda, quae in V. fastorum commentario digessi; ne hac una sacerdotum praecipua parte praeterita, imperfectus hic liber exiret. Erat autem pontificatus sacer magistratus, a posse & facere, ut Scaeuula, uel a ponte, ut Varro scribunt, appellatus. Pontifices enim ut apud Varronem Q. Scaeuula pontifex maximus dicebat, a posse & facere dicti sunt. Varro autem libro IIII. de lingua Latina, pontifices a ponte dictos arbitratur, nam ab iis pons Sublicius est factus, primum, & restitutus saepe, quum ideo sacra & uls & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. & Dionysius libro secundo. Nouißima Numae institutorum pars continebat sacra maximi apud Romanos sacerdotii, & cuius potestas est amplißima. Hi ab uno suorum operum, uidelicet sarciendo ponte Sublicio uocabantur pontifices, summa auctoritate praediti; nam de omnibus caußis ad sacra pertinentibus iudicant, tam inter magistratus sacros, quam inter priuatos homines, nouasque leges de sacris arbitratu suo condunt, sicubi destituuntur scriptis legibus: & magistratus penes quos caerimoniae sunt ac sacrificia, sacerdotesque omnes examinant, ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid praeter solemnes ritus faciant, a profano etiam & imperito uulgo consuluntur de cultu deorum, ac geniorum, alijsque religionibus: quod si quem animaduertãt praescripta sua contemnere, eum mulctãt pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxij, nec tenentur ad reddendum rationem uel senatui, uel populo. Id genus

nus sacerdotes siue sacri doctores, siue sacrarum legum consulti, siue sacrorum custodes recte dicendi sunt. Ego Hierofantas nostris appellari dixerim. In defuncti locum alius solet subrogari non populi suffragijs, sed qui collegio maxime uideatur idoneus ex omni ciuium numero, nec nisi inaguratus ad sacerdotium admittitur, & cet. Pontificum etiam muneris meminit diserte Cicero pro domo sua ad pontifices ita: Quum multa diuinitus pontifices a maioribus nostris inuenta atque instituta sunt, tum nihil praeclarius quam quod uos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summae reipublicae praeesse uoluerunt, ut amplissimi, & clarissimi ciues rēpublicam bene gerendo, pontifices religionem sapienter administrando, rempublicam conseruarent. Quod si ullo tempore magna caussa in sacerdotum populi Romani iudicio, ac potestate uersata est: haec profecto tanta est, ut omnis reip. dignitas, omnium ciuium salus, uita, libertas, arae: foci, dij penates, bona, fortunae, domicilia, uestrae sapientiae, fidei, potestatique commissa, & credita esse uideantur. Et non longe post ad Lentulum unū ex pontificibus loquens; Te appello (inquit) Lentule, tui sacerdotij sunt tensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque deorum. Vosque pontifices, ad quos epulones Iouis optimi maximi, si quid est praetermissum, aut commissum adferūt; quorum de sententia illa eadem reuocata, atque instaurata celebrantur; qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio pontificum, nihil cuiusque aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum. Ceterum quattuor tantum a Numa pontifices instituti traduntur, qui omnes ex patricijs semper cooptati sunt usq, ad annum urbis CDLIIII. in quo Q. Appuleio Pansa & M. Valerio Coruo V. cos. ut libro decimo tradit Liuius, ne undique tranquillae res essent cer

ta-

tamen iniectum est inter primores ciuitatis patricios plebeiosque a tribunis plebis Q. & Cn. Ogulnijs. Qui undique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quaesitis, postquam alia frustra tentata erant, eam actionem susceperunt, qua non infimam modo plebem accenderent, sed ipsa capita plebis consulares triumphalesque plebeios, quorum honoribus nihil praeter sacerdotia, quae nondum promiscua erãt, deesset. Rogationem ergo promulgarunt, ut quum quattuor augures, quattuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quattuor pontifices, quinque augures de plebe omnes allegerentur. Eam rem iuxta aegre passi patres, quam quum consulatum uulgari uiderent: simulabant ad deos id magis quam ad se pertinere, ipsos uisuros ne sacra sua polluantur, id se optare tantum ne qua in remp. clades ueniat. Minus autem tetendere assueti iam tali genere certaminum uinci; & cernebant aduersarios non id quod olim uix sperauerint affectantes magnos honores, sed omnia iam in quorum spem dubiam erat certatum, tamen adeptos multiplices consulatus, censurasque, & triumphos &c. & paulo post: Vocare tribus extemplo populus iubebat, apparebat accipi legem, ille tamen dies est intercessione sublatus; postera die deterritis tribunis ingenti consensu accepta est. Pontifices creantur suasor legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Marcius Rutilus, M. Liuius Denter. Quinque augures item de plebe C. Genucius, P. Aelius Paetus, M. Minucius Fessus, C. Marcius, T. Publilius. Ita octo põtificum, nouem augurum numerus factus. Qui usque ad Sullae Felicis dictaturam mansit. Ceterum quum L. Cornelius Sulla Felix aduersae partis factionibus caesis, dictator renuntiatus fuisset, inter multa quae aut abrogauit, aut addidit, pontificum quoque & augurum collegium ampliauit, ut

essent

eßent quindecim pontifices, & quindecim augures. Ita ex Liuio Florus in epitoma libri LXXXIX. *Ex cuius Sullae facto, duplex factus est pontificum ordo, primi enim octo, & ij deinceps qui in eorum locum cooptati sunt, pontifices maiores appellati, reliqui uero septem minores pontifices dicti sunt. Maiorum & minorum pontificum tam apud ueteres auctores, quam in antiquis lapideis epigrammatibus frequens mentio est. Maiorum st quidem in his*

PETRONIVS . APOLLODORVS . V . C
PONTIFEX.MAIOR.XV.VIR. SACR . FAC
PATER.SACR. DEI. INVICTI . MITHRAE
TAVROBOLIO.CRIOBOLIOQ.PERCEPTO
VNA.CVM.RVFIA.VOLVSIANA. C. F.CON
IVGE.XV.KAL.IVLIAS.DD.NN
VALENTINIANO.ET.VALENTE. AVGG. III
COSS. ARAM.DICAVIT

item

M.MAECIO.MEMMIO.FVRIO. BALBVRIO
CAECILIANO.PLACIDO. C.V
PONTIFICI.MAIORI. AVGVRI . PVBLICO
P . R
QVIRITIVM.XV.VIRO.SACRIS.FACIVNDIS

item

LVCIO.AVRELIO.AVIANIO. SYMMACHO
V . C
PONTIFICI.MAIORI.XV. VIRO . SACRIS
FACIVND

Pontificum uero minorum sic meminit M. *Cicero in oratione de haruspicum responsis: At uero meam domum* P. *Lentulus consul & pontifex,* P. *Seruilius,* M. *Lucullus,* Q. *Metellus,* M'. *Glabrio,* M. *Messalla,* L. *Lentulus Flamen Martialis,* P.

Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius rex sacrorum, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Caesar flamen Quirinalis. Q. Cornelius, P. Albinouanus, Q. Terentius pontifices minores, caussa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac maximorum ciuium adstante, omni religione una mente omnes liberauerunt. Et Iulius Capitolinus in Macrino. Senatus Macrinum quum scribam pontificum fuisset, quos hodie pontifices minores uocant, pontificem maximum appellauit. Et in antiquis inscriptionibus

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CAESARIS
DIVI. F. DOMITIANI. AVGVSTI
EXORNATO
SACERDOTI. SPLENDIDISS. PONTIF
MINOR

Item

C. IVNIO. C. F. QVIR
FLAVIANO
LEG. LEG. VII. GEM
PONTIFICI. MINORI
CVRATORES. FRVMENTARI

Vniuersus porro pontificum coetus collegium uocabatur, quemadmodum ex Cicerone in oratione ad pontifices, pro domo, et de haruspicum responsis, itemque ex antiquis inscriptionibus liquet. Ceterum ut Dionysius libro secundo, & Cicero in Rullum scribunt, Pontifices a Numae temporibus usque ad annum urbis circiter DCL. a collegio pontificum cooptari soliti fuerunt,

runt, non enim comitijs a populo creabantur: quo tempore Cn. Domitius Cn. filius Ahenobarbus tribunus plebis pontificibus offensior, quod alium quam se in locum patris sui Cn. Domitij cooptassent, ius sacerdotum subrogandorum a collegijs ad populum transtulit. Ita Cicero in Rullum, & Tranquillus cap secundo in Nerone. Atque ita pontifices, augures, VII. uiri epulonum, quindecim uiri sacris faciundis, & fetiales, qui prius a suis collegijs subrogabantur, postea lege Domitia tributis comitijs per populum creati sunt. Hanc legem, a Sulla dictatore plebi offensiore abrogatam, restituit Cicerone consule T. Labienus tribunus plebis, ut Dio libro XXXVII. auctor est. Postea sub Augusto iterum abrogata Domitia lege, collegiorum primo, deinde Romanorum principum arbitrio pontifices, & reliqui sacerdotes cooptari coepti. Pontificum collegium usque ad Theodosij senioris imperatoris tempora Romae fuit. Quibus, religione Christiana omnia iam obtinente, imperatoribusque antiquae superstitioni aduersantibus, uno edicto sacerdotiorũ omnium redditus fisco applicati sunt. Quare postea plane pontifices, augures, & reliqui sacerdotes fieri desierunt, quum redditibus omnibus mulctati essent. Ita Zosimus. Atque haec sunt quae breuiter de pontificibus dicenda inueni. Nunc uero ut & de pontifice maximo, quorum seriem quanta potui diligentia collegi, uerba faciam, reliquũ est. Vt enim erant pontifices maiores minoresque, sic supremus unus summusque omnium pontifex erat, qui maximus dicebatur a Numa institutus, quod ut Dionysius tradit, maximarum rerum quae ad sacra & religionem pertinent, iudex esset, & uindex contumaciae priuatorum & magistratuum. De eius creatione sic scribit libro primo Liuius: Minoribus pontificibus creatis: Numa pontificem deinde maximum Numam Marcium M. F. ex patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsi-

gnataque attribuit, quibus hostijs, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica priuataque sacra pontificis scitis subiecit, ut esset quo consultum plebs ueniret, ne quid diuini iuris negligendo patrios ritus, peregrinosque asciscendo, turbaretur. Nec caelestes modo caerimonias, sed iusta quoque funebria, placandosque manes, ut idem pontifex edoceret, quaeque prodigia fulminibus, alioue quo uiso missa susciperentur, atque curarentur, ad ea elicienda ex mentibus diuinis, Ioui Elicio aram in Auentino dicauit, deumq; consuluit augurijs quae suscipienda essent. Ita Liuius. & Sex. Pompeius: Pontifex maximus iudex atque arbiter rerum diuinarum atque humanarũ. Ceterum pontifex maximus ex collegio pontificum creabatur non quidem collegarum cooptatione, ut in ceteris sacerdotijs mos erat, sed populi tributis comitijs, ut ex omni Liuij historia facile intelligi potest. Multo etiam tempore non nisi ex patribus creabatur, donec postremo omnibus honoribus plebi cõmunicatis, põtifex quoq; maximus ex plebe primus creatus est Ti. Coruncanius. Postquem multi, tam patricij, quam plebeij pontifices maximi creati fuerunt, usque ad C. Iulium Caesarem. Quo mortuo in eius locum pontificatum maximum per uim inuasit Lepidus. Post cuius mortem id sacerdotium suscepit Augustus, quod Lepido uiuo nunquam, quamquam oblatum, recipere substinuerat, ut Tranquillus tradit. Decens autem uisum est eum qui totius imperij possessionem adeptus esset, ipsum quoque supremam diuinarum rerum auctoritatem, quae hoc sacerdotio comprehendebatur, habere. Quare post Augustum omnes Romani principes, qui sub imperatoris nomine rei Romanae praefuerunt, pontificatum maximum uel susceperunt, uel se pontifices maximos appellari passi sunt; ut Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens, & Gratia-

nus

nus Augusti. Qui Christianae religioni addicti, quanquam a põtificis maximi munere abhorrerent, id tamen nomen elogijs suis adscriptum non aspernati sunt, uel reiecerunt. Primus omnium Gratianus imp. edicto proposito (ut Zosimus docet) se pontificem maximum appellari uetuit, atque ita ea sacerdotij dignitas in imperatoribus defecit. Quod quum adeo sublime maximum, & prae ceteris sacerdotijs celeberrimum esset, ut omnes eius dicto praesto eßent, nam ceteri pontifices, flamines, rex, quindecim uiri sacris faciundis, & reliqui omnes sacerdotes sub eius potestate erãt, ut ex Liuio paßim intelligitur, statui eorum seriem, quorum memoriam inuenire potuerim, hic quoque breuißime subiicere

Numa Marcius M. F. pontifex maximus primus

*

C. Papirius pontifex maximus

*

Q. Furius Fusus [illegible] alias

M. Papirius pontifex maximus

*

A. Cornelius Cossus pontifex maximus

*

Sp. Minucius Augurinus pontifex maximus

*

M. Fabius Ambustus pontifex maximus

*

P. Cornelius Scipio Scapula pontifex maximus

*

P. Cornelius Scipio Barbatus pontifex maximus

*

TI.Coruncanius TI.F.TI.N.pont.max.primus e plebe factus
L. Caecilius L.F.C.N. Metellus pontifex maximus
L.Cornelius L.F.TI.N.Lentulus Caudinus pontifex max
P.Licinius P.F.P.N. Crassus Diues pontifex maximus
C.Seruilius C.F.C.N. Geminus pontifex maximus
M.Aimilius M.F.M.N.Lepidus pontifex maximus
P.Cornelius Cn.F.L.N. Scipio Nasica uir optimus pont.m

*

P. Cornelius P.F.P.N.Scipio Nasica Serapio pont.max
P.Licinius P.F.P.N.Crassus Mucianus pontifex max
P.Mucius P. F.Q.N.Scaeuula pont.max

*

L.Caecilius L.F.Q.N. Metellus Caluus pont. max

*

Q Seruilius Q.F.Cn.N. Caepio pont.max

*

Cn.Domitius Cn.F.Cn.N. Ahenobarbus pont. max
Q Caecilius Q F.Q.N.Metellus Dalmaticus pont.max
Q Mucius P.F.Q.N. Scaeuula pont.max
Q. Caecilius Numidici F.L.N.Metellus Pius pont. max
C.Iulius C.F.C.N.Caesar dictator pont. max
M.Aimilius M.F.Q.N. Lepidus pont. max
Imp.Caesar Diui F.C.N.Augustus pont. max
Ti.Iulius Diui Augusti F. Diui N. Caesar Augustus p. max
C.Iulius Germanici F. TI.Augusti N. Diui Augusti pron Caesar Augustus Germanicus pont.max
Ti.Claudius Drusi F.TI.N. Caesar Augustus Germanicus pontifex maximus
Imp.Nero Claudius Diui Claudi F. Caesar Augustus Germanicus pont.max
Ser.Sulpicius C.F.Ser.N.Galba Imp.Caesar Augustus p.m

Imp.

Imp. M. Saluius L. F. M. N. Otho Caesar Augustus pont. max
A. Vitellius L. F. P. N. Germanicus Imp. Augustus pont. max
Imp. Caesar T. Flauius Vespasianus Augustus pont. max

Reliqui deinceps omnes Romani imperatores
pontifices maximi fuerunt

SALII. COLLINI. XII

Salii Agonales, qui a quibusdam Collini, quod eorum sacrarium in Quirinali colle esset, appellati, a Tullo Hostilio rege ex uoto, quod bello Sabino nuncupauerat, instituti sunt. De quibus Dionysius libris II. & III. mentionem facit sic: Committiturque proelium apud urbem Heretum cum Sabinis, in quo multi utrinque caecidere, pugnantibusque eis diu ancipiti Marte, intendens manus ad caelum Tullus Hostilius rex uouit deis si uinceret, ea die Sabinos, se Saturno, Rheaeque instituturum publico sumptu ludos, quos agunt adhuc quot annis Romani, quum ex agris fructus omnes perceperint. Vouitque duplicem eorum quos uocant Salios numerum. Sunt hi etiam ex parentibus generosis, armatis saltationibus incedentes ad tibiam certis temporibus, deorumque laudes quasdam patrias canentes. Et M. Varro libro quinto de lingua Latina: In libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius Agonia

De Sallijs Collinis mentio est in uetusta hac inscriptione

P . COELIO . P . F
SER. BALBINO
VIBVLLIO . PIO
X . VIRO . STLITIB . IVDIC
VI. VIRO . EQVIT . ROMAN
TVRM. EQVIT. TR. MIL. LEG
XXII. PRIMIG. P. F. ADLECTO
INTER. PATRIC. AB. IMP. CAES
TRAIANO . HADRIANO . AVG
SALIO . COLLINO . QVAEST
AVG. FLAMINI. VLPIALI. PR. DE
FIDEI . COMMISS. CoS
DESIGNATO
DECVRIONES. SVA . PECVNIA

DE. XV. VIRIS. SACRIS FACIVNDIS

Postquam ab incognita anu (quam Sibyllam esse crediderunt) carmina Sibyllina Tarquinio Superbo uendita sunt, ut in libro de ludis saecularibus disserui, rex ipse duos statim sacrorum librorum custodes creauit, ex illustribus ciuibus, seruosque publico sumptu eis statuit. Quorum alterum M. Atilium uisum iniuste agere, nec fidelem esse, & a quodam accusatum tamquam parricidam culeo insutum in mare proiecerit. Quod his uerbis docet Valerius libro primo cap. primo: Tarquinius autem rex M. Atilium duumuirum quod librum secreta ciuilium sacrorum continentem custodiae suae commissum, corru-

corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insu tum in mare abijci iussit, idque supplicij genus non multo post parricidis lege irrogatum est. Iustissime quidem, quia pari uin dicta, parentum ac deorum uiolatio expianda est. De duum uiris sacris faciundis frequens mentio est per omnem Liuij historiam ante primum consulem plebeium creatum. libro tertio: Libri per duum uiros sacrorum additi. Et libro quarto. Obsecratio itaque a populo. II. uiris praeeuntibus est facta. Et paulo post. Multa, II. uiri ex libris placandae deum irae, auertendaeque a populo pestis caussa fecere. Et libro quinto libri Sibyllini ex S.C. additi sunt II. uiri sacris faciundis lectisternio tũ primũ in urbe facto. De his ita libro quarto scribit Dionysius: Post eiectionem autem regum asumens ciuitas oraculorum patrocinium, uiros etiam illustrissimos custodes eis designauit, qui per omnem uitam eam curam haberent, militia & alijs urbanis muneribus immunes, publiceque apud eos libros deposuit sine quibus non permisit, oracula aspicere Sibyllina. Romani enim nihil ita custodiunt, neque sanctum neque sacrum quemadmodum Sibyllina diuinitus oracula missa. Ea autem adeunt ex S.C. seditione ciuitatem tenente, aut calamitate magna aliqua bello incidente, aut prodigijs aliquibus, & laruis magnis, & cognitu difficillimis ipsis apparentibus, qualia saepe euenire solent. Porro autem anno urbis CCCXXCVIII. lege lata a tribunis plebis C. Licinio & L. Sextio ex II. uiris X. uiri facti sunt, simulque lege cautum, ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret. Quam legem decimo sui tribunatus anno illi tribuni plebis pertulerunt. Post quod tempus usque ad L. Sullae Felicis dictaturam fuerunt X. uiri S. F. de quibus toties mentio est apud Liuium. A Sulla uero dictatore XV uiri S.F. facti sunt. Quod hac ratione ostendi potest. Ciceronis aetate erant XV. uiri

ſacris faciundis, qui adhuc erant decemuiri eo anno quo Capitolium arſit, paulo ante Sullae dictatoris tempus L. Scipione & C. Norbano cos. anno urbis DCLXXI. Atque poſt eum annum in ſacerdotum collegijs nuſquam legitur quicquam eſſe mutatum, niſi in dictatura Sullae, relinquitur ergo ut haec xv. uirorum inſtitutio a Sulla facta eſſe credatur, praeſertim quum aliis ſacerdotum collegijs legatur adieciſſe aliquot ſacerdotes, ut auguribus & põtificibus. Fuiſſe uero Ciceronis aetate xv. uiros ex quarta Cœlij ad Ciceronem epiſtola intelligi poteſt, in qua ipſe ad Ciceronem ſcribit, P. Dollabelam populi ſuffragijs factum xv. uirum. Tranquillus quoq; in Caeſare. Proximo autem ſenatu percrebuit fama, L. Cottam xv. uirum ſententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos niſi a rege nõ poſſe uinci, Caeſar rex appellaretur. Quod uero decemuiri ſacrorum adhuc eſſent eo anno, quo Capitolium crematum eſt, ex uerbis Dionyſii libro quarto intelligitur. Qui ait libros Sibyllinos, qui adhuc a x. uiris ſeruabantur, incendio Capitolij fuiſſe crematos, quod anno ante Sullae dictaturam conflagrauit. De xv. uiris ita ſcribit libro xi. Tacitus: Ludis ſaecularibus Domitiani intentus affui, ſacerdotio xv. uirali praeditus, ac tum praetor, quod non iactantia refero, ſed quia collegio xv. uirum antiquitus ea cura, & magiſtratus potiſſimum exequebantur officia caerimoniarum. Et Seruius interpretans illud Virgilij

. . . . . lectosque ſacrabo
Alma uiros. ait ſic:

Primo fuerunt duo librorum Sibyllinorum cuſtodes, inde x. inde xv. uſque ad tempora Syllana, poſt creuit numerus uſque ad LX. Sed remanſit xv. uirum uocabulum. Poſt Sullam idem ſacerdotium manſit uſque ad Theodoſii tempora, quibus cum ceteris ueteris ſuperſtitionis ſacris abrogatum eſt. Porro au-

ro autem ex eo epistolae Coelij loco quem citaui, collegi potest, populi suffragiis sacerdotes huius collegij aliquando creatos, idque per legem Domitiam. Nam quod a collegis ante eam legem cooptarentur, paßim in Liuij historia legitur, ubi de suffectis in demortuorum locum sacerdotibus loquitur. Horum munus erat, libros Sibyllinos custodire, quum ex S. C. adeundi essent, adire, & quae legissent senatui renuntiare, & ea S.C. decreta procurare, ludos saeculares celebrare, & postremo omnia peragere quae Sibyllinorum carminum iussu facienda erat. De his frequens mentio est in uetustis monumentis sic

HERCVLI . INVICTO
M . CASSIVS
HORTENSIVS
PAVLLINVS . PR. VRB
XV . VIR . SACRIS
FACIVNDIS
DONVM. DE DIT

Item

IVNIO.POSTVMIANO.V.C. P.P
DEI.SOLIS . INVICTI . MITHRE
XV . VIRO . S . F . PONTIFICI
DEI . SOLIS . ORDO . SACER
DOTVM . MAGISTRO . SVO
CVRANTE . ET . DEDICANTE
FLAVIO . HERCVLEO . VIRO
RELIGIOSISSIMO

item

AVRELIO. VICTORI
XV.VIR. SACR. FAC
LEG.AVGG.PRO.PR
PROV. PANN. INF
PATRON.R.P.H.V
D. D

DE.REGE.SACRORVM. *alias* SACRIFICVLO.PRIMO

De huius ſacerdotij inſtitutione, & munere ita ſcribit libro ſecundo Liuius: Regibus exactis, & parta libertate, rerum deinde diuinarum habita cura, & quia quaedam publica ſacra per ipſos reges factitata erant, necubi regum deſiderium eſſet, regem ſacrificulum creant, id ſacerdotium pontifici ſubiecere, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cuius tunc prima erat cura officeret. *Et Dionyſius initio libri quinti.* Sed quando quidem multorum magnorumque bonorum auctores fuiſſe reipublicae uiſi erant reges, cuſtodire uolentes nomen huius imperij, per omne tempus, donec urbs eſſet, iuſſere pontifices & augures unum eligere ex ſenioribus maxime idoneum, nullius ipſum alterius rei, praeterquã eorum quae ad diuinos cultus pertinent praeſidentiam habiturũ, & ab omni alio miniſterio ciuili bellicoque liberum, regem ſacrorum uocatum. Creatuſque eſt rex ſacrificulus primus M. Papirius ex patricijs uir quietis ſtudioſus. & cet. *Regis porro uxor appellabatur Regina, quae & ipſa aliquot ſacra facere ſolebat de qua Macrobius in libris Saturnalium mentionem facit. Creabatur autem rex ſacrorum populi comitijs cẽturiatis quemadmodum apud Gelliũ libro* XV. *cap.* XXVII *refer*

refert Laelius Felix. Quam diu autem uetus religio mansit rex sacrorum semper ex patricijs creatus est, ut Cicero pro domo scribit. Mansit autem hoc sacerdotum usque ad Theodosij senioris tempora, quibus cum reliquis sacris abrogatum est

DE.SACERDOTIBVS.FOEMINIS BONAE.DEAE

Bona dea, quam alij Faunam alij Fatuam appellant, terra a plerisque esse creditur, quod infantes partu editi, non prius uocem edunt quam terram attigerint. Bonam uero deam uocant, quod omnium nobis ad uitam bonorum caussa est terra. Faunam uero quod omni usui animantium fauet, a qua Fauni agrestes dij quod e terra geniti sint. Dicitur et Ops, qđ ipsius ope atque auxilio uita constet, & Damia quia ei in operto sacrificabatur, unde & sacerdos eius Damatris appellabatur, & sacrificium quod ei fiebat Damium, a contrario sensu quod minime esset publicum. Haec ab alijs, & Senta uocata est. Hanc Varro scripsit tantae pudicitiae fuisse, ut nemo illam dum uixit praeter uirum suum, mas uiderit, nec nomen eius audierit, propter quod illi in operto mulieres sacrificabant, & Bonam deam nominabant. Haec Romae in Auentino aedem habuit. De cuius sacris a P. Clodio Ciceronis aetate pollutis frequens mentio est apud Ciceronem, & Asconium: qui quum C. Caesaris pontificis maximi uxorem Muciam adamaret, muliebri habitu in operto Bonae deae inuentus est ab Aurelia C. Caesaris matre, quo non nisi mulieribus ingredi fas erat. Vnde Cicero in P. Clodium acerrime inuectus est, quod ausus fuisset ea sacra quae in operto pro salute populi Romani in pontificis maximi aedibus fiebant, sua praesentia

pol-

polluere. Huius Deae meminit uetus haec inſcriptio, quae Romae in aedibus Gentilis Delphinij extat

ANNIA . P . L . FLORA . EX
TESTAMENTO . BONAI . DEAI
SACRVM
SALVIA . SOROR
Ↄ LIBERTA
SVA . . PECVNIA
FAC . CVRARVNT

DE . GALLIS . ET . ARCHIGALLO . SACERDOTIBVS DEAE . CYBELIS

Quum ſecundo Punico bello maxime uigente, ex carminibus Sibyllinis x. uiri ſacris faciundis ad ſenatum rettuliſſent, hoſtem pelli Italia, uincique poſſe, ſi mater Idaea Peßinunte Romam aduecta eſſet, ſtatim ſenatus legatos in Aſiam ad regem Attalum miſit. Is legatos comiter acceptos Peßinuntem in Phrygiam deduxit, ſacrumque ijs lapidem, quem matrem deum incolae eſſe dicabant tradidit, ac deportari Romā iußit. Qui Romae a uiro optimo Scipione Naſica ſuſceptus, in Aedem Victoriae quae eſt in Palatio, eum pertulere pridie Idus Aprilis, isque dies feſtus fuit. Populus frequens dona deae in Palatium tulit, lectiſterniumque & ludi fuere, Megaleſia appellata. Haec etiam Cybeles, & mater magna, & dea Peßinuntia; eius ſacra Orgia: ſacerdotes uero Galli appellati ſunt. Hi caſtrati omnes erant. Quod hinc eueniſſe fama eſt. Quum dea Cybeles puerum Phrygem formoſißimum Atyn nomine ſuis ſacris ea lege praefeciſset, ut perpetuo caſtitatem ſeruaret, haud longe poſt Sangaritidem nympham compreßit. Quare ab irata dea in furorem actus, quum Dyndima

ma uenisset, manusque sibi afferre conaretur, miseratione deae furore liberatus a se interficiendo abstinuit, uirilitatem tamen sibi amputauit; & ideo Cybeles castratos sacerdotes habere mauult. Galli autem dicuntur a Gallo Phrygiae flumine cuius aquā qui gustaßēt reddebātur insani: testes uero Samia testa sibi praecidebāt. Sex Pompeius: Galli qui uocantur matris magnae comites dicti sunt a flumine cui nomen est Gallo, quia qui ex eo biberint in hoc furere incipiunt, ut se priuent uirilitatis parte. Alij putāt ideo eos sibi genitalia incidere, quia uiolauerint nomē patris matrisue ne poßint ipsi fieri parentes. Hi quotānis religionis caussa Hilaribus festis matris deū simulachrum, carpētum, & leones Cybeles quam & deam Berecynthiam uocabant, & cultros Phrygios magna pompa producebant, ad Almonem riuum, ibique ad duorum amnium confluentem, ueteri instituto omnia abluebant, Nam quo primum die ex Asia illuc est aduecta, a sacerdote lota est: isque mos postea per singulos annos est seruatus. Vnde Ouidius quarto Fastorum

Est locus in Tiberim, quo lubricus influit Almo
Et nomen magno perdit ab amne minor
Illic purpurea canus cum ueste sacerdos
Almonis dominam, sacraque lauit aqua

Et Lucanus libro primo

Tunc qui fata deum secretaque carmina seruant
Et lotam paruo reuocant Almone Cybelem

Et D. Augustinus cap. quarto libri secundi de ciuitate dei: Oblectabantur (inquit) caelesti uirgini, & Berecynthiae matri deorum omnium, ante cuius lecticam die solemni lauationis eius talia per publicum concitabantur a nequißimis scaenicis, & cet. De his sacerdotibus sic scribit Dionysius libro secundo: Romani fabulosam omnem reijciunt superstitionem, sicut

deae

deae Idaeae sunt sacra, cui quum sacrificia quotannis, & ludos praetores agant Romanis legibus, sacra tamen eius agunt uir & mulier Phryges, hi quae ea per urbem circundant congregantes matronas, ut mos est illis, figurasque annectentes pectoribus, carminaque, pulsantes tympana, decantant, Varias stolas induti, hisque caerimonijs deam Phrygiam colebāt. Et Herodianus libro primo: Veris initio, stato solemnique die pompam matri deum Romani celebrant in ea quae apud quemque sunt diuitiarum praecipua, suppellexque pleraq; imperatoria materiae aut artis spectandae, praeferri ante deam solent. Paßimq; omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas induāt quas cuiq; libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cuiusque studium representent, sic ut non temere a falsis ueros dignoscas. Quae autem ratio sit cur huic deae tantum honorem Romani habent, non alienum uidetur quantum ex historia accipimus commemorare. Ipsum igitur simulachrum Caelitus ut aiunt demissum, neque qua sit materia, neque a quo fabricatum artifice satis constat, neque plane hominum manibus creditur factum. Hoc igitur caelitus decidisse ferunt in quendam Phrygiae agrum, cui nomen Peßinunte a casu eius simulachri factum putant, ibi enim a principio comparuisse. In hoc Phryges olim Orgia colebant, ad ipsum fluuium Gallum a quo etiam deae sacerdotes cognominantur. Sed ubi res Romana creuit responso accepto mansurum imperium, atque ad summam auctum iri si Peßinuntiam deam ad se transferrent, mißi in Phrygiam legati sunt, petitum deae simulachrum; quod facile conceßum est, & Romam ad uectum. Ita Herodianus

De dea Cybele, eius sacris, & sacerdotibus Gallis mentio est in uetustis epigrammatibus ita

M.D.M.ID.ET. ATTIDIS . MINOTAVRANI
ARAM.IIII.IDVS. MARTI
GRATIANO.IV.ET. MEROBAVDE. COSS
DEDICAVIT
ANTIQVA. GENEROSAE . DOMO . CVI
REGIA. VESTAE
PONTIFICI.FELIX.SACRATO . MILITAT.
IGNE
IDEM . AVGVR . TRIPLICIS . CVLTOR
VENERANDAE.DIANAE
PERSIDICI . QVE.MITHRAE. ANTISTES
BABELONAE.TEMPLI
TAVROBOLIQVE . SIMVL. MAGNI. DVX
MYSTICE. SACRI

item

COSMVS . AEDITVVS . MATRIS. DEVM
ANTIOCHO . SACERDOTE . ANNIS. XII
EIVS . . . .
AB.IMP.AVG. GRATIS.MANVMISSVS.OB....
SVPRA . SVNT. H-S . N. L. DONATIONIS
CAVSSA
MANCIP . . . .

item

L. VETTIO. SYNTROPHO
RELIGIOSO
A. MATRE.MAGNA. CAPILLATO
VETTIA.AMOR.DE.SVO .FECIT
POSTERIS.QVE.EORVM

M . D. M . I. ET . ATTINIS
L.CORNELIVS.SCIPIO.ORFITVS
V . C. AVGVR .TAVROBOLIVM
SIVE . CRIOBOLIVM . FECIT
DIE.IIII.KAL.MART
TVSCO.ET.ANVLLINO.COS
item
C . CAMERIVS
CRESCENS
ARCHIGALLVS . MATRIS
DEVM.MAGNAE.IDAEAE.ET
ATTIS . POPVLI . ROMANI
VIVVS.SIBI.ET
C.CAMERIO . EVCRATIANO . LIB
SVO.CETERIS.AVTEM.LIBERTIS.VTRI
VSQVE . SEXVS . LOCA . SINGVLA
SEPVLTVRAE.CAVSSA.H.M.H.N.S

DE.VII.VIRIS.EPVLONVM

Vt fere omnes ueterum sacerdotes, sic Epulones *uario numero fuerunt. Quando enim primum instituti sunt, tres creati sunt ut ait* Liuius *libro* XXXIII. *qui ita scribit. Anno urbis* DLVIII. L. *Furio* Purpureone M. *Claudio* Marcello *cos.* Romae *eo primum anno* III. *uiri* Epulones *facti* C. Licinius Lucullus, T. Romuleius, *qui legem de creandis his tulerat, et* P. Porcius Lecca. *His triumuiris item ut pontifici lege datum togae praetextae habendae ius. De his* III *uiris* Cicero III. *de oratore ita scribit. Sed ut pontifices ueteres propter sacrificiorum multitudinem tres uiros epulones esse uoluerunt, quum essent ipsi a* Numa, *ut etiam illud ludo-*

rum

rum epulare sacrificium facerent, instituti. At posterioribus temporibus septemuiros epulones fuisse ex antiquis ueteribus tum scriptorum tum lapidum monumentis intelligi potest. Antistius enim labeo apud Gellium libro primo cap. XII. ita scribit: Item cuius pater flamen, aut augur, aut XV. uir S. F aut qui septem uir epulonum, aut salius est. Vt autem Ciceronis aetate eum numerum fuisse credam ex eo colligo, quod Lucanus libro primo huius sacerdotij meminit illo uersu

Septemuirque epulis festus, Titijque sodales

Vt enim rationem temporis habeat Lucanus, necesse est initio belli ciuilis, cuius prodigia illic scribuntur fuisse VII. uiros epulones, at si tempore belli ciuilis inter Caesarem, & Pompeium erant VII. uiri epulonum, nemo autem legatur ad sacerdotum numerum centum & eo amplius annorum spacio adiecisse, praeter Sullam dictatorem, relinquitur ut Sullae instituto VII. uiri epulones esse coeperint, qui ad illud usque tempus fuerant III. uiri, nam non multo tempore ante Sullae dictaturam adhuc triumuiros epulones fuisse ex Ciceronis libro tertio de oratore intelligi potest. L. enim Crassus illic loquitur de triumuiris epulonibus, quem constat paulo ante Sullae dictaturam obijsse. Et Liuius libro XL. III. uirorum epulonum meminit A. Postumio & C. Calpurnio cos. anno urbis DLXXIIII. at post illos consules sacerdotum numerum nusquam legimus auctum, nisi a Sulla dictatore. Quando is augurum, pontificum, & aliorum sacerdotum numerum auxit. Porro autem de eorum munere Cicero in oratione de haruspicum responsis ita loquitur: Ludos minus diligenter factos, pollutosque. Quos ludos? Te appello Lentule, tui sacerdotij sunt tensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeq; ludorum publicorum: Vosque pontifices ad quos epulones Iouis optimi maximi, si quod est praetermissum, aut commis

sum adferunt, quorum de sententia, eadem renouata celebrantur. Ludi sunt minus diligēter facti? quanto aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio pontificum, nihil cuiusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum. Ex quibus uerbis intelligimus non modo quod esset munus epulonum, sed etiam fuisse eorum quoddam collegium. Et hi ut ceteri sacerdotes a collegis subrogabantur ante legem Domitiam, quod ex tota Liuiana historia liquet. Post legem uero Domitiam populi suffragijs is quoque honor mādari coeptus, & c. De VII*, uiris epulonum mentio est in antiquis epigrammatibus ita*

DIS . MANIBVS
M . SVLPICI . BASSI
AMICI . OPTVMI
L . NONIVS
ASPRENAS
VII.VIR.EPVLON
item
L.CORNELIO. P.F
SVLLAE.COS
VII . VIR . EPVL
CLIENTES
item
L . MVNATIVS . L . F . L. N. L.PRON
PLANCVS . COS . IMP . ITER . VII . VIR
EPVLON . TRIVMPH . EX.ROETIS . AEDEM
SATVRNI
FECIT. DE . MANVBIIS . AGROS . DIVISIT
IN.ITALIA
BENEVENTI.IN. GALLIA . COLONIAS.DEDVXIT
LVGDVNVM.ET.RAVRICAM

DE. II. VIRIS. AEDIS. LOCANDAE FACIVNDAE. DEDICANDAE

Horum frequens mentio est apud Liuium, & praesertim libris VII. & XXII. Quos quamquam sacerdotes necessario non fuisse sciam, eos tamen hoc loco adiunxi, quod qui haec peragerent potißimum ex sacerdotibus legebantur. Nam ubi aedes aliquo casu uota erat, statim qui locarent, facerent, & dedicarent II. uiri populi comitijs tributis, lege Papiria renunciabantur, quod ex Gellio libro XV. cap. XVII. facile animaduerti potest

DE. III. VIRIS. AEDIBVS. SACRIS INCENDIO. CONSVMPTIS RESTITVENDIS. ET. SACRIS. CONQVIRENDIS. DONISQVE PERSEQVENDIS

De his Liuius libro XXV. ita scribit: Comitia deinde a praetore urbano de senatus sententia, plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt V. uiri muris turribusq; reficiẽdis, et III. uiri bini, uni sacris conquirendis, donisque praesignandis, alteri reficiendis aedibus, Fortunae, & matris Matutae intra portam Carmentalem, sed & Spei extra portam, quae priore anno incendio consumptae fuerant, & cet. Multos praeterea eiusmodi sacros magistratus creatos fuisse didici. De quibus quia neque necessario sacerdotes essent, neque ordinarij erant, nihil

praeterea dißerendum esse existimo. Atq; haec sunt omnium sacerdotiorum nomina quae tam apud ueteres scriptores, quam in antiquis epigrammatibus inuenire potui. Nunc de ijs dicendum est, quos non nisi ex uetustis inscriptionibus obseruaui

DE. PONTIFICIBVS. ET. SACERDOTIBVS DEORVM. SINGVLORVM

Praeter eos quos supra digeßi, multi quoque erant in urbe sacerdotes publici uarijs nominibus appellati, & recentioribus temporibus instituti, quorum memoria in uetustis tantum superest epigrammatibus, ex quibus quanta potui diligentia eos collegi, atque hac ratione hoc loco in antiquitatis studiosorum gratiam accurate exscripta subiunxi

M. AVR. AVG. LIB
AGILLO. SEPTEMTRIO
NI. PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. ALVMNO. FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO. AB. IMP. M
AVREL. COMMODO. ANTONI
NO. PIO. FELICE. AVGVSTO
ORNAMENTIS. DECVRIONAT
DECRETO. ORDINIS. EXORNATO
ET. ALLECTO. INTER. IVVENES
S. P. Q. LANVINVS

item

item

LVNAE.ET.SOLI.AETER
ET.M.D.M.IDAEAE.ET
LIBERO.PATRI.SACRVM
M.VALERIVS.M.L.SYRVS
SACERD
VOTO. SVSCEPTO.M.L

item

M. AVRELIO. VICTORI
C.V
PRAEF.FERIAR
LATIN. SACERDOTI
DEI. SOLIS
RELIGIOSISSIMO
P.OVINIVS.CALIDIANVS
CONDISCIPVL. PATRONO
DIGNISSIMO

item

SOLI. AETERNO
SACR
PRO. SAL. P. VALERI
CRISPI. SEPTEMTRION
SACERD. DEI. INVICTI
M.ANTONIVS.M.F.LIBER
MESOPYLVS
AEDITVVS. LOCAVIT

item

L . A V R E L I O
APOLAVSTO . MEMPHIO
AVGG . LIB . HIERONICAE
CORONATO.ET.TON DIAPAN
TON.APOLLINIS.SACERDOTI
SOLI . VITTATO.ARCHIEREI
SYNHODI . ET . AVGG
L.AVRELIVS . PANICVLVS
QVI . ET . SABANAS
PATRONO . OPTIMO

item

DIS.MANIBVS
L.RABONIO.L.F . OVF
NOVELLIO
SACERD.DEI . SILVANI
VIX.ANN.LXV
RABONIA . IANVARIA
FILIO . SANCTISSIMO
FECIT

item

IOVI . IVNONI . HERCVLI
SACRVM
CN.DOMITIVS.CN.F.SERE
NVS.SACERDOS.ISIDIS.ET
DOMITIA.VXOR.V.S.L.M

item

item

D E O . SOLI . INVICTO
MITHRAE
FL . SEPTIMIVS . ZOSIMVS
V. P. SACERDOS.DEI
BRONTONTIS
ET.AECATE.HOC.SPELEVM
CONSTITVIT

item

VERATIO . A . F . P A L . SEVERIANO
EQ. ROM . CVR . REIP . TEGIANENSIVM
ADLECTO
IN.ORDINEM.DECVRION.CIVI. AMANTISSIMO
Q VI . C V M . PRIVILEGIO . SACERDOTI
CAENINENSIS
MVNITVS.POTVISSET . AB . HONORIB . ET
MVNERIBVS
FACILE.EXCVSARI. PRAEPOSITO . HONORE
PATRIAE
HONOREM . AEDILITATIS . LAVDABILITER
ADMINISTRAVIT

item

M.AVRELIVS.MENOPHILVS
ORNATVS . IVDICIO. EIVS
EQVO . PVBL. SACERDOS
TVSCVLAN. AEDIL. POLAE
CVM. MENOPHILO . PATRE
LIB.AVG.NN.EX.PROCVRAT
INDVLGENTISSIMO
L. D. D. D

item

D I S . M A N
C . NONI . C . F . VRSI
SACERDOTIS . CABESIS
MONTIS.ALBANI
CVRIONIS
C . NONIVS . IVSTINVS
ALVMNO . DVLCISSIMO
VIX.AN.II.M.XI . D . XIIII

Pontifices

L.CALPVRNIO.L. F.PAPIRIA.ASELLIO
VI.VIR.AVGVSTAL. ET. PONTIFICI.MIN
DEI . LIBERI. INVICTI

item

T.AELIO.MALCO.LICTORI.EQ. PRAETORIAN
COH. III.PR.QVI.ET. VRB. ITEM . ANTISTITI
SACERD . TEMPL . MARTIS . CASTROR
PR
FECIT.BEN.MERENTI. CONIVGI . DVL . SVO
ROSCIA.SVCCESSA.CVM.QVO . VIX . AN . XL
DECESSIT. ANNOR.LXVI

item

item

D IS . SECVRITATIS
Q . VIBIVS . HERMA
ANTISTES
SANCTI . SILVANI
ANNVM. AGENS
L X X . FECIT
SIBI. B . M

item

HONORI
MEMMIO . VITRASIO . ORFITO . V . C
NOBILITATE.ACTIBVS. QVE . AD. EXEM
PLVM . PRAECIPVO . PRAEFECTO . VRBI
ET.ITERVM . PRAEFECTO . VRBI.PRO.CON
SVLI.AFRICAE . AC . TERTIO . SACRARVM
COGNITIONVM . IVDICI . COMITI . I N
CONSISTORIO . PRIMI . ORDINIS . L E
GATO . SECVNDO . DIFFICILLIMIS . TEM
PORIBVS . PETITV . SENATVS . ET . P. R
COMITI .ORDINIS . SECVNDI . EXPEDITION
BELLICAS. GVBERNANTI . CONSVLARI . SICIL
PONTIFICI . SOLIS . PONTIFICI . VESTAE
XV.VIRO.S.F.CONSVLI.PRAETORI.Q . K . OM
NIBVS.Q.PERFVNCTO . HONORIBVS. INTRA
AETATIS.PRIMORDIA . OB. PROVIDENTIAM
ET.STATVM.OPTIMVM.VRBI.ROMAE.AB . EO
REDDITVM . CORPVS . OMNIVM . MANCI
PVM . STATVAM . SVB.AERE . CONSTITVIT

item

item

COELIAE.PATERNAE
MATRI.SYNAGOGAE
BRIXIANORVM

item

MAMMIAE . C.F
IVSTAE
Q.TVLLIVS.Q. F. HORAT
CINCIVS.PRISCVS
PONTIFEX . SACRARIVS
IVNONIS
QVIRITIS . PATRONVS
MVNICIPI
TESTAMENTO.PONI.IVSSIT

item

DIS . MAGNIS
VLPIVS.EGNATIVS.FAVENTINVS
V.C.AVGVR.P. V. B. P. R. Q
PATER.ET.HIEROCERIX.D.S.M.I
ARCHIBVCOLVS. DEI . LIBERI
HIEROFANTA . HECATAE . SA
CERDOS . ISIDIS . PERCEPTO
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQVE
IDIBVS . AVGVSTIS . DD . NN
VALENTE.AVG.V. ET . VALEN
TINIANO.AVG.CONSS.FELICITER

item

item

Q. COELIO.APOLLINARI
FANATICO . DE . AEDE
BELLONAE . PVLVIN
CVIVS. MONITV . HASTA
IN . AEDE . BELLONAE
IN.LVCO . DICATA . EST
FIRMIA. TYCHE
CONIVGI.SVO.BENEMERENTI
SIBI.POSTERIS.QVE.SVIS
FECIT

item

DIS . MAGNIS
MATRI . DEVM . ET . ATTIDI
SEXTLIVS . AGESILAVS . AEDESIVS
V . C . CAVSSARVM . NON.IGNOBILIS
AFRICANI . TRIBVNALIS . ORATOR
ET . IN . CONSISTORIO . PRINCIPVM
ITEM . MAGISTER . LIBELLORVM
ET . COGNITIONVM . SACRARVM
MAGISTER.EPISTVLARVM . MAGISTER
MEMORIAE.VICARIVS. PRAEFECTVRAE
PER . HISPANIAS . VICE . S . I . C
PATER.PATRVM.DEI . SOLIS . INVICTI
MITRHAE . HIEROFANTA . HECATAE
DEI.LIBERI.ARCHIBVCOLVS.TAVROBOLIO
CRIOBOLIO.QVE IN.AETERNVM.RENATVS
ARAM . SACRAVIT . DD . NN
VALENTE. V . ET.VALENTINIANO.IVN
AVGG.CONSS.IDIBVS.AVGVSTIS

De

DE.MINISTRIS.SACERDOTVM POPVLI.ROMANI

Vt multa ſacerdotum, ſic & miniſtrorum apud ueteres genera erant, ex quibus praecipua, ex antiquis lapidum, & librorum monumentis haec fuiſſe animaduerti

CAMILLI.ET.CAMILLAE

A Romulo inſtituti, de quibus Dionyſius libro ſecundo ſic ſcribit: Iis autem quae ſine liberis eſſent gratiſsimos ſibi ex omnibus, permiſit eligere ex ſingulis Curijs, ſingulos pueros & puellas, & hos quidem ad pubertatem uſque ſacris miniſtrare, illas uero quoad eſſent nubiles, more ex Graecia translato, ſacris autem miniſtrant coronis redimiti, Camillique a Romanis uocantur. & Sex. Pompeius: Camillus puer ingenuus, qui ſacris miniſtraret, dicebatur. Antiqui enim Camillos miniſtros dicebant

FLAMINII.ET.FLAMINIAE

Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus patrimus & matrimus, qui Flamini Diali ad ſacrificia praeminiſtrabat. Antiqui enim miniſtros Camillos dicebant. Flaminia dicebatur ſacerdotula, quae flaminicae Diali praeminiſtrabat, eaque patrima & matrima erat, hoc eſt patrem et matrem adhuc uiuos habebat. ita Sex. Pompeius

AEDITVVS. alias AEDITVMVS

Gellius libro duodecimo, cap. ſexto. Varro (inquit) cenſet aeditumum dici oportere non aedituum, quod alterum ſit recenti nouitate fictum, alterum antiqua origine incorruptũ. Sed ipſe Varro libro ſexto de lingua Latina, contra dicere uidetur, ait enim. Alterum a curando, & tutela, ut quum dicimus bellum tueor, & tueri uelle. A quo etiam quidam dicunt illum, qui curat aedes ſacras aedituum, non aeditumum. Item libro ſeptimo: Si ab aede & tuendo aedituus eſt, cur ab atrio & tuendo non atrituus ſit potius quam atrienſis. Aeditui meminit uetus haec inſcriptio

D . M
T.FLAVIO.AVG.LIB
LIBERALI.AEDITVO
MARTIS. VLTORIS
CLAVDIA.EXOCHE
CONIVGI
BENEMERENTI. ET
SIBI. FECIT
VIX. AN. LVII

item

COSMVS.AEDITVVS.MATRIS.DEVM
&cetera

De

De scribis pontificum, A commentarijs XV. virum S. F. Adiutoribus Haruspicum, & Kalatoribus eiusmodi epigrammata meminerunt

AGRIAE. TRIPHOSAE. VES
TIFICAE. LIVIVS. THEONA. AB
EPISTVLIS. GRAEC. SCRIBA
A. LIB. PONTIFICALIBVS
CONIVGI. SANCTISSIMAE
B. D. S. M

item

TI. CLAVDIVS
MARTIALIS
A. LIBRIS
PONTIFICAL

Item

DIS. MANIBVS
MYRRHINI. DOMITIANI
PVBLICI. A. COMMEN
TARIIS. XV. VIR. S. F
ARRVNTIA. DOLICHE
FECIT. CONIVGI. CARIS
SIMO. ET. LIBERIS. LIBER
TABVS. QVE. SVIS. POSTERISQ.
EORVM

Item

D. M.
CN . IVLI . CN . FIL
DONATI . PRISCI
EX . EQVO . PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

Item

Q. CAECILIO
FEROCI
KALATORI . SACERDOTII
TITIALIVM . FLAVIALIVM
STVDIOSO . ELOQVENTIAE
VIXIT . ANNIS . XV
MENSE . I . DIEBVS . XXIIII
FILIO . OPTIMO . AC
REVERENTISSIMO
M . GAVIVS . KARINVS

TIBICINES

Tibicinum Romanorum frequens apud ueteres auctores mentio est. Hi tibias concinnentes sacris populi Romani interesse solebant. De his sic scribit M. Varro, lib. iiij. de lingua Latina: Quinquatrus minusculae dictae Iuniae Idus ab similitudine maiorum, quod tibicines tum feriati per urbem uagantur, & conueniunt ad aedem Mineruae. Et Sex. Pompeius:

Minusculae (inquit) quinquatrus appellantur Iduum Iunij, quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Mineruam, cuius deae festus est proprie dies quinquatrus mense Martio. Aliter minusculae quinquatrus appellantur Idus Iuniae. Ouidius VI. Fastorum

Etiam quinquatrus iubeor narrare minores
    Nunc ades o coeptis flaua Minerua meis
Cur uagus incedit tota tibicen in urbe?
    Quid sibi personae, quid toga longa uolunt?
Sic ego: sic posita Tritonia cuspide dixit
    Possem utinam doctae uerba referre deae
Temporibus ueterum tibicinis usus auorum
    Magnus & in magno semper honore fuit
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis
    Cantabat moestis tibia funeribus
Dulcis erat mercede labor, tempusque sequutum est
    Quod subito gratae frangeret artis opes
Adde quod Aedilis pompa qui funeris irent
    Artifices solos iusserat esse decem
Exilio mutant urbem Tiburque recedunt
    Exilium quodam tempore Tibur erat
Quaeritur in scaena caua tibia, quaeritur aris
    Ducit suprema naenia nulla choros
Seruus erat quidam, quantolibet ordine dignus
    Tibure sed longo tempore liber erat
Rure dapes parat ille suo turbamque canoram
    Conuocat ad festum, conuenit illa dapes
Nox erat & uino oculique animique natabant
    Quum praecomposito nuntius ore uenit
Atque ita quid cessas conuiuia soluere dixit
    Auctor uindictae iam uenit esse suae

Nec

Nec mora conuiuae ualido titubantia uino
Membra mouent dubij, ſtantque labantque pedes
At dominus diſcedite ait plauſtroque morantes
Subſtulit in plauſtro ſcirpea lata fuit
Alliciunt ſonos tempus, motuſque merumque
Potaque ſe Tibur turba redire putat
Iamque per Eſquilias Romanam intrauerat urbem
Et mane in medio plauſtra fuere foro
Claudius ut poßit ſpecie numeroque ſenatum
Fallere perſonis imperat ora tegi
Admiſcetque alios, ut tunc tibicina coetum
Augeat in longis ueſtibus ire iubet
Sic reduces bene poſſe tegi, ne forte notentur
Contra collegæ iuſſa rediſſe ſui
Res placuit cultuque nouo licet Idibus uti
Et canere ad ueteres uerba iocoſa modos
Haec ubi per docuit, ſuper eſt mihi diſcere dixi
Cur ſit quinquatrus illa uocata dies
Martius inquit habet tali mea nomina feſta
Eſtque ſub inuentis haec quoque turba meis
Prima terrebrato per rara foramina buxo
Vt daret effeci tibia longa ſonos
Vox placuit, faciem liquidis referentibus undis
Vidi & uirgineas intumuiße genas
Ars mea non tanti eſt, ualeas mea tibia dixi
Excipit abiectam ceſpite ripa ſuo
Inuentam ſatyrus primum miratur & uſum
Neſcit, & afflatam ſenſit habere ſonum
Et modo dimittit digitos mogo concipit auras
Iamque inter nymphas arte ſuperbus erat
Prouocat & Phoebum, Phoebo ſuperante pependit

Caesa recesserunt a cute membra sua
Sic tamen inuentrix auctorque ego carminis huius
Hoc est cur nostros ars colit ista dies

Liuius libro ix. Eiusdem (inquit) anni rem dictu paruam praeterirem, nisi ad religionē uisa esset pertinere: Tibicines prohibiti a proximis censoribus erant, in aede Iouis uesci quod traditum antiquitus erat. Aegre passi Tibur uno agmine abiernnt, adeo ut nemo in urbe esset qui sacrificijs praecinneret, eius rei religio tenuit senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos eos in curiam hortati sunt ut reuerterentur Romam, postquam pelli nequibant, cōsilio haud abhorrente ab ingenijs hominum eos aggrediuntur. Die festo alij alias per speciem celebrandarum cantu epularum caussa inuitant, & uino cuius auidum genus est, oneratos sopiunt, atque ita in plaustra uinctos conijciunt, ac Romam deportant, nec prius sensere quam plaustris in foro relictis, plenos crapulae eos lux oppressit: tunc concursus populi factus impetratoque ut manerent, datum ut triduum quot annis ornati cum cātu, atque hac quae nunc solemnis est licentia, per urbem uagantur, restitutumque in aede uescendi ius, ijs qui in sacris praecīnerent. Valerius Maximus lib. ij. cap. de institutis antiquis: Tibicinum quoque collegium solebat in foro uulgi oculos in se cōuertere, quū inter publicas priuatasque ferias, actiones personis tecto capite, uariaque ueste uelatis concentus edit. Inde tracta licentia. Quondam uetiti in aede Iouis uesci, quod prisco more factitauerant, Tibur irati se contulerunt, quorū ministerio senatus deserta sacra non aequo animo ferens, per legatos a Tiburtinis petijt, ut eos gratia sua Romanis templis restituerent, quos illi in proposito perseuerantes interposita festae epulationis simulatione, mero somnoque sopitos plau-

stris

ſtris in urbem deuehendos curauerunt, quibus, & honos priſtinus reſtitutus, & huiuſce luſus ius eſt datum. Perſonarum uſus pudorem circunuentae temulentiae cauſſam habet. Idem propemodum in problematibus a Plutarcho refertur. Tibicines quoque ſacris publicis intereſſe conſueſſe refertur in hac antiqua, & eleganti inſcriptione, quae adhuc extat in hortis Reuerendß. Carpenſis

IMP . CAESARI
M.AVRELIO . ANTONINO
PIO . FELICI . AVGVSTO
TIBICINES . ROMANI
QVI . SACRIS
PVBLIC . PRAEST . SVNT

Item.

D I A N AE
L V C I N AE
I N V I C T AE
CN . POMPEIVS
CN . LIB . BARB
VS . PROCVRAT
TVBICIN . ROM
VOTO . SVSCEPTO
L. M

TVBICINES

De Tubicinibus uero ſic ſcribit Sex. Pompeius: Tubicines ij appellantur qui ſacerdotes uiri ſpecioſi publice ſacra faciunt tubarum luſtrandarum gratia &c. Qui enim tubis canebant Tubicines dicebantur.

PVLLARIVS

Pullarius erat, qui caueae pullorum curam agebat, è quorum pastu auguria augures captare solebant; quae quoties offa quae pullis dabatur aliquo modo cadebat in solum, tripudia solistima dicebantur. Solebant autem in auspicijs apud ueteres adhiberi non passim omnes, sed hi tantum qui essent periti. Peritos enim oportebat esse eos qui quid silentium forent intelligerent. Silentium id in auspicijs dicebatur, quod omni uitio careret: rogabat hinc augur an adhuc silentium esset, respondebat statim pullarius silentium sibi esse uideri. Tum ille si aues pascerentur petebat, aut ubi; non quod ad auspicia pertineret utrum pascerentur nec ne pulli, quos pullarius attulisset, sed quia quum pascebantur necesse erat, aliquid ex ore decidere, & terram pauire, ex hoc terripauium primo, post terripudium deinde tripudium est dictum. Quum igitur offa iam ex ore pulli ceciderat, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiabatur. Extabat decretum collegij augurum uetus auem omnem tripudium facere posse. Hunc augurandi modum Claudius primo bello Punico, & secundo Flaminius derisere: ille enim pullos in mare mergi iussit, quoniam (inquit) esse nolunt, bibant, & classem amisit; hic, quum tripudio auspicaretur pullarius, diemque committendi proelij propterea differret, ex eo quaesiuit, si ne postea quidem pulli pascerentur quid faciundum esset, quum ille quiescendum censeret. Praeclara uero (inquit Flaminius) auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa conuellit, pugnauit ad Trasimenum, & cum XV. Romanorum millibus ab Hannibale cesus est, Liuius libro X. Pullarus auspicium mentiri ausus, tripudium solistimum nuntiaturus consuli. Et Cicero ij. de diuinatione. Attulit in cauea pullos qui ex eo nominatur pullarius. Et in antiqua inscriptione.

M.

M . POMPEIO . M . F . ANI . ASPRO
7. LEG.XV.APOLLINAR. 7. COH. III.PR.
PRIMOP.LEG.III.CYREN.PRAEF.CASTR
LEG.XX.VICTR.
ATIMETVS . LIBERTVS . PVLLARIVS
FECIT.ET.SIBI.ET.

POPA

Popae ministri sacrorum erant. Hi hostias & uictimas ligabant; & laureati, succintique, atque ad ilia usque nudi, eas ante aras deductas feriebant. Vnde tranquillus in Caligul.; Ad moda altaribus uictima succinctus poparum habitu cultrariũ mactauit. Et Spartianus in uita Getae: percußit hostiam popa. Et Propertius libro iiij.

Succintique calēt ad noua sacra popae

VICTIMARII

Et hi sacerdotum ministri erant, qui uictimas ligabant, & cultrum, aquam, & molam parabant, & reliqua quae sacris erant necessaria. valerius lib. primo. cap. primo: libros Petilius praetor vrbanus ex auctoritate senatus per uictimarios facto igne in conspectu populi cremauit. Liuius lib. XL. Libri in comitio igne a uictimarijs facto in conspectu populi cremati sunt. victor Romae castra uictimariorum fuisse refert

LICTORES. FL. ET. V. V

De lictoribus Flaminum, & virginum vestalium: itemq; praecijs alias praeclamitatoribus Flaminum abunde supra disputaui

PRAEFICA

M. Varro lib. VI. de lingua Latina. Praefica ut Aurelius scribit, mulier ab luctu, quae conduceretur, quae ante domum mortui laudes eius caneret. Hoc factitatum Aristoteles scribit, in libro qui inscribitur nomina Barbarica, quibus

testimonium est quod fretum est Naeuij

Haec quidem hercle opinor praefica est

Nam mortuos collaudat

Claudius *scribit: ea quae praeficeretur ancilleis, quemadmodum lamentarentur praefica est dicta; utrunque ostendit a praefectione, praeficam dictam.* Plautus *in* Truculento

sine uirtute argutum ciuem mihi habeam pro praefica

Sex. Pompeius: Praeficae *dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum cōductae, quae dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae.* Nonius Marcellus: Praeficae(inquit) *dicebantur apud ueteres quae adhiberi solent funeri mercede conductae, ut & flerent, & fortia facta laudarent.* Plautus *in* Friuolaria

Superboque omnes argutando praeficas

Idem *in* Truculento

Praefica quae alios collaudare se uero non potest

Lucilius XXII. *Mercede quae conductae flent alieno in funere praeficae multo, & capillos scindunt, & clamant magis.* Varro *in libris de uita populi* Romani: Dein naeniam *cantoris solat, amat tibias et fides, eorumque ludistricas cursitassent. Haec mulier uocata olim praefica usque ad* Punicū bellū.

DESIGNATOR. ET. VESPA. *alias* VESPILLO

Designatores dicebantur qui constituendae funebri pompae praeerant, unicuique incedendi locum ordinemque praescribentes, ita Sex. Pompeius. Cicero *ad* Atticum *libro* iiij. *Desertus a suis uix iam decimum designatorem retinet, &c.* V*espillones uero cadauerum funeratores erant, ita dicti quod uespertino tempore mortuos efferre solerent: unde & funera a funalibus dici autumat* Donatus*, quia noctu efferebātur ob sacrorum celebrationem diurnam.* Martialis *libro* ij

Qui fuerat medicus, nunc est vespillo Diaulus

Hi

Hi vespae a Sex. Pompeio ita appellantur: vespae dicuntur (inquit) qui funerandis corporibus officium gerunt, non a minutis illis uolucribus, sed quia uerspertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa propter inopiam duci nequeunt vespulae. Ceterum praeficam, designatores, & uespilliones inter sacrorum ministros adposui, quod & manes sua sacra haberent, quorum hi potissimum ministri erat. Haec autem sunt, quae de sacerdotijs eorumque ministris, qui apud antiquos fuerint, inuenire in uetustis lapidum & librorum monumentis potui. Quae ut facilius si opus erit memoriter teneri possint, eorum omnium de more epilogum suggeram

EPILOGVS. OMNIVM. SACERDOTIORVM. POPVLI. ROMANI. EORVMQVE. MINISTRORVM

I Luperci Panos Lycaei *uel* Inui sacerdotes

Omnium uetustissimi ante urbem conditam ab Euandro Arcade Aboriginum rege solemni ex Arcadia translato instituti, nouissimi omnium Anastasio Imperatore, & Theoderico Amalo Gothorum Rege in Italia regnante, a S. Gelasio Papa aboliti circiter annum Christi CDXCV. *Varro libro iiij. de lingua Latina. Dionysius lib.* I. *Liuius lib.* I. *Ouidius Fastorum lib. ij. Valerius Maximus lib. ij. cap.* I. *Plutarchus problemate* LXVII. *Iustinus lib.* XLIII. *vetus registrum* S.R.E

II Caereris Graeca sacerdos

Quae sine uiro esset ab eodem Euandro creata. Dionysius lib. primo. Saepe Liuius

Potiã

III Potitij & Pinarij Herculis ſacerdotes

Ab eodem Euandro facti. Dionyſius lib. I. Liuius lib. I. & IX. Valerius Maximus libro primo, cap. ſecundo

IV Reges

Sacerdotes erant. Dionyſius libro ſecundo, & quinto. Liuius libro primo, & ſecundo

V Fratres Aruales XII

a Romulo facti. Varro libro quarto de lingua Latina, Plinius libro decimooctauo, cap. ſecundo. Gellius libro ſexto, cap. ſeptimo, ex Maſſurio Sabino. Macrobius libro primo Saturnalium

VI LX Sacerdotes publici

Bini ex ſingulis curijs, quae triginta erant, qui ſacris publicis praeeßent, quinquagenario maiores a Romulo rege ordinati. Hi curiarum ſuffragijs legebantur. Dionyſius libro ſecundo, ex Varrone

VII Augurum XV collegium

Hi primo tres tantum fuerunt, ſinguli ex ſingulis tribubus, quae tres erant, Ramnenſium, Tatienſium, & Lucerum a Romulo creati. Deinde a Ser. Tullio rege quattuor (ut exiſtimo) facti. Poſtea anno urbis CDLIIII. Q. Appuleio Panſa, M. Valerio Coruo V. cos. rogatione Ogulnia, quinque e plebe additis ad nouem numerum aucti. Poſtremo a Sulla dictatore XV inſtituti. Nouißime a Theodoſio imperatore circa annum Chriſti CCCXC. ſublati. Cicero primo libro de Diuinatione. Dionyſius libro ſecundo. Liuius libro decimo. Ouidius quarto Faſtorum. Valerius libro ſecundo, cap. primo. Plutarchus problematibus LXXI.

XI.LXXVI.LXXVII.XCIII.XCIX. *Statius Papinius libro tertio Thebaidos*

VIII Haruſpices

A Romulo inſtituti. Dionyſius libro ſecundo

IX Tribunus celerum

A Romulo inſtitutus, a Numa ſacerdos factus. Dionyſius libro ſecundo

X Curiones XXX

Qui totidem curijs praeerant, quorum primus dicebatur

Curio Maximus

Cuius auctoritate ceteri curiones regebantur. Sacerdotium a Romulo conſtitutum fuit. Dionyſius libro ſecundo. Saepe Liuius. Feſtus

XI Sodales Titij *alias* Titienſes

Varro libro quarto de lingua Latina, Tacitus libro primo, Lucanus libro primo, & Macrobius libro primo

XII Flamines quindecim

Ex his tres erant, qui maiores & patricij dicebantur, quod ſemper ex patricijs fuerint, a Numa inſtituti. Dionyſius libro ſecundo. Liuius libro primo, & alibi ſaepe. Feſtus. Plutarchus in Numa, & alibi. Cicero pro domo

Flamen Dialis

Ioui

Flamen Martialis

Marti

Flamen Quirinalis

Romulo

Varro

Varro libris quarto & sexto de lingua Latina. Cicero secundo de legibus. Dionysius libro secundo. Liuius libro primo. Plutarchus in Numa, & problematibus, Appianus, Gellius libro decimo, cap decimoquinto ex Fabio. Pictore, & Massurio Sabino. Festus libro decimotertio. Augustinus de ciuitate Dei libro tertio

Flamines minores qui & plebeii XII

Festus libro tertiodecimo

Flamen Volcanalis

Volcano. Varro libro quarto de lingua Latina

Flamen Carmentalis

Carmentae. Cicero in Bruto

Flamen Floralis

Deae Florae. Varro libro sexto de lingua Latina

Flamen Palatualis

Deae Palatuae. Varro libro sexto de lingua Latina

Flamen Falacer

Diuo patri Falacri. Varro libro quarto, & sexto de ling. Lat

Flamen Furinalis

Deae Furinae. Varro libris IIII. & VI. de lingua Latina

Flamen Volturnalis

Deo Volturno. Varro libro quinto de lingua Latina

Flamen Virbialis

Deo Virbio, id est Hippolyto

Flamen Laurentialis

Accae Laurentiae . ex antiquis inscriptionibus

Flamen

Flamen Lauinalis

Flamen Ligularis, *alias* Lucullaris

ex antiquis inscriptionibus

Flamen Pomonalis

Deae Pomonae, omnium postremus. Festus

Flaminicae quindecim

Festus, Plutarchus, & Gellius

Hoc sacerdotium a Theodosio imperatore sublatum est. Ex historia Theodoriti Cyrensis, & Zosimo

XIII Virgines Vestales V. Cum Virgine Vestali maxima

Quattuor a Numa rege factae, duae a Ser. Tullio rege additae, & sex factae, a Theodosio imperatore sublatae. Dionysius libro secundo. Liuius libro primo. Plutarchus in Numa, Gellius ex Fabio Pictore, commentarijs L. Sullae dictatoris, & Antistio Labeone. Symmachus, Zosimus, Theodoritus Cyrensis, Prudentius, & D. Ambrosius

XIIII Salii XII. cum Magistro collegii Saliorum

Hi semper ex patricijs lecti sunt, a Numa ordinati, Martique sacrati. Dionysius libro secundo. Ouidius tertio Fastorum. Valerius Maximus libro primo, cap. primo. Plutarchus in Numa. Acro in Horat. Seruius super VIII. librum Aeneid. Cicero pro domo ad pontifices

XV Virgines Saliares

Sex. Pompeius

XVI Fetialium XX. collegium & Pater Patratus

a Numa instituti. Dionysius libro secundo. Liuius libro primo. Plutarchus in Numa, & Problematibus. Gellius libro decimosexto, cap. quarto. Seruius super Virgilium libro nono Aeneid. Hi Foederum, pacis, belli, induciarum, oratorum, iudices erant. Cicero libro secundo de legibus. Nonius Marcellus ex libris II. & III. Varronis de uita populi Romani

XVII Collegium pontificum XV

A Numa quattuor primo pontifices instituti sunt omnes patricij, post rogatione Ogulnia, Anno urbis CDLIIII. Q. Appuleio Pansa M. Valerio Coruo V. cos. quattuor de plebe additis octo facti, qui maiores dicti sunt. Deinde a Sulla Felice dictatore V I I. praetereà alii qui minores uocabantur, creati, eorumque numerus ad quindecim auctus. Nouissime a Theodosio imp. cum reliquis uetustae superstitionis sacris sublati. Dionysius libro secundo. Liuius libro decimo, & ex ipso Florus libro XXCIX. Cicero pro domo ad pontifices, & de Haruspicum responsis, Theodoritus Cyrensis, Symmachus in relatione ad Theodosium imp. Horum unus populi Romani suffragiis ceteris praelatus dicebatur

XVIII Pontifex maximus

A Numa institutus, a Gratiano Imperatore abolitus, Is omnibus populi Romani sacris praeerat, eius maxima atque adeo in omnes sacerdotes suprema potestas erat. Dionysius libro ij. Liuius lib. I. Plutarchus in Numa, & Zosimus lib. iiij.

XIX Salij Agonenses, alias Collini

A Tullo Hostilio ordinati. Dionysius lib. secundo, & tertio

XX

XX XV Viri Sacris faciundis cum magiſtr

Hi primo fuerunt II.uiri a Tarquinio ſuperbo inſtituti. Qui librorum ſibyllinorum curam gerebant, poſt anno urbis CCCXXCVIII. anno ante primũ conſulem plebeium creatũ lege Sextia Licinia x. facti, quinque patricij, totidem e plebe, poſtremo XV. viri a Sulla Dictatore aucti. Dionyſius libro iiij. Liuius libro V. Cenſorinus de die natali, Lactantius lib. primo Seruius ſuper virgilium.

XXI Rex ſacrorum

Alias

Rex Sacrificulus

Cuius vxor

Regina ſacrorum

Dicebatur. Macrobius libro primo

Sacerdotium anno primo partae libertatis a populo Romano inſtitutum L. Bruto, & L. Collatino cos. Anno CCXLV Donyſius lib. v. Liuius lib. ij. ſemper ex patricijs creatus Cicero pro Domo

XXII Sacerdotes Bonae deae Feminæ

Cicero ſæpe, & Florus

XXIII Galli ſacerdotes deae Cybelis cum Archigallo

Antiqui lapides. Liuius lib. xxxvi. Ouidius iiij. Faſtorum. Feſtus, Tertullianus in Apologetico D. Auguſtinus libro. iij. de ciuitate Dei

Hi

XXIV VII. viri Epulonum

Hi primo iij.uiri creati fuerunt anno urbis DLVIII. *L. Furio Sp.F. Purpureone M. Claudio M.F. Marcello cos. Post à Sulla Dictatore* VII. *facti. Cicero in oratione de haruspicum responsis, Liuius lib. xxxiij. Valerius Maximus lib. ij. Gellius lib. I. cap. xij. ex Antistio Labeone. Augustinus lib. iij. de ciuitate Dei*

XXV II. Viri aedis locandae

Liuius libro uigesimosecundo

XXVI II. Viri aedis faciundae

Liuius libro septimo

XXVII II. Viri aedis dedicandae

Liuius libro uigesimosecundo

XXIIX III. Viri aedificandis aedibus sacris incendio consumptis

Liuius libro uigesimoquinto

XXIX III. Viri sacris conquirendis, donisque persequendis

Liuius libro uigesimoquinto

XXX Sacerdotes deorum singulorum

XXXI Antistites templorum singulorum

ex uetustis inscriptionibus

NOMI-

NOMINA. MINISTRORVM SACERDOTVM. POPVLI. ROMANI

Camilli

Camillae

Pueri & puellae patrimi & matrimi a Romulo instituti. Dionysius libro primo

Flaminij

Flaminiae

Flaminum flaminicarumque ministri. Festus

Aeditimi

Alias

Aeditui

Varro lib. iiij. de lingua Latina

Scribae publici pontificum

A. Commentarijs xv. virum sacr. fac

Adiutores haruspicum

Kalatores sacerdotiorum

Tibicines qui sacris publicis praesto sūt

Ex antiquis inscriptionibus

Tubicines

Sex. Pompeius

Pullarij

Cicero ij. de Diuinat. Liuius lib. x. Lapides

Popae

Tranq. in Caligula. Spartian. in Geta. Propert. lib. iiij.

Victimarij

Liuius, Victor, Valerius

Lictor flaminius

Festus

Flaminis Dialis praecia

Alias

Praeclamitator

Gellius, Plutarchus, Sex. Pompeius

Lictores vj. virginum vestalium

Tranquillus, Plutarchus, Gellius

Praefica

Sex. Pompeius. Varro, Nonius Marcellus

Designator

Sex. Pompeius, Cicero

Vespa *Alias* Vespillo

Sex. Pompeius

Haec itaque sunt omnium sacerdotiorum, eorundemque ministrorum nomina, quae quanta potui diligentia in uetustis monumentis collegi. Quorum maximam partem Numa rex instituit, uel ante institutam certis quibusdam regulis additis reformauit. Porro autem reliqua Numae instituta omisi, tum quod ex Liuio, & Dionysio notißima sint: tum etiam quod de ijs abunde in comẽtarijs fastorum uerba feci. Ceterum ante quam ad ceterorum regum gesta explicanda deueniam rem utilem antiquitatum studiosis me facturum esse arbitratus sum, si tractatum diui ST. Caecilij Cypriani huic de sacerdotijs dispu tatio-

tationi ſuggeram, quem ille de Idolorum uanitate ſcriptum reliquit. In quo idolatriae origo, cauſsae, & incrementa referuntur. Multaque de dijs Romanis, oraculis, delubris, diuinationibus augurijs, & reliquis eiuſmodi cognitu digniſsima, a ſanctiſs. uiro explicantur. In quo poſtremo, & antiquorum ſuperſtitio, & Christianae fidei puritas demonſtrantur. Res quae ad eorum quae ſcripſi intelligentiam maxime conducunt, quum eorundem inſtitutionem aperiant

DIVI. ST. CAECILI. CYPRIANI TRACTATVS. IIII. DE. IDOLORVM VANITATE

Quod Idola dij non ſint, & quod unus deus ſit, & quod credentibus datum ſit deos non eſſe, quos colit uulgus, hinc notum eſt. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos poſtmodum etiam in morte coeperunt: Inde illis inſtituta templa: inde ad defunctorum uultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulacra. Nam & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando honores celebrabant: Inde poſteris facta ſunt facra, quae primitus fuerant aſſumpta ſolatia. Nam ut uideamus an ſtet haec apud ſingulos ueritas, Melicertes & Leucothea praecipitantur in maria, & fiunt poſtmodum maris numina. Caſtor, & Pollux alternis moriuntur, ut uiuant. Aeſculapius ut in deum reſurgat, fulminatur. Hercules, ut hominem exuat, Oeteis ignibus concrematur. Apollo Admeti pecora pauit. Laomedonti muros Neptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accepit. Antrum Iouis in Creta uiſitur, & ſepulchrum eius oſtẽditur, & ab eo Saturnum fugatum eſſe manifeſtum eſt: inde Latium de latebra eius nomen accepit. Hic litteras imprimere

hic ſignare nummos in Italia primus inſtituit, unde aerarium Saturni uocitatur. Nam & ruſticitatis hic cultor fuit, inde ferens falcem pingitur: hunc fugatum hoſpitio Ianus excepit, de cuius nomine Ianiculum dictum eſt, & menſis Ianuarius inſtitutus eſt: ipſe bifrons exprimitur, quod in medio conſtitutus annum incipientem pariter & recedentem ſpectare uideatur. Mauri uero manifeſte reges colunt, nec ullo uelamento hoc nomen obtexunt: Inde pergentes & prouincias ſingulas uaria deorum religio mutatur, dum non unus ab omnibus deus colitur, ſed propria cuique maiorum ſuorum cultura ſeruatur: hoc ita eſſe Alexander Magnus inſigni uolumine ad matrem ſuam ſcribit, metu ſuae poteſtatis proditum ſibi a pijs hominibus, a ſacerdote ſecretum, quod maiorum regum memoria ſeruata ſit, inde colendi, & ſacrificandi ritus inoleuerit. Si autem aliquando dij nati ſunt, cur non hodie quoque naſcuntur? niſi forte Iuppiter ſenuit, aut partus in Iunone defecit. Cur uero deos putas pro Romanis poſſe, quos ſaepius uideas nihil pro ſuis aduerſus eorum arma ualuiſſe? Romanorum autẽ uernaculos deos nouimus: Eſt Romulus peierante Proculo deus factus, & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus, & Conſus quẽ deum fraudis uelut conſiliorũ deum coli Romulus uoluit, poſtquã in raptũ Sabinarũ perfidia peruenit. Deam quoq; Clocinã Tatius adinuenit et coluit, Pauorẽ Hoſtilius atq; Pallorẽ, mox a neſcio quo Febris dedicata, & Acca, & Flora meretrices: hi dij Romani. Ceterũ Mars Thracius, et Iuppiter Creticus & Iuno uel Argiua, uel Samia, uel Poena, & Diana Taurica, & deorum mater Idaea, & Aegyptia portenta non numina, quae utique ſi quid poteſtatis habuiſſent, ſua ac ſuorum regna ſeruaſſent. Plane ſunt apud Romanos & uicti penates, quos Aeneas profugus aduexit. Eſt & Venus calua, multo hic turpius calua, quam apud Homerum uulnerata. Regna

autem non merito accidunt, sed sorte uariantur. Ceterum imperium ante tenuerunt & Assyrij, & Persae, & Graecos, & Aegyptios regnaße cognouimus. Ita uicibus potestatū Romanis quoq; ut & ceteris imperandi tempus obuenit. Ceterum si ad originem redeas, erubescas. Populus de sceleratis & nocentibus congregatur, & asylo constituto facit numerum impunitas criminum. Nunc ut rex ipse principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida. Atque ut matrimonium faciat, rem concordiae per discordiam auspicatur. Rapiunt, ferociunt, fallunt ad copiam ciuitatis augendam. Nuptiae sunt illis rupta hospitij foedera, & cum soceris bella crudelia. Est & gradus summis in Romanis honoribus consulatus. Sic consulatum coepiße uidemus ut regnum. Filios interficit Brutus, ut crescat de suffragio sceleris commendatio dignitatis. Non ergo de religionibus santis, nec de auspicijs, aut augurijs Romana regna creuerunt, sed acceptum tempus certo fine custodiunt. Ceterum & Regulus auspicia seruauit, & captus est, & Mancinus religionem tenuit, & sub iugum missus est. Pullos edaces habuit Paullus, & tamen apud Cannas caesus est. C. Caesar ne ante brumam in Africam nauigia transmitteret augurijs, & auspicijs retinentibus spreuit, eo facilius, & nauigauit, & uicit. Horum autem omnium ratio est illa quae fallit & decipit, & praestigijs caecantibus ueritatem stultum & prodigum uulgus inducit. Spiritus insynceri & uagi, qui posteaquam terrenis uitijs immersi sunt, & a uigore coelesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & deprauati errorem prauitatis infundere: hos & poetae daemonas norunt, & Socrates instrui se & regi ad arbitrium daemonij praedicabat, & magis inde est ad perniciosa uel ludicra potentatus, quorum tamen praecipuus Sosthenes formam ueri dei negat conspici posse, et angel os ueros

ſedi eius dicit aßiſtere. In quo Plato pari ratione conſentit, & unum deum ſeruans, ceteros angelos uel daemonas. Hermes quoque Triſmegiſtus unum deum loquitur, eumque incomprehenſibilem atque inaeſtimabilem confitetur. Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis diliteſcunt. Hi afflatu ſuo uatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, auiũ uolatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa ueris ſemper inuoluunt. Nam & falluntur, & fallunt, uitam turbant, ſomnos inquietant, irrepentes etiam ſpiritus corporibus occulta mentis terrent, membra diſtorquent, ualetudinem frangunt, morbos laceſſunt, ut ad cultum ſui cogant, ut nidore altarium & rogis pecorum ſaginati remiſßis quae conſtrinxerant, curaſſe uideantur. Haec eſt de illis medela, cum ipſorum ceſſat iniuria, nec aliud his ſtudium eſt quam a deo homines auocare, & ad superſtionem ſui ab intellectu uerae religionis auertere, & cum ſint ipſi poenales, quaerere ſibi ad poenam comites, quos ad crimen ſuum fecerunt errore participes. Hi tamen adiurati per Deum uerum nobis ſtatim cedunt & fatentur, & de obſeßis corporibus exire coguntur. Videas illos noſtra uoce & oratione occulte flagellis cedi, igni torqueri, incremento poenae propagantis extendi, eiulare, gemere, deprecari unde ueniant, & quando diſcedant, ipſis etiam qui ſe colunt audientibus confiteri, & uel exiliunt ſtatim, uel euaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aſpirat. Hinc uulgus in odium noſtri nominis cogunt, ut nos odiſſe incipiant homines antequam noßе, ne cognitos aut imitari poßint, aut damnare non poßint. Vnus igitur omnium dominus deus. Neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem.
Ad diuinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine

cruore

cruore desiit? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dißidentibus etiam in morte discordia, & Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Pompeius & Caesar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis foedus in aemula potestate tenuerunt. Nec hic tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus, multo magis mundi unus est rector, qui uniuersa quaecunque sunt uerbo iubet, ratione dispensat, uirtute consummat. Hic enim uideri non potest, uisu clarior est. Nec comprehendi, tactu purior est. Nec aestimari, sensu maior est. Et ideo sic deum digne eum aestimamus, dum inestimabilem dicimus. Quod uero templum habere poßit deus, cuius templum totus est mundus, & cum homo latius maneat intra unam aediculam, uim tantae maiestatis includat? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen dei quaeras, deus nomen est illi, illic uocabulis opus est, ubi proprijs appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo qui solus est, dei uocabulum totum est. Ergo unus est, & ubique totus diffusus est. Nam, & uulgus in multis deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui auctoris, & principis admonetur. Dici frequenter audimus, o deus, & deus uidet, & deo commendo, & deus mihi reddet, & quod deus uult, & si deus dederit. Atque est haec summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non poßis? Quod uero, & Christus sit, & quomodo per ipsum nobis salus uenerit, sic est ordo, sic ratio. Iudaeis primum erat apud deum gratia, sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus obediebāt. Inde illis, & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit. Sed illi negligentes disciplinae superbi postmodum facti, & fidutia patrum inflati, dum diuina praecepta con-

temnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam fuerit illis profana uita, quae contracta sit uiolatae religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui & si uoce tacent, exitu confitẽtur. Dispersi & palabundi uagantur soli. Et coeli sui profugi per hospitia aliena iactantur. Necnon deus ante praedixerat fore, ut uergente seculo, & mundi fine iam proximo, ex omni gente & populo & loco cultores sibi eligeret deus multo fideliores, qui indulgentiam de diuinis muneribus haurirent, quam acceptam Iudaei contemptis religionibus perdidissent. Indulgentiae igitur huius & gratiae arbiter & magister sermo & filius dei mittitur, qui per prophetas omnes illuminator & doctor humani generis praedicabatur. Hic est uirtus dei, hic ratio, hic sapientia eius, & gloria, hic in uirginem illabitur, carnem spiritu sancto cooperante induitur. Deus semper cum homine miscetur, hic deus noster, hic CHRISTVS est, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad patrem. Quod homo est esse CHRISTVS uoluit, ut & homo posit esse quod CHRISTVS est. Sciebant & Iudaei CHRISTVM esse uenturum. Nam hoc illis semper prophetis monentibus annuntiabatur. Sed significato duplici eius aduentu: unum, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur: alterum, qui deum fateretur, non intelligendo primum aduentum, qui in paßione praeceßit occultus, unum tantum credũt, qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Iudaeorum populus intelligere non potuit delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiae, & intelligentiae caecitate mulctati, ut qui uita indigni essent, haberent uitam ante oculos, nec uiderent. Itaque cum CHRISTVS secundum a prophetis praedicta, uerbo & uocis imperio daemonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret caecos, claudis greßum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elemen-

elementa famulari, seruire uentos, maria obedire, inferos cedere, unum qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, alterum qui dominum fateretur non intelligendo. Iudaei qui illum crediderant hominem tantum de humilitate carnis & corporis existimabant, magnum diligentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos & doctrina ille, & sapientia reuincebat, accensa ira, & indignatione prouocata, postremo detentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem eius & mortem suffragijs uiolentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc eos facturos & ipse praedixerat, & prophetarum omnium testimonium sic ante praecesserat, oportere illum pati, non ut sentiret mortem, sed ut uinceret: & eum passus esset denuo a superos regredi, ut uim diuinae maiestatis ostenderet. Fidem itaque rerum cursus impleuit. Nam & crucifixus, praeuento carnificis officio, spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus a mortuis sponte surrexit. Apparuit discipulis suis talis ut ante fuerat, & agnoscendum se uidentibus praebuit, simul uictus, & substantiae corporalis firmitate conspicuus ad dies quadraginta remoratus est, ut denuo ad praecepta uitalia instrui possent & discerent quae docerent. Tunc in coelum circunfusa nube sublatus est, ut hominem quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad patrem uictor imponeret: Iam uenturus e caelo ad poenam diaboli, & censuram generis humani, ultoris uigore & iudicis potestate: per orbem uero discipuli magistro & deo monente diffusi praecepta dei in salutem darent, ab errore tenebrarum ad uiam lucis adducerent: caecos & ignaros ad agnitionem ueritatis ocularent. Ac ne esset probatio minus solida, & de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa poenarum genera tentantur. Dolor qui ueritatis testis est admouetur, ut Chri-

stus dei filius qui hominibus ad uitam datus creditur, non tantum praeconio uocis, sed & paßionis testimonio praedicatur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem, caelum pariter & patrem quaerentibus, & credentibus pollicentem. Quod est Christus erimus Christiani, si Christum fuerimus secuti

Tullus Hostilius rex III

Hic, ut quidam tradidere, primus Romanorum regum sellam curulem, lictores, togamque pictam inuenisse dicitur. Albam diruit, Albanosque omnes in urbem recepit, plebem quidem ciuitate donauit, primores Albanorum in patres legit, inter quos nobiles familiae fuere Iulia, alias Tullia, Seruilia, Quinctia, Gegania, Curiatia, Cloelia, Quinctilia, & Atilia. Reliqua huius regis gesta conscripsi supra libro primo, itē in Fastorum commentarijs, & multa praeterea libro tertio de eodem rege afferam. Haec Dionysius, Liuius, & reliqui

Ancus Marcius rex IIII

Ancus Marcius Numae ex filia nepos rex Romanus creatus, sacrorum caerimonias a Numa institutas, & paulatim abolitas renouauit. Fines imperij protulit, Salinarum uectigal instituit, carcerem medio foro ad terrorem crescentis audaciæ primus aedificauit, ius fetiale (ut quidam tradunt) ab Aequicolis acceptum ordinauit, quamquam multi sint, qui hoc institutum Numae tradant. Multa praeterea bella geßit, de quibus libro tertio mentionem faciam. Dionysius, Liuius, Eutropius. & cetera

L.

L. Tarquinius Priscus rex v

L. Tarquinius Priscus Damarati Corinthij exulis filius, quum regnum Romanum post Ancum suscepisset, reipublicae augendae studiosus, centum ex plebe patricios legit, qui auctore Liuio, patricij minorum gentium dicti sunt. Quamquam omnes ego minorum gentium patricios esse existimem, qui post centum primos a Romulo lectos facti sunt. Senatorum numerum ad CCC. auxit, circum maximum fecit, ludos magnos, siue Romanos instituit, equitum centurias duplicauit, & pleraque alia geßit, quae in commentarijs Fastorũ rettuli, libroq; tertio afferam. Ex Dionysio, & Liuio, &c

Ser. Tullius rex vi

Nullus mea sententia post Romulum salubrior rex urbi fuit, quam Ser. Tullius rex Romae post socerum Tarquiniũ creatus; qui praeter alia gesta, tribus Romanas primus in urbanas rusticasque diuisit, censum instituit, lustrum condidit, primum comitia centuriata ordinauit, compitalitios ludos fecit, populo annonam, mensuras, & pondera inuenit, aereum nummum percußit, multaque praeterea uel bello, uel pace praeclara geßit, de quibus in commentarijs Fastorum disserui. Ceterum hoc loco de tribus potißimum eius publicis institutis disputare mihi ipsi constitui, quae cognitu non indigna, & huius mei de ciuitate Romana libri praecipuae partes sunt. Erit autẽ prima de tribubus disputatio, post de censu, deinde de comitijs centuriatis. Quibus institu tis magna totius reip. Romanae pars constituta fuit. Atque ante omnia de tribubus Romanis, quas ante instituit primum disputare aggrediar

DE

DE.TRIBVBVS.ROMANIS

Inter praeclara regis Ser.Tullij gesta, qui multas res saluberrimas tanto futuro imperio prouidentißime instituit, non postremum locum tenet tribuum urbanarum, rusticarumque distinctio, quam ab illo primum factã fuisse omnes ueteres scriptores profitentur. Quum autem tribuum cognitio, res ut utilis & neceßaria, ita difficilis & obscura hactenus fuerit, mihi ipsi constitui, hoc loco, quo Ser.Tullij gesta scribere aggressus sum, de eisdem disserere, atque quantum rei difficultas permittet, obscura quaeque explanare, uerumque XXXV. tribuum numerum, & nomina, atque quid de eis quae superfluae uidentur, sentiendum sit, aperire. Cuius rei tractationem, quo distinctius intelligi poßit a Romulo paulo altius repetam. Nam is primus tribus tres constituit

DE.PRIMIS . TRIBVS . ROMVLI TRIBVBVS

Vrbem Romam *& agrum in tres partes, quas etiam tribus appellauit, &* XXX. *curias, primus* Romulus *diuisit, ut* M.Varro *libro quarto de lingua* Latina, *& alij ueteres scriptores tradunt:* Ager Romanus *(inquit* Varro*)primũ diuisus in partes tres, a quo tribus appellatae* Tatientiũ, Ramnum, Lucerũ; *nominatae(ut ait* Ennius*)*Tatienses *a* Tatio, Ramnẽses *a* Romulo, Luceres*(ut ait* Iunius*) a* Lucumone, *sed omnia haec uocabula* Tusca, *ut* Volumnius *qui tragoedias* Tuscas *scripsit, dicebat.* Dionysius *libro secundo. Diuisa in tres partes omni multitudine singulis partibus praefectum constituit eum, quem illustrißimum ac nobilißimum censebat.* Tum *singulas*

trium partium rursus in decem partes distribuit, totidemq; singulis praefectos dedit, qui essent fortißimi, ac maiores quidem partes tribus, minores curias appellauit, ut etiam ad nostram usque aetatem uocantur. Qui tribubus tribuni, qui curijs præerant, curiones uocati: diuisaeque sunt rursus curiae in decurias, uocabaturque singularum praefectus decurio. Postquam autē hoc modo omnes in tribus, & curias descripti sunt, agrum urbanum omnem in triginta aequales partes distribuit, ac singulis curijs suam partem attribuit. Liuius libro decimo. Quuum inter augures constet imparem numerum debere esse, ut tres antiquae tribus, Ramnenses, Tatienses, Luceres, suum quæq; augurē habebat. Pedianus oratione III. in Verrē. Tribus principio tres fuerūt Tatiēsis una a Tatio rege, Ramnēsis altera a Romulo, Luceres altera a Lucumone, siue Lucretino, siue a luco, quem lucum asylum uocauerat Romulus. Obtinuerunt autem nomen, aut a tributo dando, aut quia primo tres fuerūt, unde etiam tribuni dicti. Plutarchus in Romulo: Eodem tempore in tres tribus tota ciuitas diuisa, Ramnenses a Romulo, a Tatio Tatienses appellatas, tertiae tribus homines Luceres dicti, a luco Asyli in quem multi fuga delati, ciuitate donati sunt. Tribus autem tres ipsas fuisse numero nomen ipsum indicat. Quibus qui praeerant tribunos uocabant. Singula autem tribus decem continebat curias. Pomponius I. II. II. Dicti tribuni quod olim in tres partes populus diuisus erat, & ex singulis singuli creabantur, uel quia tribuum suffragio creabantur. Et Propertius libro quarto, Eleg. I

Prima Galeritus posuit praetoria Lygmon
Magnaque pars Tatio rerum erat inter omnes
Hinc Tities, Ramnesque uiri, Luceresque coloni
Quattuor hinc albos Romulus egit equos

Et Sex. Pompeius: Titiensis tribus a praenomine T. Tatij re-

gis appellata uidetur. Pediani & Plutarchi sententiam de Lucerum appellatione, qui Luceres a luco asyli dictos fuisse scribunt, maxime probo, ueram enim eam esse existimo. Nam hi, qui cum Romulo primo urbem condiderunt, ut pastores, Albani, aliquot Graecanici generis, qui tum Palatium & Capitolium habitabant, Ramnenses a Romulo nominati fuerunt, qui Palatium, & montem Coelium post conditam urbem coluerunt. Tatienses autem fuerunt Sabini & quotquot ab ea regione, uel cum T. Tatio, uel postea uenerunt, hi Capitolium & Quirinalem coluerunt. Ceteri aduentitij, ut Etrusci & Latini, & perfugae omnes qui ad Asylum confugerant, Luceres a luco Asyli denominati sunt. Hi loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum forum tenuere. Et quamquam auctores habeam, qui tertiam tribum Lucerum, a Lucumone Etrusco, qui Romulo bello laboranti contra Sabinos praesto fuit, dictam uelint, quemadmodum Coelium montem ab altero Tuscorum duce Vibenna Coelio appellatum fuisse scribunt, magis tamen Plutarchi & Pediani sententiam adducor, ut probem, quod Lucerum a luco appellatio longe amplior sit, atque plus comprehendat, quam a Lucumone deriuata. Liuius libro primo. Has tribus centurias equitum uocat, quod ex singulis ijs tribubus centum equites scripti essent. Eodem (inquit) tẽpore & centuriae tres equitum conscriptae sunt, Ramnenses a Romulo, ab T. Tatio Tatienses appellati, Lucerum nominis & originis caussa incerta. Sex. Pompeius: Turmam equitum dictam esse ait Curiatius, quasi terimam, quod ter deni equites ex tribus tribubus, Tatiensium, Ramnum, Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ex eo in singulis turmis sunt, etiam nunc terni. Et M. Varro libro quarto. Tribuni militum dicti, quod terni tribus tribubus Ramnensium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mitteban-

bantur. Porro autem hae tribus tres usque ad Tarquinij (ut opinor) Prisci tempora permanserunt. Nam quum sub Tullo Hostilio Albani in Ramnensium tribum adscripti, ceterique omnes populi, qui sub regibus Romam uenerunt ad habitandũ, praeter Sabinos Lucerum tribui inclusi fuissent, urbeque multum aucta, hae tres tribus non sufficerent, L. Tarquinius Priscus sub iisdem quibus inauguratae erant nominibus eas duplicauit, primosque & secundos Tatienses, Ramnenses, & Luceres constituit, quod idem etiam de equitum centurijs Liuio, & Dionysio auctoribus fecit. Cuius rei ita meminit Sex. Pompeius: Sex. Vestae sacerdotes constitutae erant, ut populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum, quia ciuitas Romana in sex erat distributa partes, in primos secundosque Tatienses, Ramnes, & Luceres. Et Liuius libro primo. Neque tum Tarquinius de equitum centurijs quicquam mutauit numero tantum alterum adiecit, ut mille octingenti equites in tribus centurijs essent, posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant appellati sunt, quas nunc quia geminatae sunt, sex uocant centurias. Ita autem hae tribus fuerunt, usq; ad Ser. Tullium

DE . TRIBVBVS . SERVI TVLLI . REGIS

Lucerum multitudine crescente, quum ea una aduenticiorum tribus mirum in modum aucta esset, ita ut ea sola reliquas duas longe superaret, aucta quoque ciuitate, quum urbis moenia septem montibus occupatis, ampliata fuissent, Ser. Tullius rex urbem denuo in quattuor, agrum uero Romanum in quindecim, uel ut alijs placet XVII. partes, quas Romuli exemplo tribus appellauit, diuisit. Ex quibus quattuor quae intra

ur-

urbem erant urbanas, reliquas uero quae in agro rusticas appellauit. Tribus autem urbanas quattuor, non ut Romulus ab auctore, uel gentis origine, siue casibus, sed a locis quos colebant Seruius nominauit. In primam enim tribum uel regionem coniecit omnes, qui montem Coelium, et finitima loca plana habitarent orientem uersus, quam Suburanam appellauit, quod esset sub antiqua urbe, uel a pago Sucusano, ut scribit Varro. Secunda regio uel tribus dicta est Esquilina, haec Esquilias cõtinebat, tertia regio duos colles comprehendebat Quirinalem, & Viminalem a quibus Collina appellata: quarta regio sola complectebatur fere totum id spacium, quod antiquae tres sub Romulo: continebat enim Palatium, forum & Capitolium, dictaque Palatina a Palatio ipso tanquam primo colle, in quo urbs condita esset. Ab his igitur regionibus tribus quoque quatuor urbanae appellate sunt. M. Varro: Ab hoc quoque (inquit) quattuor partes urbis tribus dictae: & ab loceis, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina. Sex. Pompeius: vrbanas tribus appellabant, in quas urbs erat dispartita a Ser. Tullio rege. i. Suburana, Palatina, Esquilina, Collina. Et Liuius lib. primo: Quadrifariam urbe diuisa ab Ser. Tullio, quae habitabantur partes tribus eas appellauit. Et Dionysius lib. iij. Ser. igitur Tullius ubi muro septem colles complexus est, in quattuor partes urbem diuisit, & cognomina cuique parti imposuit ex collibus. Vnam quidem uocans Palatinam, aliam Suburanam, tertiam Collinam, & quartam Esquilinam, quattuorque tribuum fecit urbem, quae eo usque fuerat trium, neque amplius tres tribus generis siue originis, ut antea, sed quattuor a locis a se designatis dictas, esse uoluit, creauitque partibus singulis principes tribuum siue uicorum praefectos, quos scire iußit ubi quisque habitaret, statuitque homines, qui in unamquanque partem abituri essent, tanquam eius loci incolas

in nullam aliam transferri poße habitationem, nulloque alio loco, uel tribu, nomina in militia darent, uel tributum penderent, quã in ea in qua coniecti & descripti fuerãt tribu. Hae autem sunt caussae, & origo quattuor primarum tribuum, quas quod intra urbem essent, urbanas appellauit. Quo tempore, alius factus est tribuum, alius uero curiarum ordo, nã tribus locis, curiae uero quibusdam sacris tantum conueniebant. Subsequenti tempore nobiles omnes qui in tribus urbanas coniecti fuerant a Ser. Tullio rege, paulatim in rusticas se se transtulerunt, atq; urbanae tribus humiles admodum et nõ nisi tenuiorum hominum esse coeperunt, sed haec latius paulo post. Expeditis quae ad tribus urbanas in uniuersum pertinent, nunc de ijs singillatim est modo disputandum

PRIMA. TRIBVS. SVBVRANA

Inter quattuor tribus vrbanas in quas Ser. Tullius rex vrbem diuisit, M. Varro primam enumerat Suburanam a Subura appellatam, sic: Reliqua vrbis loca olim discreta, ut Argaeorum sacraria, in septem et uiginti partes urbis sunt disposita: e queis prima est scripta regio Suburana, secunda Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina. Et Paulo post: Eidem regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum esset; uel ut Iunius scripsit, ab eo, quod fuerit sub antiqua vrbe, cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus uocatur: sed ego a pago potius Sucusano dictã puto Sucusam. Nunc scribitur tertia littera B. non C. Pagus sucusanus quod succurit Carineis. Ita Varro lib. iiij. de lingua Latina. Sex. Pompeius: Suburam Verrius alio libro a pago Sucusano dictam ait. Hoc uero maxime probat eorum auctoritatem, qui aiunt ita appellatam, & regionem vrbis & tri-

bum a statiuo praesidio, quod solitum sit succurrere Esquilijs infestantibus eam partem vrbis Gabinis, indicioque esse, quod adhuc ea tribus per C. litteram, non B. scribatur. Quinctilianus quoque lib. primo cap. xvij. Subura cum tribus notatur C. tertiam ostēdit. Haec (ut dixi) Coelium montē et circumadiacentia loca complectebatur. Huius tribus in antiquis inscriptionibus ita mentio est

Romae ante arcum Septimij Seueri Aug

PACI . AETERNAE
DOMVS
IMP . VESPASIANI
CAESARIS . AVG
LIBERORVM.QVE.EIVS.SACRVM
TRIB . SVC . IVNIOR

Lauinij

C . ATTIO . T . F . SVB
VITALIANO
DOMO . CELEAE
VETERANO . LEG . V
AVG . MILITAVIT . ANN
XXXVIII . VIX . AN . LVIIII
IN. FR.P.XI.IN.AGR.P.XVI

Romae in musaeo Card. Carpensis

L . AVFVSTI . L . F . SVBVRA . RVFINI . CEN
COHOR.VII.VIGIL.ROM.CANDIDAT
TI.CAESARIS.ET.AVFVSTIAE.SVPERANTIAE
ET.AVFVSTI.ET.AVFVSTIAE.GEMEL. OLL. IIII
L . AVFVSTIVS . L . F . SVB . FVSCVLVS.MAIOR
L . AVFVSTIVS . L . F . PALATINA. SERENVS.M
EX.CAVSSA.LEG.FACIVN.CVR

TRI-

TRIBVS . II. ESQVILINA

Inter vrbanas secunda tribus scribitur a Varrone Esquilina, quod in Esquilino monte esset, appellata. De Esquilijs uero satis supra dixi. De hac tribu hoc extat epigramma Romae in aedibus Gentilis Delphinij Romanarum antiquitatum asyli

DIS . MANIB
M.FABI.M.F.ESQ.REGILLI.ET. FABIAE....
FABIA.M.ET.Ɔ.LIB.ARETE.ARCHIM........
TEMPORIS.SVI.PRIMA.DIVRNA.FEC.....
SIBI.ET.SVIS.QVIBVS.LEGAVIT.TESTA.....

TRIBVS. III. COLLINA

Tertia tribus Collina, ut tradit Varro, a collibus Quirinali & viminali in quibus sita erat, appellata est. De qua Iosephus lib. xiiij. cap. xvij. sic meminit. L. Coponius L.F. Collina. Huius quoque tribus in antiquis inscriptionibus mentio est ita

Romae in Auentino in coenobio S. Alexij
C. VETTIO. C. F
COL. NIGRO
DOMO. ANTIOCHIA
SYRIA
VETERANO. LEG. XII
FVLMINAT
MILIT. ANN. XXVI
VIXIT. ANN. LVII
EX.TESTAMENTO

Auximi

Q. PLOTIO . MAXIM
COLLIN
TREBELLIO . PELIDIANO
EQ. PVB
TRIB. LEG. II. TRAIAN. FORT
TRIB. COH. XXXII. VOLVNT
TRIB. LEG. VI. VICTRIC
PROC. AVG
PROMAGIST. XX. HERED
PRAEF. VEHICVLOR
QQ. PATR. COL. ET. SVO. PONT
COL. FABR. AVXIM. OB
EXIMIVM. INTER. MVNICIP
SVOS. AMOREM
L. D. D. D

Tibure

Q. HORTENSIO
Q. F. COL
ADVOCATO. FIS
CI. PRAEF. FABR
PATRONO. MVNICIPI
COLLEGIVM. FABRVM
TIBVRTIVM. OB
MERITA
L. D. S. C

TRIBVS. IIII. PALATINA

Inter vrbanas quarta fuit tribus Palatina auctore Varrone, a Palatino monte denominata, quem cum foro & Capito-

pitolio obtinebat. De qua ſic Cicero ſcribit oratione iiij. in Verrem: C. Claudius C. F. Palatina. Et Aſconius eo loco ſic: Alibi ait L. Claudium Palatina. Infinita propemodum ſunt uetuſta monumenta quae huius tribus mentionem faciunt, in quibus PAL. PALAT. PALATIN. PALATINA, & PALATEINA appellatur, quorum praecipua haec ſunt

Anagniae

L. COMINIO. L. F. L. N. PAL
FIRMO. PR. Q. AER. ET. ALIM
OPPIAE. SEX. ET. Ɔ. L. EVNONEAE
EXEMPLVM. PERIIT. CASTAE. LVGETE. PVELLAE
OPPIA. IAM. NON. EST. EREPTA. EST. OPPIA. FIRMO
ACCIPITE. HANC. ANIMAM. NVMEROQVE. AVGETE. SACRO
ARRIA. ROMANO. ET. TV. GRAIO. LAODAMIA (RVM
HVNC. TITVLVM. MERITIS. SERVAT. TIBI. FORMA. SVPER-
SIBI. SVIS. POSTERIS. QVE. EORVM (STES

Romae via Latina

T. AVRELIO. T. F. PAL
VERO
MOPSVESTIA
MIL. COH. VIIII. PR
T. AVREL. T. F. PAL
POMPONIVS
VALERIANVS
FRATRI. OPTIMO. POS

Beneuenti ante carceres

M. GAVIVS. M. F. PALAT
SABINVS. SCRIBA. AEDIL
I. D. PRAEF. FAB
SIBI. ET
NASENNIAE. M. F
IVSTAE. VXORI. B. M

Romae in hortulis Colotianis

FORTVNAE . AVG
L.LICINIVS.L.F. PALA
TINA . SABINVS
VOT. DD
XIIII . KAL . FEBR
M.IVNIO.SILANO.ET
L . NORBANO . COS

Haec itaq; sunt quattuor urbanae tribus, in quas quanquam ab initio nobiles omnes coniecti fuissent, paulatim tamen postea se subduxerunt, et in rusticas relati sunt, quum forensi turbae, & tenuioris fortunae hominibus urbanas reliquissent. Vnde Plinius libro xviij.cap.iij.ita scripsit: Rusticae tribus laudatissimae, eorum qui rura haberent; vrbanae uero in quas transferri ignominiae esset, desidiae probro. Itaque quattuor solae erant a partibus vrbis in queis habitabant: Suburana, Palatina, Collina, Esquilina. Liuius lib.ix. Q.Fabius censor ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam, in quattuor tribus coniecit, urbanasque eas appellauit, Maximi cognomen adeptus est. Florus ex Liuio in epitoma libri xx. Libertini in quattuor tribus redacti sunt quum antea dispersi fuissent, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, & Collinam. Asconius in Oratione pro Milone: Libertini (inquit) in vrbanis tribubus suffragium ferebant. Quae praecipua caußa fuit, ut nobiles se ex vrbanis subduxerint, et in rusticas, quae horum hominū colluuie carebant, transierint

DE.TRIBVBVS.RVSTICIS

De tribuum rusticarum numero a Ser. Tullio instituto parum inter uetustissimos auctores conuenit. Fabius enim Pictor tra-

tradidit, agrum Romanum in sex & uiginti partes, quas tribus appellauit, Ser. Tullium diuisisse; quibus quum quattuor vrbanas addidisset omnium numerum ad xxx. auxit. Venonius uero agrum omnem in unam & xxx. tribus ab eodem rege diuisum scripsit; ita ut quattuor vrbanis additis quinque et triginta tribuum numerum qui posterioribus temporibus fuit, ipse expleuerit. Cato autem longe omnium diligentißimus certum earundem numerum non edidit. Dionysius xvij. rusticas, & quattuor vrbanas ab ipso rege factas fuisse innuere uidetur qui ubi iudicium Coriolani describit, unius & uiginti tribuum numerum tantum tunc fuisse rettulit. Liuius uero haud longe post reges exactos. Ap. Claudio & P. Seruilio cos. tribuum xxi. numerum factum tradit, ut xv. rusticis a Ser. Tullio institutis, tũ duae fortae additae sint atq; xvij. factae. Quibus si quattuor vrbanas addiderimus, omnes erunt xxi. Catonis in primis, post Dionnysii sententiam sequentium xiiij. tribuum adiunctio, quae a T. Liuio accurate refertur cõfirmare uidentur: praesertim quũ Dionysius adeo rerum Romanarũ scriptor diligens nullam xxi. tribuum explectionis mentionem faciat post reges exactos, eas tantum Coriolani iudicio xxi. fuiße scripsit. Haec omnia ut Dionysij, Catonis, & forte Liuij sententias confirmant, ita Pictoris & Venonij refellunt. Pictor quidem multa praeterea scripsisse traditur a uero haud parum abhorrentia, & a Polybio saepe negligentiae reprehenditur. venonij uero opinionem omnino falsam fuisse non est quod demõstrem: quum liquido constet, quibus temporibus xiiij. tribus antiquis xxi. singillatim additae fuerint. Quã ob rem ego in tãta auctorum diuersitate Dionysium in primis, & a quo parũ abhorrere Liuius uidetur, sequar, atque a Ser. Tullio xxi. tribus factas fuisse credam. Nam quod post reges exactos ad xxi. auctae fuerint, quum id a Dionysio pretereatur, a Liuio uero

ita concise & obscure tradatur, ut ne earundem quidem, ut eius consuetudo est, nomina afferat, non suscipiam. Hanc eã dem sententiam accuratiore alia ratione paulo infra confirmabo. quum de xiiij. quae ueteribus xxi. additae fuerunt uerba faciam. Superest igitur ut a Ser. Tullio septemdecim rusticas tribus, & quattuor urbanas factas fuisse dicamus, atque ab eo xxi. numerum auctum. Suggerit lib. iiij. Dionysius. Tullius igitur quum in totidem partes agrum omnem Romanum diuisisset, qui eo tempore ab oriente agris Gabino, & Tiburtino, ab occidente uero, & Septentrione paulo ultra Tiberim, & Anienem, a meridie autem mari terminabatur, neque ab ulla parte plusquam xviij. millia passuum se extendebat, prope montes; rupes, specus, & perfugia collinis securitatem allatura praeparauit, quae pagos appellauit, quò se ex agris omnes recipiebant, quum hostium incursiones fierent, atque in eis saepe pernoctabant. Erant quoque & pagorum magistri quibus nomina colonorum scire curae erat, qui eidem pago attributi erant, atque in eius iurisdictione praedia haberent: & quum opus esset rusticos ad arma uocari, aut uiritim tributa redimi, hi & homines adducebant, & pecunias exigere soliti erãt. Ac ne eorum multitudo difficilis inuentu esset, sed facile numerari & cognosci poßet, aras eos erigere iußit dijs pagi inspectoribus & tutelaribus, quos hostijs publicis magistros pagi cũ omni paganorũ multitudine singulis annis honorare constituit, & hoc solemne inter cetera admodum honorabile instituit, quae Paganalia uocantur. Ac leges eorundem sacrificiorum edidit, quas adhuc Romani obseruant. Iussit autem omnes qui conuentui & sacris Paganalibus interessent, ut per capita singula nummum soluerent, alium quidem uiros, alium feminas, alium impuberes, ex quibus a pagi magistris numeratis, cuius uis sexus & aetatis numerus manifestus erat.

Haec

Haec autē sunt quae de tribubus rusticis uniuersali quadam ratione inueni, nunc eas singulas discribendas aggrediar

TRIBVS.V.ROMILIA

Tribus omnes rusticae, quemadmodum & urbanae, initio a locis in quibus collocatae fuerant nomina acceperunt, nam quod a familijs quaedam earum nomina habeant, id non sub Ser. Tullio sed postea factum est, ut ex Liuio demonstrabo. Quod autem a locis rusticae tribus initio nomē habuerint his uerbis indicat M. Varro libro iiij. de lingua Latina. Ab hoc quoque quattuor partes vrbis tribus dictae: & ab loceis Suburana, Esquilina, Collina, Palatina. Quinta quod sub Roma Romilia. Sic reliquae extra ab ijs rebus, de quibus in tribuum libris scripsi. Ex quibus uerbis, colligimus, & tribus a locis dictas fuisse, & tribum Romiliam, quam quinctam appellat, quod sub Roma esset, uocatam. Hanc aūt eam agri Romani partem obtinuiße crediderim, quae in Tuscia prope vrbis moenia inchoans, secundum flumen, usque ad maris Ostia transtiberim, extendebatur. Quod ex Sex. Pompeio intelligitur, qui de hac tribu sic meminit: Romilia tribus dicta quod ex eo agro censebantur, quem Romulus ceperat ex Veientibus. Eum porro agrum quem Romulus de veientibus cepit, transtiberim in Tuscia fuiße, atque ea parte a Ianiculo uel vaticano usq; ad mare se extendiße referunt Dionysius, & Strabo. Cicero Oratione ij. in Verrem. Fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem Romilia. Asconius ibidem: Romilia nomē est tribus ablatiui casus, ut sit ex Romilia. Cicero in Rullum: A Romilia tribu se initium facturum, populi pars amputetur ordo tamen negligatur, ante rusticis detur ager qui habent, quam vrbanis. De hac tribu octo uetusta uidi epigrammata, quorum unum est hoc uia Gabina inuentum

DIS

DIS . MANIBVS
M . AVRELIO . M . F . ROM
VETVRIO
AVG . N̄ . CARTOPHILA
AVRELIA . PROCVLA
VXOR . ET
AVRELIA . PROCVLINA
MAT . FILIO . PIISS
F . E . C

Romae

L.CASSIVS.L.F
ROM . NIGER
DOMO . ATESTE
MIL.COH.I.PR
MIL. ANN . XVII
VIX.ANN.XXXVII

TRIBVS. VI. CLVSTVMINA

Clustumina tribus, alias Crustumma (utroque enim modo in uetustis inscriptionibus extare animaduerti) a Tuscorum vrbe Clustumina alias Crustumina dicta est. Ita Sex Pompeius: Crustumeriam autem in Sabinis potius quam in Tuscis fuisse crediderim, haud procul ab urbe Anienem uersus. De qua tribu sic Liuius libro XLII. scribit: Postquam consul quae uoluerat dixit, SP. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellauerant, a consule & a tribunis petijt ut sibi paucis ad populum agere liceret. Permissu omnium ita locutus fertur: SP. Ligustinus trib. Crustuminae ex Sabinis sum oriũdus Quirites. Huius tribus Cicero pro Planco, et pro Balbo sic meminit:

minit: In tribum Crustuminam peruenit L. Cornelius Balbus legis de ambitu praemio. Huius tribus quattuordecim inscriptiones uidi, in quibus simul tantum CRV. *semper uero uel* CLV. *uel* CLVST *exaratum erat*

Curibus in Sabinis

L. SVRREDI. L. F. CLV
FELICIS
PROCVRATORI. A B
SCAEN. THEAT. IMP
CAESAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA
OMNES. SCAENICOS

Caerete

TI. CLAVDIO. DIVI. AVG. F
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XX
L. PAVLLVS. L. F. CLV. ATTICVS
PRAEFECTVS. FABRVM. CAER
S. P. EIVS. C. C
Q. Q

Forosempronii

C. HEDIO. C. F. CLVST. VERO
EQVO. PVBL. PRAEF. EQVIT. ALAE
INDIANAE. P. F. TRIB. MILIT. LEG. II
TRAIAN. F. PRAEF. COH. II. LIG. E Q
II. VIR. II. VIR. QINQ. QVAESTORI
PATRONO. MVNICIPI. FLAMINI

TRIBVS.VII.LEMONIA

Sex. Pompeius: Lemonia (inquit) tribus a pago Lemonio appellata est, qui est a porta Capena uia Latina. Cicero in Antonium Ser. Sulpicij. Q. F. Lemonia Rufi meminit. Idem pro Planco. Quid Planco cum Lemonia? De hac tribu plures uidi inscriptiones, inter quas hae fuerunt

Auximi

L. PRAESENTIO. L. F
LEM. PAETO
L. ATTIO. SEVERO
PRAEF. COH. I. AFR
C.R.EQ.IVDICI.SELECTO.EX
V.DEC.PR.AVXIMI.PAT.COL
AEDILI.II. VIR. ANCONAE
VIBIA. L. F. MARCELLA
FLAMINIA.AVGVST
MARITO.OMNIBVS. EXEM
PLIS.DE.SE.BENE. MERITO
CENAM.COLON.ET. EPVL
POP. DEDIT

Romae in colle Palatino

IOVI. OPTVMO
SERVATORI
M.RVSPIVS. M. F
LEMONIA
VLPIANVS. MILES
VETERANVS
S. P
V. T. S

TRI

TRIBVS.VIII. PVPINIA

Tribum Pupiniam in uetustis epigrammatibus PVP.POP PVPINIAM.ET.POPINIAM *exaratam fuisse notaui; magna enim teste Quinctiliano inter* O. *&* V. *affinitas est. Sic Popillia, & Pupillia, Poblilia, & Publilia scribi animaduerti. De hac ita scribit Sex. Pompeius: Pupinia tribus ab agro Pupino. Hic ager in Latio cis Tiberim ad mare uergens, haud longe ab urbe erat. Quod Liuius libro uigesimosexto, his uerbis aperte docet: Hannibal infestius perpopulato agro Fregellano propter intercisos pontes, per Frusinatem Ferentinatemque, & Anagninum agrum in Labicanum uenit. Inde Algido Tusculum petijt, nec receptus moenibus infra Tusculum dextrorsus Gabios descendit. Inde in Pupiniã exercitu dimisso octo millia passuum a Roma posuit castra. Valerius Maximus libro quarto, cap. quarto. Illi etiam praediuites, qui ab aratro accersebantur, ut cos. fierent, uoluptatis caussa sterile, atq; aestuosissimum Pupiniae solum uersabant. Et paulo post: Atilius consulibus scripsit uillicum in agello, quem septem iugerum in Pupinia habebat mortuum esse. Cicero ep. fam.* VIII. *C. Lucretij C. F. Pup. Iuri; & ad Q. fratrem libro primo. Cn. Nerij Pupinia meminit. De qua tribu has suggerere placet inscriptiones*

Saſsinae
L.APPAEO. L. F
P V P
PVDENTI. P. P
TRIB. COH. XII
VRB.ET.X.PRAET
FLAMINI. FLAV
PATRONO

Romae in hortis Iuliis
DIS. MANIBVS
L.TITI.L.F.PVPINIA
MACRI . VI. VIRI
DECVRION
LAVDE. POMPEIA
VIXIT.ANNOS.XXX
T I TIA . RHODE
MATER. ET
SALVIVS. VICTOR
CONLOC.F

TRIBVS.IX.VEIENTINA

De *tribu* Veientina*, Cicero pro Cn. Plancio meminit ita: Quod Plancio cum Lemonia? quid cum Veientina? Haec autem ab agri Veientis parte appellata fuit. Qui Transtiberim in Tuscia supra urbem Veios uersus erat, de Veientibus a Romulo captus, nam agrum a Vaticano mare uersus tribus* Romilia *obtinebat*

De hac quoque uetera haec uidi epigrammata

Q.GAVIVS.Q.F
VEIENTINA
APVSIVS
Item Romae in insula
T.RVNCANIVS
T . F . VEIEN
ASTVRIVS

TRI

TRIBVS.X.GALERIA

Quum animaduerterim unam & uiginti tribus a Ser.Tullio additas, omnes aut a locis, aut a nobilißimis familijs nominatas fuisse, in hanc deueni sententiam, ut Galeria, Pollia, & Voltinia, quae in earum numero fuerunt, a locis quoque appellationem obtinuissent, quorum tamen apud nos memoria omnino interciderit, nam eas familias neque etiam plebeias, necdum patricias fuisse hac potißimum ratione suspicatus sum, quod nullam earundem mentionem unquam fieri cognoui, quemadmodum aliarum familiarum, quae postea tribubus nomina reliquerunt, ut Aimiliae, Corneliae, Fabiae, Horatiae, Menemae, Papiriae, Sergiae, & Veturiae. Nam illud dici non posse existimo, eas quidem familias fuisse, uerum priscis illis temporibus extinctas; quod non statim, ut tribus factae sunt familiarum nomina, sed longo tempore post a nobilißimis familijs obtinuerint. Quod si hae ignobiles uel deperditae familiae fuissent nulla ratione credendum est, eas tribubus nomina sua indidisse. Tribus igitur Galeria & duae sequentes a locis nomina sortitae sunt, nobis modo incognita. Nisi eam a Galeso flumine dictam uelimus Galesam, post Galeriam, cuius fluminis meminit Virgilius, qui in Tuscia erat: de qua Liuius libro uigesimoseptimo ita scribit: Galeria iuniorum, quae sorte praerogatiua erat, Q. Fuluium, & Q. Fabium consules dixerat, eodemque iure uocatae inclinassent. &c. Et Plinius libro septimo, cap. XLVIII. M.Mucium M. F. Galeria Felicem commemorat. In antiquis quoq; lapideis monumentis, ita Galeriae tribus mentionem fieri inueni

Rocae iuxta Neapolim

N . PETTIO . N . F
GAL.RVFO
II.VIRO . Q. ALIMENT
CVR.PEC. PVBLICAE
CVRATORI.FRVMENT
CVLTORES . IOVIS
OB . MERITA . EIVS
L.D.D.D

Compsae

M.MINDIVS . M . F . GAL
MAXIMVS
STATVAM.MERCVRII.OB.HO
NOREM. QVINQ . POSVIT
CVIVS.DEDICATIONE.DEDIT
POPVLO.VIRITIM.DENARIOS
SING. L.D.D.D

Romae

C . ACILIVS . T . F
CAPITO. G A L E
R I A . BILBILI
MIL . COH. X. PR
7 MART
VIX.ANN.XXV . MIL
ANN.IIII. T . P . I

TRIBVS. XI. POLLIA

De tribu Pollia Liuius libro IIX. ita meminit: Tribus omnes praeter Polliam antiquarunt legem in Tusculanos latam. Memoriamque eius irae, Tusculanis in poenae tam atrocis au ctores

ctores mansisse ad patrum aetatem constat, nec quemquã ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre solitum. Et libro XXXIX. Quum ad tribum Poliiam uentum est, in qua M. Liuii nomen erat, & praeco cunctaretur citare ipsum censorem, cita inquit Nero, M. Liuium. &c. Vtriusque rei meminit etiam Valerius libro secundo, cap. quarto. & libro nono cap. decimo. De hac tribu haec antiqua monumenta mentionem faciunt

Romae ad SS. Cosmam & Damianum
SEX. TRVTTEDIO. SEX. F
POL. MAXIMIANO
FVI. AD. SVPEROS. MENSES. VII
TRVTTEDIVS. CLEMENS
TRIB. COH. II. VRB
ET. MARINA. PROCVLA
FILIO. CARISSIMO

In domo Colotij
M. BALLONIO
M. F. POL. PAVLLO
MVTINA
MIL. COH. X. PR. 7
FRONTONIS. MIL
ANN. VIIII. VIX. ANN
XXXVI. T. P. I

TRIBVS. XII. VOLTINIA

De hac tribu Cicero pro Plancio saepe mentionem facit; ita enim ait: Quas tribus edidisti? Terentinam credo, aut Voltiniam? & paulo post: Voltinia tribus ab hoc corrupta, Terentinam habuerat uenalem, quid diceret apud Voltinienses, aut

tribules suos iudices? & alibi: Plures te testes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris. Multos huius tribus lapides uidi in quibus VOL. VOLT. VOLTIN. & VOLTINIA *exaratum erat, ut hic*

Reate

SEX.TADIVS.SEX.F.VOL.LVSIVS . NEPOS
PAVLLINVS
PRO.COS.SORTITVS.PROV. CRET . CYR
LEG.PRO.PR.PROV
AFRIC.PRAEF.FR.D.LEG . PROPR . PROV
ASIAE.LEG.PROPR. PROV
MAC.PRAET.CAND.AED.CVR. Q . PROV
PONT.ET.BIT.TR. MIL. LEG
IIII.F.F.X.VIR.STLITIB.IVDIC.VIII . VIR. II
Q . Q
MVLVIA.C.F.PLACITA.MARITO . OPTIMO
ET . SIBI

Romae apud Gentilem Delphinium

L.I V L I V S
M . F . VOLT
F V S C V S
A Q V E N S I S
O L E A R I V S

In

In hortis Iuliis Romae

INNOCVVS.APER.ECCE . IACES . NON VIRGINIS.IRA
NEC.MELEAGER . ATROX. PERFODIT VISCERA.FERRO
MORS . TACITA . OBREPSIT . SVBITO FECITQVE.RVINAM
QVAE.TIBI.CRESCENTI.RAPVIT.IVVENILE FIGVRAM
T.STATILIO.T.F.VOL. APRO . MENSORI AEDIFICIOR.VIXIT.ANN.XXII . M . VIII D.XV
T . STATIVS . VOLTINIA . PROCVLVS ACCENSVS.VELATVS.ET. ARGENTARIA EVTYCHIA.PARENTES.FILIO. OPTVMO.ET ORCIVIAE.ANTHIDI.VXORI.EIVS . SIBI QVE.ET. SVIS
LIBERIS.LIBERTABVS. POSTERIS . QVE EORVM

TRIBVS.XIII. CLAVDIA

Sequentes nouem tribus, quae familiarum nomina habent, a locis antea appellatas fuisse, praeter Varronis auctoritatẽ, testimonio etiam esse potest tribus Claudia, quae quum uetus eßet, aliudque nomen a loco procul dubio haberet, a gente Claudia in eam relata nouum nomen assumpsit. Quod his uerbis docet libro secundo Liuius : P. Valerio IIII. T. Lucretio II. cos. Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis, aliquantulum inde uirium transtulit ad Romanos. Namque Actius Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen, quum pacis ipse

auctor, a turbatoribus belli premeretur, nec par factioni esset, ab Regillo magna clientium comitatus manu Romam transfugit; his ciuitas data agerque trans Anienem. Vetus Claudia tribus additis postea nouis tribulibus, qui ex eo uenerant agro appellata. Appius inter patres lectus, haud ita multo post in principum dignationem peruenit. Idem tradit Dionysius libro v. his uerbis: Claudius opibus & amicis assumptis ex Sabinis Romam migrauit. Quem S.P.Q.R. in patricios conscripsit, locumque in urbe pro domo construenda concessit. Agrũ quoque ei publicum tradidit, qui inter Fidenas & Piculiam erat, quem posset suis diuidere, a quibus tribus facta est Claudia uocata, quae usque ad mea tempora manet, idemque nomen seruat. Et Virgilius libro septimo

Claudia nunc a quo diffunditur & tribus & gens

Et Pedianus pro Scauro cuiusdam Seruilij Claudia Glauciae meminit

Romae ad turrim Sabellam

C. POETELIVS
C. F. C L A
PAV L L V S
EMONA
MIL. COH. III. PR
7. FECEN
MIL. ANN. VIII
VIX. AN. XXVII
T. F. I

In uinea Carpensi

M. AEMILIO. M. F
CL. NIGRO. ARA
MIL. FRVM. LEG. XXX. V. V
F. C. H.

Ro-

Romae
M. SATVRNIVS
M. F. CLA
MAXIMVS
CELEIA . EQ
COH. X. PR. 7
APTI. MIL. ANN
XII. VIX . ANN
XXX. H. F. C

TRIBVS. XIIII. AIMILIA

Claudiae exemplum multae praeterea tribus sequutae sunt: hae antiquis nominibus quae a locis acceperant dimißis, nobilißimarum gentium, quae in singulas sese transtulerant, nomina acceperunt, ut Aimilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, & Veturia. Hae enim familiae circa tempora partae libertatis patriciae & celeberrimae in urbe erãt. Nam eas primo in quattuor urbanas coniectas fuisse aperte indicat Dionysius; quando quidem omnes, qui urbem habitarent ex instituto Ser. Tullij, principio unam ex his quattuor urbanis tribubus obtinere necesse esset, sicut qui agros, rusticas. Verum quum ob forensem turbam in eas coniectam, uiles haberi coepissent, factum est, ut illustres familiae in eas paßim tribus nomina darent, seque transferendas curarent, in quas agros suos habuissent, eisque noua nomina tribuerent. Ita igitur gens Aemilia, Cornelia, Fabia, & reliquae omnes, Claudiae forte exemplo, uetera nomina tribubus, in quas translatae erant immutarunt, nouaque ab se tradiderunt. Qua re factum fuisse opinor, ut multae tribus fuerint quae plures haberent appellationes, quod ita fuisse etiam paulo post ostendam. Vna igitur ex anti-

quis Ser. Tullij rusticis tribubus fuit, quæ postea Aimilia appellata est ab Aimilia gente, quae Romae fuit nobilißima: de qua tribu Liuius libro tricesimo octauo sic meminit. Rogatio perlata est, ut in Aimilia tribu Formiani ac Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent, atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiscito censi sunt. De eadem Cicero ad Atticum ep. libro secundo ita mentionem facit. Formianorum tribum Aimiliam

Romae in crypta S. Sebastiani

L . ABERIO. L. F . AIM
COCCEIO . LEPIDO .PROC
RAET.TR.PL.QVAEST.LEG
ASIAE.LEG.PRO. PR . AFRICAE
MISSO.AD.PRINCIPEM.TRIB.MIL
LEG . XXII . PRIMIGENIAE
X.VIR.STLIT.IVD
APOLLONIVS.LIMENA
CYPRI

Romae in domo Bubalorum

D . M . S
T.AELIO.T. F . AEMI
MARCELLO . DOBI
RO.MIL.COH.IIII. PR
7.FELICIS.MIL . ANN
VI. VIX.ANN . XXV
T.FLAVIVS.PETRONI
ANVS.MIL . COH. II
PR . 7 . CLEMENTIS
HERISEVS . MVNI
CIPI.SVO . B . N. M
FECIT

In

In Sabinis

Q . VIBIO . Q . F . AIMILIA
VETENIO . EQVO . SEVERO
DVCENTANO . TRIB. SEMPR.PR
LEG . XXII . PRIM . AVG. P. F
SEMPRON . COH . II . CLASSIS . G.
PATRONO . AEQVICVLA
GEST . TR . IVVENT . TREBVL
MVTVSTAE . QVI . OBLA
TA . SIBI . STATVA . AB
IIS . HONORE . CONTEN
TVS . IMPENSAM . REMISIT

TRIBVS . XV . CORNELIA

De tribu Cornelia quae & ipsa a nobilißima gente Cornelia nomen obtinuit, Liuius libro xxxviij. ubi de Aemilia, & sequentes incsriptiones mentionem faciunt

Romae

C . IVLIVS
C . F . COR
PVDENS
THESSALONICA
MIL . COH.VII.PR
7 . MATVRI
MIL . ANN
XVI . VIX . ANN
XXXXV.MENS.VI
EX . TESTAMEN
TO . FIERI
IVSSIT . SIBI

Tiburc

DIS . MAN
L. AVTIO. L. F. CORNEL
CAPITOLINO
MIL. COH. VI. PRAETOR
VIX. ANN. LXIIX
L. AVTIVS. L. F. CORNEL
LATINVS
FRATRI. KAR
H . S . E

TRIBVS . XVI . FABIA

Et haec tribus a Fabia gente, quae in eam relata fuit, nomen obtinuit, de qua Tranquillus in Augusto cap. XL. *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula millia nummum a se diuidebat. Et Horatius libro primo Epistol.* VI

Hic multum in Fabia ualet, ille Velina

Huius quoque tribus uetusta extant haec epigrãmata

Brixiae

C . PONTIO . C . F. FAB
PELIGNO . TRIB . MIL
LEG. X GEM . Q. CVRAT
LOCOR . PVBLIC
ITERVM. AEDILI. CVRVL
LEGATO. PRO. PR. ITERVM
EX. SC. ET. EX. AVCTORITA
TE . CAESARIS . DD

In

In Aequicolis

T . PETIDIO . T . F
FABIA . CESSINO
VIII . VIRO . AEDIL . PLEB
POTESTATIS . VIII . VIR . II
FANOR. VIII.VIR . III AERARI
ADLECTO . SVPRA . NVMER
SEVIRVM . AVGVSTALIVM
PLEBIS . S . TREBVLAN . M
OB . MERITA . EIVS
L . D . D . D

TRIBVS . XVII . HORATIA

Horatiae tribus nullam apud ueteres auctores mentionem adhuc fieri inueni, quanquam marmoreae inscriptiones frequenter eius meminerint. Quum autem aliquot tribuum nomina praeter XXXV. *in antiquis monumentis extare manifestũ sit, ut Ocriculanae, Cluentiae, Cluuiae, Aeliae, Papiae, & aliarum quarũdam, quas omnes paulo post enumerabo, hanc potißimũ multas ob caußas prae ceteris elegi, quae* XXXV. *numerum expleret. Primo quia nulla earum ueterum scriptorum auctoritatem habet. Deinde quia (quamquam nec Horatiae nemo ueterum scriptorum meminerit) ipsa a nobilißima gente nomẽ obtinuit, ut pleraeque aliae. Quae nisi priscis his temporibus denominata sit, non uideo quanam ratione posterioribus saeculis tribus nomen obtinere potuerit, quum ea gens circa quadringentesimum ab urbe condita annum memorari desinat. Ceterarum enim extra* XXXV. *numerum origo aliqua ratione conijci potest, quod de Horatia dici omnino nequit, quae omnia*

nia ex aliarum diſputatione apertiora fient, poſtremo, quod nullam inuenerim tribum, preter Horatiam, *quae ſi eam in* XXXV. *numerum conſtituamus, aliquid controuerſiae nō patiatur.* Haec *aũt ex ceterarum examinatione longe facilius demõſtrari poterũt.* Inter *omnes.n.tribus quae* XXXV. *ſuperfluũt, auctoreſque non habeant, ſed ex lapidibus acceptae ſint, una tãtum* Ocriculana, *quae & ipſa ſcriptorum teſtimonio caret, Horatiae loco reponi poſset. Sed eam inter* XXI. *priores nulla ratione cõſtitui poſſe, quum de ea uerba faciam, oſtendam. De tribu porro* Horatia *inter multas quas uidi inſcriptiones, hae praecipuae ſunt*

C. Caſtellane

MAMMIAE . C . F
IVSTAE
Q.TVLLIVS.Q.F
HORAT
CINCIVS . PRISCVS

Ciuitati Caſtellanae

Q. ALBIO . Q . F . HOR . ILLICI
7.LEG.XX.V.V
CORNICVLARIO . PR . PR
DONIS . DONATO . AB . DIVO
TRAIANO. AVG.
TORQVIBVS . ARMILLIS
PHALERIS.BELLO.PARTHICO. ET.AB
IMP . CAESARE . TRAIANO
HADRIANO.AVGVSTO.HASTA.PVRA
ET.CORONA . AVREA
AVILIA . SOTHERIS . MATER
FILIO . OPTIMO . PIENTISSIMO
L.D.D.D

Spon-

Spoleti.

M . SEPTIMIO . M . F . HOR
SEPTIMIANO
EQVO . PVBL . IIII . VIR . I . D
PRAEF . FABR . ROMAE
DEC . IIII . SCAMILLAR
OPERAE . VETERES
A . SCAENA . PATRONO . OB
MERITA . EIVS . L . D . D . D

TRIBVS . XVIII . MENENIA

Menenia tribus, quae ex hoc corrupto Iosephi loco antiquitatum libro xiij. L. Manlius L. F. Mentina; in Mentinam se transformauerat, nunc demum uetustae inscriptionis auxilio quae Feltriae extat prope ecclesiam cathedralem, pristino splendori restituta est, quamquam enim frequens de ea in antiquis epigrammatibus mentio esset, tamen quia nunquã, nõ nisi hac nota MEN. *exarata fuerat, res dubia et anceps diu fuitquũ tam Mentina quam Menenia interpretari posset, Mentinamque Iosephi testimonium confirmaret. Quod erratum esse, multis adducor rationibus ut credam, primum quia uox Mentina nullam habet significationem, deinde quia facilis lapsus fuit a* MEN. *uel etiam* MENENIA *in Mentinã, & praesertim in Graeco scriptore, si tamen id uitium, quod uix credo, admiserit, librarijque erratum non fuerit; ad haec tribum* MEN. *quae frequens est, pro Menenia interpretari posse ex Feltria inscriptione didicimus, quod si Menenia tribus fuit, procul dubio ob easdẽ rationes quas de Horatia attuli, ex antiquis* XXI. *fuit, quo tempore gens Menenia a qua tribus nomen accepit maxime florebat, cuius postea memoria (incredibile di*

ctu

ctu) quam cito defecit. Postremo est hic Ciceronis locus epist. familiarum libro xiij. sic scriptus: P. Rupilius P. F. Men. qui in uetustis codicibus modo Menenius, modo Menius legitur, nunquam Mentinus: ita ut facilis lapsus fuerit ex Menenia, Menenius. Lapides autem qui de Menenia mentionem faciũt inter plures, hi praecipui sunt

Apud Feltriã laeua cum cathedralẽ aedem ingrederis

C. FIRMIO. C. F
MENEN. RVFINO
EQ. PVB. LAVREN
LAV. DEC. FLAMIN
PATRONO. COLLE
GIORVM. FAB. CENT
DENDR. FELTRIAE
ITEM. QVE. BER. VENS
COLLEG. FABR. ALTI
NATIVM. PATRONO

Vicetiae

V. F
Q. IVLIVS. Q. F
MEN. CATVLLVS
IIII. VIR. MISSVS. HONES
TA. MISSIONE. EX. COH. VI
PR. SIBI. ET. COELIAE. SEVERAE
VXORI. SANCTSSIMAE. POST
OBITVM. ET. POMPEIAE. MAN
SVETE. SOCRVI. OPTIMAE
ET. HOSTILIAE. SERENAE
CONIVGI. CARISSIMAE
H. M. H. N. S

Bene-

Beneuenti

C . CATIO . C . F . MEN . BALBO
OPE . TREIICIAE . C . F . PVLLAE
HOS . DECVRIONES . FVNERE
PVBLICO . DE . FOROETRIO . DIALE
EFFERENDOS. ET. HIC. HVMANDOS. CENS
FVFISIAE . A . L . VIOLAE
C . CATIVS . C . F . MEN . GALLVS
PARENTIBVS. ET. VXORI

TRIBVS . XIX . PAPIRIA

Et haec tribus a gente Papiria nomen accepit. De qua ita tradit Sex. Pompeius. Papiria tribus a Papirio uocata. Liuius libro viij. Memoriaeque eius irae Tusculanis mansisse ad patrum aetatem constat, nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre solitum. Huius tribus inter multa uetera haec epigrammata suggeram

Aletri

L. CALPVRNIO. L. F. PAPIRIA. ASELLIO
VI. VIRO. AVGVSTAL. ET. PONTIFICI. MIN
DEI. LIBRI. INVICTI
CALPVRNIA . HILARA . MARITO
OPTIMO . SANCTISSIMO
BENE . MERENTI . FECIT

In

In Sabinis

DEO . INVIC
SERAPI . ET
SERVATORI
D.IVNIVS.D.F.PAPIRIA
VAERGVLENVS
AENEATOR . LEG.VIII
CL . GEMIN . P . FIDEL
NVMINI . TVO . VOTO
SVSCEPTO . D . D

Fulginei

P . AELIO . P . F . PAPIR
MARCELLO . CENT
FRVM . SVB . PRINCIPE
PEREGRINOR . ADSTATO
ET.PRINCIPI.ET.PRIMIPILO
LEG . VII . GEM . PIAE.FEL

TRIBVS . XX . SERGIA

De tribu Sergia, quae & ipsa a gente eiusdem nominis appellationem obtinuit, Pedianus in Cornelianam ita meminit Sergia & Quirina damnauerunt. Et Frontinus libro ij. de Aquaeductibus. Verba legis: T. Quinctius Crispinus cos. populum iure rogauit, populusque iure sciuit in foro pro rostris aedis diui Iulij populi Romani, & Iulijs, tribus Sergia principium fuit, pro tribus Sex. &c. Huius tribus haec uetusta saxa meminerunt

Asisij

C.RASINIO . C . F . SER
TETTIANO
PRAEF. FABRVM. IIII .VIR
PRAEF. COH . PRAETOR
PATRONO . MVNICIPI

Brundusii

A. GABINIVS. A. F. SERG
PONTIANVS
MILES . LEG . XX. CANDI
DATVS . TI . CAES . AVG
RELATVS . IN . PRAET
VIX . AN . LIIX . M . V
H . S . E

Ameriae

DIS . . MANIBVS
OCTAVIVS . IVNIVS . IVNI.F
SERGIA . FAVSTINIANVS
AMERIA
VII. VIR . EPVLON . PROCV
RATOR . OPER . PVBLIC
H.S.P.D.V

TRIBVS . XXI . VETVRIA

A gente Veturia & haec tribus nomen uetere relicto mutuata est, ut pleraeque aliae, de qua Liuius libro xxxvi. ita scribit. Fuluius Romam comitiorum caussa accersitus, quum comitia consulibus rogandis haberet, praerogatiua Veturia Iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum, & T. Otacilium. & paulo post: & redire in suffragium Veturiam iuniorum iube-

iuberet. & item: Tum Veturia & auctoritate mota uiri, & admirantum circa se fremitu, petijt a consule ut Veturiam seniorum citaret, uelle sese cum maioribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis Veturiae senioribus datum secreto in ouili cum his colloquendi tempus, seniores de tribus consulendum esse dixerunt. & c.

Huius quoque tribus hi lapides extant

SEX. APVSIVS
SEX. F. VET
BAEBIVS
VOLSCIB. LATIN

Item

C. CASSIVS. C. F. VET
MODESTINVS

Hispelli

SEX. CALPVRNIVS
SEX. F. VETVRIA
QVINCTIANVS

Haec porro sunt unius & uiginti tribuum nomina, quas a Ser. Tullio factas fuisse existimo. De quibus lib. vij. ubi de iudicio Coriolani agitur, ita scribit Dionysius: Vbi uero tulere omnes tribus suffragium, dinumeratis calculis non magnum discrimen apparuit, una enim & uiginti quum essent tribus, quibus calculi dati sunt, nouem eum absoluerunt, ita ut si eis duae aliae tribus accessissent ex suffragiorum aequa parte ex lege absolui posset. Quosdam uero, atque etiam me ipsum mouent uerba Liuij libro ij. Ap. Claudio P. Seruilio cos. Romae tribus una & uiginti factae: Quod si eo anno, non igitur a Ser. Tullio factae sunt. Si autem Liuij uerborum rationem habere uelimus (quamquam de ea re nihil apud Dionysium reperiatur) decem, & nouem tribus a Seruio factas dicemus, atque hoc

hoc anno duabus additis ad unã & uiginti auctas. In his autem alteram esse Clustuminam suspicari ex eo possumus, quod quadriennio ante T. Aebutio & C. Vetusio cos. Crustumeria capta ab eodem Liuio referatur. Quae uero altera esse potuerit, ne diuinando quidem consequi potui. Ceterum ego unius, & uiginti tribuum institutionem integram Seruio tribuere malim, quam has duas hoc tempore factas affirmare. Vt quũq; res sit illud satis constat unam, & uiginti tribus hoc tempore Romae fuisse, quae omnes aut a locis in quibus erant, aut a nobilißimis Romanis gentibus nomina adeptae sunt

TRIBVS. XXII. STELLATINA

Quattuordecim deinceps tribuum, quae quinque & triginta numerum supplerunt, adiectio, & quae quoque anno addita sit, aperte ex Liuio deinceps intelligemus. Anno enim post urbem conditam CCCLXV. altero post eam a Gallis captam in ciuitatem accepti, qui Veientium, Capenatiumque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos; agerque ijs nouis ciuibus aßignatus. Ita Liuius lib. vi. Et biennio post lustro XIIX. Tribus quattuor ex nouis ciuibus a Cẽsoribus additae Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, Eaeque uigintiquinque numerum expleuere. Hae uero, tribus non ita necessario (ut multi existimarunt) appellatae sunt, quod ipsarũ ager ad campum Stellatem, & Tromentum, uel lacum Sabatem, aut prope Arnum esset. Ea enim loca longe extra agrum Romanum erant, qui nunquam ad Arnum se extendit; sed quod ij qui ex illis regionibus Romam uenerant, atque ciuitate, & agris donati fuerant, illis agri Romani partibus quas sortiti essent, nomina ea tribuerint, ab ijs regionibus scilicet, unde ipsi commigrauerant. Quod ita esse latius paulo post aperiam.

k Quum

Quum autem propter nouos ciues Tuſcos, hae tribus additae ſint, uero ſimile eſt, eas omnes in Tuſcia fuiſſe. Ex quibus prima Stellatina, nõ in Campania, ubi erat cãpus qui Stellas appellabatur, ſed in Etruria fuit. Hoc enim tempore Romanorum imperium Capuam uſq; nõ extendebatur, nec ullum inter Romanos Campanoſque foedus adhuc interceſſerat. In Etruria ergo fuit, quod ex Sex. Pompeij fragmento liquet ſic: Stellat . . . . eo, qui in Campania eſt, ſed eo qui . . . . . pena. Ex quo Tuſci profecti . . . . . m campum appellauerunt. Quae uerba ſic ego reſtituerem. Stellatina tribus dicta non eſt a campo eo qui in Campania eſt, ſed eo qui in Etruria, regione Capena, ex quo Tuſci profecti eum Stellatem cãpum appellauerunt. Hec autem ſic reſtitui, quod in Tuſcia Capenates erant populi ad lucum Feroniae, & inter Tuſcos populos Stellates quoque enumerentur. De hac etiam tribu multas inſcriptiones uidi, quarum praecipuae hae ſunt

Vrbini

L. FLAVIO. L. F
STE. CIMBRO
PONT. AED. BIS
IIII. VIR. I. D. QVINQ
PRAEF. FABR
D. D

Gal-

Galeatae

Q. VELCENNAE
L. F. STEL
PROCVLO
DECVRIONI
MEVANIOLAE
C. C. M. M. PATRONO
HONORE. CONTENTVS
IMPENDIVM. REMISIT
ET. DEDICATIONE. STATVAE
NVMER. COLL. IPSORVM
SPORTVL. DEDIT
SINGVL. DENARIOS. BINOS
L. D. D. D

Romae

SOLI. INVICTO
MITHRAE
T. ANTISTIVS
T. F. STELLA
TINA. SEVE
RIANVS. DE
DICAVIT

TRIBVS. XXIII. TROMENTINA

Tromentina tribus a campo Tromento dicta. Sex. Pompeius. Is campus in Tuſcia fuit, ex quo quum aliquot Romam perfugiſſent, & ciuitate donati, in quattuorque tribus conie-

cti, agri pop. Rom partem obtinuissent, uni earũ Tromentinae nomen posuerunt. Tromentum autem campum in Tuscia esse incerti auctoris libro satis liquet. Haec tribus cum Stellatina addita est anno urbis CCCLXVII. De qua hae inscriptiones mentionem faciunt

Perusii

C. BETVO. C. F. TRO
CILONI. MINVCIANO
VALENTI. ANTONIO
CELERI. P. LIGVVIANO
AEDILI. II. VIR. CVINO
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR
VMBRIAE. XV. POPVLORVM
PATRONO. MVNICIPI
BETVRES. PECTILLA. FILIA
PATRI. PIISSIMO. L. D. D. D

Perusii

C. VIBIO. C. F. L. N. TRO
GALLO. PROCVLEIANO
PATRONO. PERVSINORVM
PATRONO. ET. CVRATORI. R. P. VET
TONENSIVM. IVDICI. DE. V. DEC. AEDI
LI. PATRONO. COLLEGI. CENTON
VIBIVS. VOLDVMIANVS
AVO. CARISSIMO. OB. CVIVS
DEDICATIONEM. DEDIT
DECVRIONIBVS * . II. PLEBI * . II
L. D. D. D

TRI-

TRIBVS . XXIIII . SABATINA

Sabatina tribus a lacu Sabate dicta. Ita Sex. Pompeius. Sabatis autem lacus in Tuſcia fuit, atque noſtra aetate appellatur Anguillariae. Haec cum duabus ſuperioribus propter nouos ciues addita eſt. De qua eiuſmodi extant inſcriptiones

Apud G. Delphinium

C . RVTILIO . C. F
SAB . HOMVN
CIONI . MANTVA
MIL.COH. VII. PR
7 . VALLI . MIL
ANN . XIIII.VIX
ANN . XXXII
H . B . M . F . C

Romae via Latina

L.IVNIO.L.F.SABATI
NA . POLIONI.AV
ROMATARIO.A.VIC
PVBL.VIX . ANN
X L V I I

TRIBVS . XXV . ARNIENSIS

Haec tribus in uetuſtis monumentis & Arnenſis, & Arnienſis appellatur; quae paßim in Narnienſem ſe transformauerat, quum Arnienſem legendum ſit. Dicta autem eſt ab Arno Tuſciae amne, cum tribus ſuperioribus Liuio libro VI.

auctore, propter nouos ciues anno urbis CCCLXVIII. *a censoribus addita. De hac tribu Cicero ita in Rullum meminit: A Suburana usque ad Arniensem: & Liuius lib. xxix. C. Claudius Nero censor ex tribu Arniense. Idem Valerius libro ij cap. iiij tradit. Vetusta uero epigrammata sunt haec*

Vulsinijs

. . . .
IN . ITALIA . VOLSINIENSIVM
PATRIAE . SVAE . ITEM . FERENT
ET . TIBVRTIVM . ITEM . COLON
ITALICENSIVM . IN . PROV. BAETICA
PRAET . ETRVR . XV . POPVLOR
SACERDOTI . CAENINENSIVM
M . HELVIVS . M . F . CLEMENS . ARNEN
SIS. DOMO . CARTHAGINE . PRAEF . EQ
ALAE . PRIMAE . CANNANEFATVM
PRAESIDI . SANCTISS . ET . KARISSIMO
CVRA . AGENTE . L. ACONIO . CALLISTO
TR . MIL . LEG . XIIII . GEM . SEV

Item

C . CVRTIVS . P. F. PAL . NERVA . IIII . VIR
P. SILVIVS . P. F. ARNIEN . PAETINVS . IIII . VIR
C. RVSTIVS . C. F. QVARTVS . VEL . IIII . VIR
T. FLAVIVS . T. F. ARN . SABINVS . IIII . VIR

Tabella

M . CAESTIVS
C . F . ARN
CLEMENS

TRI

TRIBVS . XXVI . POMPTINA

Post superiores tribus additas, ipso loco sequitur Liuius. De agro Pomptino a L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem iam populum, mobilioremque ad cupiditatem agri quam fuerat: cura maioris belli quod Etruria in armis erat, dilata res est. &c. Hic ager Anxur quae nunc Terracinae sunt anno CCCXLVIII. *capta, Volscis ereptus fuerat. Suggerit Liuius libro* VI. *Anno urbis* CCCLXXI. *Hostes noui praeter volscos, uelut sorte quadam prope in aeternum exercendo Romano militi datos, Circeosque, & Velitras colonias iam diu molientes defectionem, & suspectum Latium, Lanuini etiam, quae fidelissima urbs fuerat, subito exorti. Id patres rati contemptu accidere quod Veliternis ciuibus suis tamdiu impunita defectio esset, decreuerũt ut primo quoque tempore ad populum ferretur, de bello eis indicendo, ad quam militiam, quo paratior plebes esset, quinque uiros Pomptino agro diuidendo, & iij. uiros Nepet coloniae deducendae creauerunt. Propter hãc caussam, aliquot annis post C. Fabio. Ambusto, & C. Plautio Proculo cos. anno urbis* CCCXCVI *a Censoribus M. Fabio & . . . . . . duae tribus additae sunt Põptina, & Popilla, alias Popillia in quas, tũ qui agrum Pomptinum sortiti erant, tum noui alij ciues, qui in dies ciuitate donabantur, coniecti sunt. Sex. enim Pompeius: Pomptinam tribũ a Pontia urbe dictam scribit, a qua & ager Pomptinus appellatus est. Haec in Volscis erat prope Terracinas. De hac tribu Cicero epist. iiij. ad Atticum: Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Maeciam. & viiij. epist. Fam. libro. L. Iulius L. F. Pom. Annalis. Haec in antiquis marmoribus & Pontina, & Pomptina exarata est, ita*

Praeneste

DIS . MANIBVS . S
T . FLAVIVS . T.F.PONT
SABINVS
VIX.ANN.LXVI.M. VII
D. VIII . HOR . VIII
H . S . E

Praeneste

DIS . MANIBVS
L . IVNIVS . L.F.PON
TINA . ACVLNIVS
MIL . LEG . II. PARTH
MIL.AN.IX.VIX.ANN
X X X X V I
H . F . C

Romae

L . TARQVITIO
L.F.POMP
E T R V S C O
S V L P I C I A N O
SCRIBAE . QVAESTORIO
EX . TESTAMENTO
DE . HS . XX

Romae in domo Coritij

M . LARCIVS . L . F
POMPTINA
PVDENS . VETER
T . F . I . ARBITRIO
LARCIAE.FORTVNATAE
V X O R I S
H . M . H . N . S

TRI

TRIBVS . XXVII . POPILLA . *alias* POPILLIA . *alias* POBLILIA

In Sex . Pompeij fragamento scriptum est : Popillia tribus . . . . buum , tot enim fu . . . . . lici nomine a . . . . . Pinaria a sorori . . . . . mine . Paulus Pontifex eius abreuiator Popilla tribus (inquit) a progenitrice traxit uocabulum. His animaduersis in eam deueni sententiam, ut haec tribus non a gente Popillia nomen acceperit, sed a loco, qui forte in volscis prope Pontinam erat. Neque enim ulla xiiij . harum tribuum quae a Liuio primis xxi. additae referũtur, a familia nomen obtinuit, neque uerisimile est gentem Popilliam, quae & plebeia fuit, & tantum hoc tempore cognita tribui nomen dedisse . Illud adde quod praeter Papiriae nullius tribus Festus mentionem facit, quae a gente deriuetur, tanquam quod eorum nomina manifesta sint . Haec igitur tribus Popilla & Popillia primo appellata fuit , non á gente Popillia, sed a loco nomen adepta , cuius in antiquis marmoreis monumentis ita mentionem fieri inueni POP . POPIL . PVP. PVPIL. *magna.n. Quintiliano auctore, inter* O. & V. *affinitas est, ut Poblicus, Publicus, Pullius, & Pollius, Poblicola, & Publicula. De hac tribu ita scribit Valerius lib.ix cap.x. Quã ob causam Popillia tribus in qua plurimũ postea Tusculani in ciuitatem recepti, potuerunt, neminem unquam candidatũ Polliae tribus fecit magistratum. Hanc tribum Liuius Publiliam uocat lib.vij . sic. Eodem anno duae tribus Pomptina & Publilia additae. Hanc proculdubio eandem cum Popillia esse existimo , nam processu temporis quũ iam illud obrepsisset, ut gẽtes tribubus nomina darent, factum est propter litterarum affinitatẽ, ut Popilla uel Popillia tribus in Pobliliam paulatim uersa sit , nomine a familia Poblilia accepto , quae posterioribus tem-*

temporib. quamquam plebeia, nobilis fuit. In antiquis enim monumentis uidi PV. PVB. PVBL. PVBLIL. *Item* POB. *&* POBL. *Haec tribus in uetustis monumentis omnium frequentißima est; ita ut aliquando paulo minus quam* XL. *inscriptiones, quae eius meminerint, obseruarim. Quarum quae ad manus sunt exempla, hic suggeram*

Ferentini

C. IVLIO. C. F. PVB. RVFO
VETERANO. COH. VI. PR
7. AQVILLII. MAXIMI
PRAETORI. AED. IIII. VIRO. I. D
MVNICIPIO. ALETRI
C. IVLIVS. C. F. RVFINVS. FRATRI
BENE. MERENTI. ET. SIBI
POSTERIS. QVE. SVIS

Romae

M. APICIVS
M. F. PVB
PVDENS
VERONA
MIL. COH. XII. PR
MILIT. AN. XVI
VIX. ANN. XXXIIX
H. S. E

Anagniae

L. VIBIO. L. F. POB. IVSTO
FILIO. PR. Q
L. VIBIO. L. LIB. SEVERO
VI. VIRO. AVG
VIBIA. . EVROPA
FECIT

Romae

Romae

D . M

APOLAVSTVS.MODIAN . . . .
PVBL.VII.VIR.EPVLON.ITEM. . .
APOLAVSTVS.CLAVDIAN......
VII.VIRVM.EPVLON. . . . .
IVSTVS.GAVIANVS.PVBL.ET. .
P.VOLVSIVS . . . . RENATVS
VOLVSIAE.IVSTAE . MATRI

Reliqua tribus Pupilliae, & Pobliliae epigrammata ad manus hoc loco non sunt

TRIBVS.XXIIX.MAECIA

Latinis & Campanis, qui rebellauerant a T. Manlio consule in deditionem anno urbis CDXIIII. redactis, res omnis ita a consule composita est, ut tradit libro octauo Liuius. Latini, Campaniq; agro mulctati, Latinus æger Priuernati addito agro, & Falernus qui populi Campani fuerat, usque ad Vulturnum flumen plebi Romanae diuiditur. Extra poenam fuere Latinorum Laurentes, Campanorumque equites, quia non desciuerant. Cum Laurentibus renouari foedus iussum, equitibus Campanis ciuitas data. Et paulo post: Anno urbis CDXVI. L. Furio & C. Maenio cos. post Latinum bellum confectum: Adijcit Liuius. Lanuinis ciuitas data. Aricini, Nomentani, Pedani, eodem iure quo Lanuini in ciuitatem accepti, Tusculanis ciuitas seruata quàm habebant. Campanis equitibus honoris caussa, quia cum Latinis rebellare noluissent, Fundanis, & Formianis ciuitas sine suffragio data. Et haud multo post suggerit Liuius,

Liuius: Anno CDXXII. A. Cornelio II. & Cn. Domitio cos. Eodē anno census actus, nouique ciues censi, tribus propter eos additae Maecia, & Scaptia. Censores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Postumius. Ita ut ex his Liuij locis hoc scitu dignum animaduertere possumus. Dare ciuitatem ius populi Romani fuisse, quotiescunque illi libuisset, uerum nouos ciues in tribum conijcere, quod erat supremum ciuis Romani priuilegium, ut in illa uel in illa suffragium ferrent, hoc munus censorum esse, censusque, & lustri tempus expectari oportere, atque ab eam caussam legimus aliquoties censores ante quinquennij tempus creatos, ut in commentarijs Fastorum animaduerti. Ceterum propter nouos (ut dixi) ciues, Lanuinos, Aricinos, Nomentanos, et Pedanos, quibus suffragij ius diu ante datum erat, hoc anno a censoribus duae tribus additae sunt Maecia & Scaptia. Ex quibus Maecia tribus auctore Sex. Pompeio, a quodam castro sic appellata est. Hoc autem Maecium fuit, quod Latinorū erat. De hac tribu ita scribit Cicero ad Atticum lib. quarto. Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Maeciam. Et pro Plancio. Quid Plancio cum Lemonia? Quid cum Veientina? Quid cum Crustumina? Nā Maeciam, quae non iudicaret, sed quae reijceretur esse uoluisti. Et Liuius libro uigesimonono. Deinde M. Liuius in aerarium uenit, & praeter Maeciam tribum, quae se neque condemnasset, neque condemnatum consulem aut censorem fecisset, populum Romanum omnem, quattuor & triginta tribus aerarios reliquit &c. Idem tradit Valerius libro secundo, cap. quarto de censoria nota

De tribu Maecia inter aliquot lapides hunc collegi
Neapoli ad S. Paullum

C. HERBACIO . MAEC
ROMANO . DE . MAR
. . . . II. VIRO.AL
. . . . . . LICIO. QVAEST
CVR. SACRAE . PECVN
CVR.II.FRVM. COMPAR
SE.VIVO.FECIT
QVI.OB.PROMISS.VENAT
PHETRIS. DIVISIT . QVI
NA. MIL.NVM

TRIBVS. XXIX. SCAPTIA

Tribus Scaptia eo anno, & eam ob caußam qua Maecia, teste Liuio, addita fuit. De qua Sex. Pompeius: Scaptia tribus a nomine urbis Scaptiae appellatur. Tranquillus in Augusto cap. XL. Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis, die comitiorum singula millia nummum a se diuidebat. Duas enim tribus Augustus, & plerique alij aliquando obtinebant, alteram quã sibi nascendi sors dedisset, alteram uero uel iure adoptionis, aut in accusationis de repetundis praemium, aut emptam, ut quis maiorem in distributionibus partem haberet. Ita enim legi in antiquo lapide Brixiae

Q.MINICIO.Q.F
FAB. POB
MACRO

Item Augusti

C.IVLIO.C . F
F A B. SCAPT
C A E S A RI
A V G V S T O

De hac tribu eiusmodi inter multas collegi inscriptiones

Romae

C . A V ILIVS
C . F . S C A
S E V E R VS
F E S V L I S
MIL.COH. III. PR
7 . P A V L I N I
MIL . A N . V
VIX. AN. XXV
H . A . C

Neapoli

C. CISPIVS . A.F.SCAPT
SEVERVS.FLORENTIA
MIL.COH.III. PR . VIX
ANN.XLIII. MILITAVIT
ANN. XVII

Neapoli

L.APISIVS.C.F. SCAPTIA . CAPITOLINVS
E X . TESTAMENTO . FIERI . IVSSIT
MONVMEN
ARBITRATV. HEREDVM. MEORVM.ET
SIBI. ET. SVIS

Nar=

Narniae

D . M
C.NVMISIO. C.F . SCAP
NVMMEIO
NAVILIANO
SENIORI
EQVO . ROMANO
OMNIBVS. HONORIBVS
IN.COL.NAR.PERFVNCTO
DONATO.AB.IMP. CAESAR
T.VESP.AVG.TORQ.ET
ARMILLIS. II. ET. HAS
PVR.II.ET.COR . VAL. II
C.NVMISIVS. C.F.SEMPRONIVS
DECVR.IN. COL. NAR
D . D

TRIBVS . XXX
OVFENTINA

Crescente ob nouos ciues, qui in dies addebantur urbis frequentia, anno CDXXXV. *L. Plautio & M. Foslio cos. Duæ Romae, Liuio libro octauo auctore, additae tribus Oufentina, & Falerina. Eas addiderunt censores L. Papirius Crassus, & C. Maenius. Quod Liuius omisit. Hi enim eo anno censores relati sunt a Verrio Flacco in tabulis Capitolinis. De Oufentina tribu sic scribit Sex. Pompeius. Oufentinae tribus initio caussa fuit, flumen Oufens, qui est in agro Priuernate inter mare, & Terracinas. Lucretius*

Priuerno Oufentina uenit, flauoque Oufente

Postea

Postea a censoribus alij quoque diuersarum ciuitatum eidem tribui sunt adscripti. De hac tribu eiusmodi uidi lapides

Ponte Corui

C.MATIENI.C.F . OVF
OVICVLAE
ANNORVM. XXVII
PRAECO.IDEM. DISSIGNATOR
TEMPVS.VICTVRO.MIHI.LONGVM
STAMINE . PARCA
AETATIS . NOSTRAE . . . . . .

Frusinone

A.AGNEIVS.L.F.OVF.NIGER.II.VIR
A.AGNEIVS. L. F . RVFVS . . F
A.AGNEIVS.L.F. OVF . SARDVS
A.ALLIENVS. Q. L. CHRESIMVS
AGNEIA.IOCVNDA.TESTAMENTO
SVO.FIERI.IVSSIT

TRIBVS. XXXI. FALERINA

Falerina tribus eo anno, quo Oufentina, Liuio auctore, addita est, ab agro Falerno in Campania, ut existimo dicta, nam ea parte & Oufentina fuit. De hac tribu Iosephus libro XIII cap. XVI. antiquitatum meminit ita: C. Sempronius C.F. Falerina. *& hi uetusti lapides*

L. MA-

Albae

L . CORNELIVS . A . F . FAL
PVPILLVS
PRAEFECTVS. FABR
FLAMEN . QVINQVENN
PATRONVS . CASTRI. NOEVESIVM
EX . TESTAMENTO
C.IVLIVS.SP.F.PAL.CARVS
L.CORNELIVS.L.F.FAL.ALBANVS
L . CORNELIVS . ATHICTVS
L.CORNELIVS . EVTYCHVS
FECERVNT. ET. SIBI. ET. SVIS

Item

L. MAGIO . M . F. FAL
VETERANO . LEG . X
FRETENSIS
MAGIA . Ↄ . L
PATRONO. B. M. ET. SIBI

TRIBVS . XXXII . ANIENSIS

Ob eam qua superiores caussam anno urbis CDLV.M.*Ful uio,&* T.*Manlio* Cos.*Liuio libro* x. *auctore, condito lustro a censoribus* P.*Sempronio Sopho,&* P.*Sulpicio Sauerrione,tri bus additae duae Aniensis ac Terentina. Ex his Aniensis ab Aniene amne(ut puto) dicta est,in Sabinis enim fuit.De hac tri bu Cicero.Ep.fam.lib.*VIII.*mentionem facit sic:*L.*Atteius* L. F.*An.Capito,& pro Plancio eandem commemorat.De qua tri bu haec uetera epigrammata collegi*

Romae in Quirinali

C. TERENTIVS. CC. L. ANI. EROS
ALVMINARIVS. VIVOS. SIBI. ET
CC. TERENTIS. HILARO. ET
EPAPHRODITO. PATRONIS
CAECILIAE. C. L. CHELAE. VXORI
TERENTIAE. MVSAE. LIBERTIS
CAECILIO. C. Ↄ. L. HILARO. MVSAE
FRATRI

Sermonetae

DIIS. MANIBVS
M. ANTONIO. M. F. ANIENSI
MATRINIO. EVOK. AVG
VIX. ANN. XXXIIX. M. VIII
M. ANTONIVS. M. F. ANIEN
PRIMIGENIVS
MEDICVS. FACT. RVSSAT
FRATRI. SANCTISS. FEC

TRIBVS. XXXIII. TERENTINA

De tribu Terentina, quæ cum Aniensi addita est, Cicero pro Plancio meminit sic. Quas tribus edidisti? Terentinam credo? Et paulo post: Prioribus comitijs Aniensem a Plotio, Terentinam a Plancio tibi esse cõcessam; Et post: Altinas praefectura, ex qua Cn. Plancius fuit ex tribu Terentina. Idem Ep. fam. libro VIII. M. Oppius M. F. Terentina. Hanc a Terento (is locus in campo Martio erat) dictam puto. De qua in his antiquis inscriptionibus mentionem ita fieri inueni

Ad

Ad S. Germanum

L . LVCCEIO . L . F . TER
HIBERO
II VIRO . ITER . QQ . PATRONO
SACERDOTI . SACROR . SAVADIOR
CVR . R . P . INTERAMNAT . LIRIN
EORVND . ET . PATRONO
IVDICI . SELECTO
CASSINATES.PVBL.OB.MERITA.EIVS
D . D

Item

C.NAEVOLEIO.M.F.TER
RVFO . II . AED . Q
NAEVOLEIAE . C . F
PROCVLAE.LABEONIS

TRIBVS . XXXIIII . VELINA

Tribus Velina a lacu Velino dicta, Floro ex Liuio in epitoma libri XIX. auctore, addita fuit cum Quirina, anno Vrbis DXIII. A. Manlio II. et Q. Lutatio Cos. Eas addiderũt censores C. Aurelius Cotta, & N. Fabius Buteo. Haeq; xxxv. numerum expleuerunt. De hac Cicero epist. libro iiij. ad Atticum sic scribit: Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Maeciam. Idem in Bruto: T. Annius Velina. Et Horatius libro i. Epistola VI

Hic multum in Fabia ualet, ille Velina

Persius quoq; Satyra V

Libertate opus est, non hac ut quisq; Velina
Publius emeruit scabiosum tesserula far

Haec ut dixi, a lacu Velino potius dicta est, quam a Velia. Est

enim is lacus in Sabinis, a quibus sequens quoq; tribus appellata est. Velia uero urbs Lucaniae longe ab urbe distans. De hac tribu haec uetusta monumenta meminerunt

Sutri

DIIS . MANIBVS
T. VALERIO . T . F
VEL . VICTORI
DECVRIONI . SVTRI
II . VIR. I. D. ITERVM
QVINQVENNALI
CVRATORI. PECVNIAE
PVBLICAE. PONTIFICI
PATVLCIA . EXOCHE
COIVNX

Recaneti in Piceno

C. LVCILIVS. C. F. VEL. VINDEX. MIL. COH. VI. PRAET
VIXIT. ANN. XXX. MILITAVIT. ANNIS. XII. PRINCIPA
LIS . BENEFICIARIVS . TRIBVNI . DEINDE. OPTIO
IN . CENTVRIA . HOC . TESTAMENTO . FIERI
IVSSIT . HONORIS . PIETATIS . QVE . CAVSSA
SIBI . ET . C . LVCILIO . SECVNDO . PATRI . ET
LVCILIAE . SVAE . AVIAE . EX . HS . ∞ ∞
PRAELEGATIS

TRIBVS . XXXV . QVIRINA

Tribus Quirina (quæ eo anno quo Velina addita est) a Curensibus Sabinis uidetur appellationem traxisse. Sex. Pompeius. Cicero Ep. fam libro VIII. C. Septimius T. F. Quirina. Et pro Quinctio: L. Albius Sex. F. Quirina. Asconius in Cornelianam: Duae solae tribus Sergia, & Quirina damnauerunt. Iosephus antiq. libro xiiij. cap. xvij. Papirij Quirinae meminit. Antiqua uero Epigrammata sic habent

Ro-

Romae ad S. Marcum

C . ANTONIVS
C . F . QVI
PRISCVS . OSCA
MIL . COH . VII. PR
7 . CRITONI . VERI
MIL . ANN . XV . VIX
ANN . XXXIIII
C. IVLIVS. PROCVLVS
COMMANIPVLARIS
ET . H . B . M . F . C

Romae in hortis Iuljs

L . AEMILIVS . L . F
QVIR . REBVRRVS
MIL . COH . X . PR . 7
MARI . VIX. AN. XXV
MIL. ANN. IIII. T. P. I.

Item

L . CAESONIVS . C . F . QVIRINA
LVCILLVS. MACER . RVFINIANVS
COS . FRATER. ARVALIS . PRAEF
VRBI. ELECTVS. AD. COGNOSCENDAS
VICE . CAESARIS . CONGITIONES
& cetera

Velina & Quirina tribus xxxv. numerum expleuere. Post quas is numerus amplius mutatus non est, usq; ad bellum Marsicum, in quo quum Tuscis, Vmbris, Gallis, & reliquis Cispadanis populis lege Iulia ciuitas data esset, octo nouae tribus ut Paterculus, uel decem, ut Appianus tradit, in quas noui ciues conijcerentur, a censoribus P. Licinio Crasso, & L. Iulio Caesare additae sunt, anno vrbis DCLXV. Cn. Pompeio Strabone, &

M. Porcio Catone Cos. In easdem bello Marsico confecto reli qui Italici ciuitate donati, præter Lucanos, & Samnites relati sunt. Quamquam et hi paulo post eandem sunt consequuti. Atque xliij. uel xlv. tribuum nnmerus factus fuerat, qui quum annos prope quattuor mansisset, postremo nouis ciuibus in xxxv tribus a censoribus L. Marcio Philippo, & M. Perperna, auctore L. Cinna consule distributis, denuo xxxv. numerus restitutus est. Qui idem Ciceronis tempore, ut ex eius orationibus in Rullum, in Verrem, in Antonium, & alijs locis liquet, fuit. Trigintaquinque tribuum etiam extat mentio in duabus Traiani imp. inscriptionibus eodem argumento exaratis, ita

IMP . CAESARI
DIVI . NERVAE . F
NERVAE . TRAIANO
AVG . GERMANICO
DACICO . PONTIFICI
MAXIMO . TRIBVNIC
POT . VII . IMP . IIII . COS . V
P . P
TRIBVS . XXXV
QVOD . LIBERALITATE
OPTIMI . PRINCIPIS
COMMODA . EARVM . ETIAM
LOCORVM . ADIECTIONE
AMPLIATA . SINT

Hæc itaque sunt xxxv. tribus, in quas uniuersus populus Romanus dispartitus erat, quarum aliquam, ut ait Asconius, necesse erat ut cuiuscunq; esset ordinis ciuis Romanus obtineret. Qui enim pleno iure ciues Romani erant, idest cum iure suffragij, quod erat supremum ciuis Romani ius, is in unam harum

xxxv.

xxxv. tribuum ut esset necesse erat, quam si antiquus ciuis hereditate, si nouus, a populo ciuitate donatus, a censoribus obtinebat, in qua suffragium ferret. Ex quibus quattuor ut dixi, Vrbanae, in quas transferri ignominiae esset, reliquae omnes rusticae laudatissimae eorum qui rura haberent, quae propriae ingenuorum erant, quum Vrbanae forēsis turbae, ut proletariorum, capite censorum, & libertinorum essent, ut auctores sunt Cicero primo de Oratore, Valerius, Asconius, Plinius, & Florus

DE . IIS . QVAE . SVPERFLVVNT TRIBVVM . NOMINIBVS

Multarum tribuum nomina, quæ in uetustis epigrammatibus, & forte apud antiquos auctores, præter xxxv. reperiuntur, multam & magnam dubitandi occasionem attulerunt. Nā praeter relatas, in antiquis inscriptionibus, Camillae, Cluentiae, Cluuiae, Dumiae, Minuciae, Ocriculanae, Papiae, vot. ... Cestiae, Taur ... Iuliae, Flauiae, Vlpiae, Aeliae, apud Liuium Sapiniae, & Festum Pinariae mentionem quoq; fieri inueni. De quibus quid existimem probabiliter disputaturus, nihil enim certi quod afferam habeo, primum rationem reddam, cur nullam earum in xxxv. numerum collocarim, deindè qua nam ratione constitutae esse potuerint. Etenim in xxxv primis tribubus digerendis illud praecipue obseruaui, ut eas tribus in earum numerum collocarem, quae tam ueterum auctorum, quam lapidum testimonia haberent. Quod etiam in omnibus praeter unam tantum Horatiam praestiti. Nam & auctores, & lapides quibus earum numerum confirmarem citaui. Horatiam autem potius, quae una ex his est, quae scriptorum testimoniis caret, quam ullam aliarum paulo ante reci-

tatarum tribuum interserui, tum ob eas quas dixi rationes quum de ea disputaui, tum quod nullae etiam harum testimonium ullam antiquum habeant, praeter unam Ocriculanã, quae una tantum sine controuersia quando Horatia delenda esset e numero xxxv. eius locum obtinere posset, tum quod multos lapides etiam ipsa habeat, tum quod, quãquam mendose, de ea M. Cicero oratione ij. in Rullum mentionem faciat sic: Ab Ocriculana ad Arniensem. Nam in antiquis scriptis codicibus Vsurana legitur ut sit Suburana: deinde si Ocriculanam, & non Suburanam legere uoluerimus Ciceronis sententiam labefactabimus, qui illarum duarum tribuum enumeratione uniuersas tribus comprehendere uoluit a prima ad nouissimam, a Suburana scilicet, quae inter urbanas prima est, ad nouissimam Arniensem: quomodo nouissimam? non quidem ratione temporis, nam xxv fuit, sed loci, omnium enim remotissima ab urbe erat. Quae quum ita sint relinquitur ut Ciceronis locus corruptus sit, & pro Ocriculana Suburana, legendum. Est & alius Ciceronis locus in oratione pro Q. Roscio, ita: Q. Luscius Ocrea senator. In quo cognomen id Ocrea Ocric. id est Ocriculana, pro tribu interpretari posset, sed quum res & obscura & incerta sit, uisum est potius Horatiam, quam Ocriculanam tribum in xxxv. numerum referre, praesertim quum si Ocriculana una ex xxxv. tribubus eßet, (hoc autem maxime me argumentum mouit) ut ex xxi. his quas Ser. Tullius fecit fuisset, necesse est, praesertim quum xiiij. sequentium numerus manifestus sit. Ceterum nulla ratione fieri potest, ut ex primis xxi. tribubus sit, quum hae omnes ab agri Romani locis a Seruio denominatae fuerint; Ocriculum autem a quo hanc tribum dictam fuisse crediderim, longe ab agro Romano situm erat. Quod si quispiam eam nõ ab oppido Ocriculo, sed ab ocriculis idest montibus appellatam assereret, ut collina a collibus, una qui-

quidem ex xxi. esse posset, uerum quum euidentiora argumenta non habeam Horatiam excludere Ocriculanae caussa nolui, quandoquidem si Horatia tribus fuit, ut omnino fuisse credo, non nisi ijs temporibus addita esse potuerit, quum CD. anno post urbem conditam ea gens quae sub regibus, & post reges exactos primis reip. temporibus quam maxime in urbe floruit, uix amplius ab historicis nominetur

TRIBVS. EXTRA. NVMERVM OCRICVLANA

Quid ergo eam esse dicemus? Ego igitur eam quidem unam ex xxxv. tribubus procul dubio fuisse existimo, sed quae nam ex supra relatis fuerit incertum. Quandoquidem unam tribũ plura nomina habere potuisse, immo habuisse satis demonstrauerim. Vna enim ex antiquis Ser. Tullij tribubus, siue a gente, siue a loco appellata fuerit, esse potuit, in quam Ocriculani in ciuitatem recepti, a censoribus relati fuerint. A quibus ea tribus uel antiquo nomine mutato nouum Ocriculanae assumpserit, uel utraq; simul retinuerit. Nam eam tribum fuisse, in dubium uenire non potest, quum pleraq; saxa uetusta uiderim, quae eius mentionem faciebant sic: OCR. OCRIC. ex quibus haec ad manum nunc sunt

Morlupi
V . VITELIVS . A . F . OCR
CRESCENTIVS . II. VIR. CAP
Q . VALERIVS . Q . F . OCR
PACATVS . II . VIR . CAP
CVM . CONS . RESTITVE
RVNT

Via

Via Flaminia

GENIO

IOVI . STYGIO . SANCTO
SACRVM
SEX . POMPEIVS . SEX . FIL
OCRIC . CIVICA
MIL . COH . VIII . PRAET

TRIBVS . EXTRA . NVMERVM
PINARIA

Haec si tribus fuit (eius enim tanquam tribus meminit Sex. *Pompeius sic :* Popillia *tr . . . . buum,tot enim fu . . . lici nomine a . . . . .* Pinaria *a sorori . . . . . mine.) proculdubio una ex xxi.a* Ser. Tullio *factis fuit;puta* Clustumia, Lemonia, Pupinia, *aut* Veientina. *Cui gens* Pinaria *patricia maiorum gentium ,* & *urbe uetustior nomen suum nouum imposuit , ut de* Aemilia , Fabia, Cornelia, & Papiria *factum fuisse scripsi. Sed hanc tribum merito illud suspectam facit, quod saxorum prorsus eget testimonio*

TRIBVS.EXTRA.NVMERVM
SAPPINIA

Huius quoque tribus nullum unquam epigramma uidi, neque qui se uidisset agnoui, quamobrem dubium esse potest an Romana *fuerit,quamquam de ea diserte bis, terue* Liuius *in libris de bello* Macedonico *mentionem faciat , ut libro tricesimoprimo sic :* Eodem *tempore* P. Aelius *consul* C. Oppium *praefectum socium, hac tumultuaria manu per* Vmbriã, *quam* tri-

tribum Sappiniam uocant, agrum Boiorum inuadere iußit. Et libro tricesimotertio. Sub haec tam uaria fortuna gesta, L. Furius Purpureo alter consul per tribum Sappiniam in Boios uenit. & cetera

RELIQVAE. TRIBVS. INCERTAE

Reliquarum nouem uel decem tribuum nomina, si modo uel tribus fuerint, uel error fabrilis non sit (omnium enim in uetustis marmoreis inscriptionibus mentionem extare didici) diu multumque me torserunt. Vt Camilla Cluentia, Cluuia, Dumia, Minucia, Papia, Vot . . . . Cestia, & Taur . . . . nam etsi facile concederem quasdam ex ijs errore fabrili ortas esse potuisse, ut MIN. pro MEN. VOT. pro VET. uel VOLT. & similes, id tamen de omnibus dici nulla ratione posse existimo, & praesertim Papiae cuius supra XII. inscriptiones extare uidi sic exaratas: PAP. PAPIA. Cluentiam quoque & Cluuiam ex Clustumina errore fabrili ortas existimassem, nisi eas integras sic CLVENTIA. & CLVVIA exaratas fuisse inspexißem. Cuius rei occasione CAM. Camillam, DVM. Dumiam, MIN. Minuciam. CES. Cestiam, quae concisae in lapidibus scalptae erant, interpretatus sum. VOT. enim & TAVR. si tribuum nomina fuere, interpretari me nescire fateor, nisi Votiuam & Tauriam dicamus, quod si error fabrilis fuit, et VOT. pro VET. uel Voturiam pro Veturia interpretari uoluerimus, quo modo Voturios pro Veturios dictos apud Sosipatrum legimus, non erit, quod in eius alia interpretatione laboremus. Porro autem quum quasdam ex his tribubus omnino fuisse mihi persuasißem, & in his Cluentiam, Cluuiam, & Papiam, suspicatus sum haec nomina aliquot earum octo, uel decem tribuũ fuisse,

se, quae bello Marsico quum Italis ciuitas data est, a Licinio & Iulio censoribus additae sunt. Quod ut existimarem duabus potissimum rationibus adductus sum. Primum, quod eas aliquas ex antiquis XXXV. tribubus esse non posse semper existimarim. Non enim uerisimile uidetur, ut antiquis illarum nominibus mutatis, Cluuiae, Papiae, & Cluentiae, quæ familiarum plebeiarum & nouarum nomina sunt. assumpserint. Deinde quia animaduerterim ab Appiano libro primo de bello ciuili, inter praecipuos duces Italicos, qui contra populum Romanum bello Marsico arma sumpserunt, Papium Mutilum, & L. Cluentium, nominari. Quae familiae postea in ciuitatem receptae nobiles euaserunt, summosque honores Romae adeptae sunt, ut praeturam & consulatum. In Fastis enim consularibus Papij Mutili mentio est. Cluuia quoque est oppidi in Samnio nomen, a quo quando cum ceteris Italicis populis Samnites ciuitate donati sunt, tribus Cluuia facile appellari potuit. Quod de his tribus dixi, idem de Camilla, aut Camillia, Dumia, Minucia, Cestia, Taur . . . & Vot . . . . Si Veturiam interpretari uoluerimus, et forte Aelia suspicari poterit. Nam Iuliam, Flauiam, & Vlpiam, in Augusti, Vespasiani, & Traiani memoriam additas, uel ex ueteribus ita appellatas fuisse, ex Dione libro XLIIII. intelligi potest. Nec me mouet, quod, nouis ciuibus ex illis octo aut decem detractis in XXXV. postea tribus distributi sint, atque tempore M. Tullij tantum XXXV. nominẽtur. Nam posteaquam ciues ex ijs excepti sunt, republica stante eas nihil fuiße existimo, uerũ post Augusti tempora, quum integris prouincijs extra Italiam etiã ciuitas dari coepisset, eas sub ijsdem quibus institutae fuerant, nominibus, ab aliquo imperatore restitutas fuiße puto, atque ad XLIII. uel XLV. numerum iterum auctas. Quae nihilominus ob antiqui numeri religionem semper XXXV. appellatae

fue-

fuerunt, quamquam XLIII. aut XLV. eßent, ut centurijs, & tribubus Romuli sub rege Tarquinio Prisco, centumuiris, qui centum quinque, Sex. Pompeio, & quindecim uiris sacris fa cris faciundis, qui LX. Seruio auctoribus, fuerunt, accidit. Nec ulla difficultas fuit, quae nouas tribus addere sub impera toribus prohiberet, praesertim quum ciues Romani in eas non distribuerentur amplius, ut suffragium ferrēt, uel aliquid comitijs agerent, quae omnia in principis unius potestate erant, sed tantum in eas tribus ciuitate donati referrebantur, ut id signum quoddam esset eos esse ciues Romanos, omnibusque priuilegijs potiri poße, quae libertate oppreßa sub Caesarum imperio ciues Romani potiri ex legibus consueuerant. De quibus alio loco disputabo

DE. VIII. alias X. TRIBVBVS. BELLO. SOCIALI ADDITIS

Anno ab urbe condita DCLXIIII. L. Iulio Caesare, & P. Rutilio Lupo cos. Bello Marsico maxime uigente, (omnis enim Italia auctoribus Picentibus; Tuscis, Vmbris, & Gallis exceptis, arma contra Romanos ob non adeptum ius ciuitatis aßumpserat) quum ijdem Tusci, Vmbri, ob eandem caussam defectionem molirentur, ueritus senatus ne hostibus omni ex parte orientibus, urbem minus tueri poßet, mare omne a Cumis ad Vrbem usque libertis communiuit, eis tūc primum ad militiam ob uirorum inopiam accitis. Italos uero omnes adhuc in fide permanentes (lege ab altero consulum quae Iulia appellata) quod maxime exoptabant, ciuitate donauit, inter quos Tusci, Vmbri, & Galli fuere. Hac igitur liberalitate usus senatus, ex amicis longe amiciores fecit, & qui dubij erant in fide confirmauit. Nouos uero hos ciues Romani haud statim eo rum

rum tribubus quae XXXV. numero fuere miscuerunt, uerum decem alias tribus addidere, in quibus ipsi suffragium nouissimi ferrent, & plerunque eorum suffragium nullius fere erat momenti, quū quinque & XXX. in primis uocarentur, quae supra dimidium reliquas excederent, quod a principio efflagitantibus Italis eos latuit. Quum uero res cognita fuisset alterius seditionis occasionem praebuit. Et paulo post. Et haec quidem per Italiam sociali bello gesta sunt, quod quum in maius augeretur Italia omni ciuitate donata, Lucanis & Samnitibus eo tempore exceptis, quieuit. Nam & hi eādem paulo post assequuti sunt, & inter tribus quemadmodum superiores separatim lecti, ne si antiquis ciuibus miscerentur, eos in comitijs superarent, quum essent numero longe plures. Hoc est quod ex Liuio scribit Florus in epitoma libri LXXX. Italicis populis a senatu ciuitas data. Et libro XXCIIII. Nouis ciuibus ex S. C. suffragium datum. Paterculus autem libro secundo hanc rem aliter tradere uidetur. Non enim nouas tribus additas fuisse scribit, sed octo ex ueteribus acceptas, in quibus Itali suffragium ferrent. Ait enim: Non erat Mario & Sulpicio Cinna temperatior. Itaque quum ita ciuitas Italiae data esset, ut in octo tribus contribuerentur noui ciues, ne potentia eorum & multitudo ueterum ciuium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium quam auctores beneficij, Cinna in omnibus tribubus se eos distributurum pollicitus est, quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in urbem acciuerat, e qua pulsus collegae optimatiumque uiribus, quum in Campaniam tenderet, consulatus ei abrogatus est, suffectusq; in eius locum L. Cornelius Merula flamen Dialis. Ita Velleius. Appiani autem sententiā magis, ut approbem duo faciunt, primū est antiquorum exemplum, qui propter nouos ciues, nouas etiam tribus addere solebant; nunc enim tota Italia ciuitate donata

nata uerisimile etiam uisum est, ut eas decem tribus adderent. Alterum est octo, aut decem tribuum, quas mox referam nomina, quae proculdubio uerae tribus aliquando, & non ex XXXV. numero fuerunt. Hoc quidem anno a censoribus Iulio & Licinio propter nouos ciues additae, & quadriennio post a Marcio & Perperna censoribus quum in XXXV. tribus Italici omnes distributi eßent, dißolutae; & postremo post Augusti tempora, quum integris extra Italiam prouincijs ciuitas dari cepißet, et forte a Claudio imperatore in censura quam cũ L. Vitellio anno urbis DCCC. geßit, denuo additae; quod innuere uidetur haec inscriptio cuiusdam ab ipso ciuitate donati

TI.CLAVDIVS. TI.F
CAMIL
SOTERICVS

Porro autem inter ipsas nouas tribus has fuiße existimo

TRIBVS . CAMILLIA . alias
CAMILLA

Huius tribus mẽtionem fieri in quinque antiquis inscriptionibus animaduerti sic: CAM. CAMIL. Quarum aliquot sunt in libro epigrammatum antiquae urbis exaratae ita

L.VICIDIVS.L.F
CAM.PRAESENS
item
Q.MANLIVS.Q.F.CAM
SEVERVS
ALBA. POMPEIA

Item

item

M.VADIVS.M.F
CAM.ASPRENAS

item

L.LVCCEIO.C.F
CAMIL.APRILI
AVG. BAD

item

TI.CLAVDIO. TI.F
CAMIL
SOTERICO

Ceterum uerbum CAMIL. *pro Camilla, Camilia & Camillina interpretari potest. Caußa autem cur neque huius, neque nouem sequentium nemo meminit est, quod paulo post quã institutae sunt, fractae fuerunt. Post Claudij uero imp. tempora haud multos integros historicos habeamus*

TRIBVS.CESTIA

Tribum CES. *quam in aliquot lapidibus se uidisse uir fide dignus mihi rettulit, pro Cestia ego interpretor gente post legem Iuliam Romae nobili, & consulari: C Cestij enim consulis sub Tiberio Caesare cum Cn. Seruilio mentio est apud Tacitum & in fastis consularibus, eiusdemque ut puto vij. viri epulonum in uetusta pyramide prope portam Ostiensem sic.*

C.CESTIVS.L.F.POB.EPVLO
PR.TR.PL.VII.VIR.EPVLONVM

TRIBVS . CLVENTIA

L. Cluentij bello Italico contra Romanos ducis Appianus meminit, Gentem etiam Cluentiam Romae nobilem Augusti tempore fuisse, eamq; a Troianis & Cloantho comite Aeneae descendisse, tradit Virgilius lib. v. sic

. . . . genus unde tibi Romane Cluenti

Ab hac facile fieri posset, ut tribus Cluentia nomen obtinuerit de qua mentio est in hac uetusta Sublacensi inscriptione

DIS.MANIBVS
SEX.IVNIVS.SEX.F.CLVENT
FRONTINVS
VET.LEG.I.ITAL.VOLVNT
VIX.ANN.LXIIX.M.IIX
H.S.E

TRIBVS.CLVVIA

Haec tribus a Cluuia Samnitium urbe, de qua meminit Liuius, nomen obtinere potuit, in qua Samnites in ciuitatẽ recepti, coniecti fuerint, de ea enim mentionem fieri animaduerti in uetusto hoc Praenestino epigrammate

DIS.MANIBVS
D.ANTISTIVS.D.F.CLVVIA
AETERIVS
MIL.COH.V.PRAET.7.AELI
ASPRI.VIX.ANN.XXXXII
M.IIX.D.XXII
T.F.I
IN.FRON.PEDES.XXIIII
IN.AGRO.PEDES.XXIIII

TRIBVS. DVMIA

Tribum quae in tribus uetuſtis lapidibus DVM. *notatur, ego* Dumiam *interpretor, de qua praetera nihil, quod afferam, habeo*

Romae

Q. FLAVIVS . DVM . Q. L. HILARVS
FECIT . MONVMENTVM . SIBI . ET
Q. FLAVIO. HERMEROTI. FRATRI. ET
Q. FLAVIO. GAMO. COGNATO. ET. SVIS
LIBERTIS . LIBERTABVSQVE
QVOS . MANVMISI . ET. QVOS. MANV
MISERO
POSTERIS. QVE. EORVM

Via Caſsia

CLAVDIAE . VENERIAE
A. GELLIVS . A. F. DVM
SECVNDVS
BONONIA
FECIT . ET . SIBI
IN. F. P. VI. IN. AGR. P. IX

Fani

Q. PERCERNIVS
Q . F . DVM
MASCVLINVS

TRI-

TRIBVS . MINVCIA

Minuciam gentem Romae nobilißimam & uetuſtißimam fuiße ſatis conſtat. Haec quum priſcis temporibus a patribus ad plebem tranſiiſſet, paulo ante bellum Marſicum adhuc florebat quo tempore duos conſulares, & alterum ex iis triumphalem Minucios habuit. Ab hac gēte haud abſurdum eßet tribum Minuciam deriuatam eſſe dicere, de qua in antiquo hoc lapide mentio eſt ita

Praeneſtae

A . MVNIO . A . F
MIN . EVARISTO
SPL . EQ . R . PAT . COL
OMNIBVS . HONOR
NITIDE . FVNCTO . OB
INSIGNEM . EIVS . EDITIONEM
MVNERIS . BIDVI . POPVLO
POSTVLANTE . BIGAM
PLACVIT . EQVEST . STATVA
DECRETO . ORDINIS . EVM
ORNARI
L . D . D . D

TRIBVS . PAPIA

Frequentißima mentio eſt huius tribus in uetuſtis marmoreis monumentis, ita ut haec una fidem reliquis facere queat, plures quā xxxv. tribus fuiſſe. Haec forte a gente Papia dicta eſt

Italicarum nobilißima. Nam inter primos belli socialis duces a Paterculo, & Appiano Papius Mutilus refertur, cuius gens postea in ciuitatem accepta consularis fuit. Papiorũ enim Mutili & Secundini consulum sub Augusto in fastis mentio est. Item legis Papiae & Poppaeae. T. quoque Annius Milo oratione Ciceronis celebratus e gente Papia fuit. A qua procul-dubio haec tribus nomen accepit: de qua hi lapides meminerũt

Sutrij

M. ANTEIO
M.F.PAP. RESTI
TVTO. PR. IVV
AEDILI. AVGVRI
CVR. R. P. DECVR
AVGVST. ET. POP
AERE. CONLATO

Romae in domo Laelij Lalli

Q. CAECILIVS. Q. L. PAPIA
SIBI. ET. LIBERTIS. ET. LIBERTABVS. QVI
SVNT. COMMVNES. CVM
CAECILIA. Q. L. DIONYSIA. ET. POSTERIS
LIBERTORVM. ET. LIBERTARVM. EORVM
CAECILIA. Q. L. DIONYSIA
SIBI. ET. LIBERTIS. ET. LIRERTABVS. QVI
SVNT. COMMVNES. COM. Q. CAECILIO
Q. L. PAPIA. ET. POSTERIS. LIBERTORVM
ET. EIBERTARVM. EORVM

Nea-

Neapoli

C . MARCIVS . C . F
PAPIA
SIBI . ET . SVIS . LIBERTIS
ET . LIBERTAE
HOC . MONVMENTVM
SIVE. SEPVLCHRVM . EST
H . N . S

TRIBVS . TAVR....

Tribum Taur. neque ego unquam uidi, neque qua ratione interpretari poßit, niſi Tauria dicamus, Scio. Vir tamen doctus, & fide plenus ſe hanc in antiquis tabulis marmoreis uidiße pro certo affirmauit

TRIBVS . VOT.....

Huius tribus in duabus omni ex parte abſolutis elegantißimisque inſcriptionibus mentionem extare uidi ita

Romae apud G. Delphinium

L . NEVIVS. L.F. VOT
POLLIO
L . N E V I O. L.L
DIOMEDI

Romae ad S. Mariam in via lata

CN . SERGIO. CN. F. VOT
PRISCO . FILIO . SVO
PRAETORI
SACRIS. VOLCANI. EX. DD
AEDILI . ADLECTO

Haec autem (si error fabrilis est quod minime existimo) tam pro Veturia, quam pro Voltinia interpretari possunt. Quamquam apud Sosipatrum voturios pro veturios aliquando dictum legimus. Ita ut Veturia dicendum sit. Quod si neque error fabrilis sit, neque Veturia legendum, quid plane dici possit ignoro, nisi Votiua uel Votinia interpretemur, quorum neutrum tamen placet

TRIBVS . AELIA

Postremam omnium Aeliam tribum, quae decem numerũ expleret suggeßi, quod parum compertum habeam, an a gente antiqua Aelia nobili, quamquam plebeia, an ab Hadriano Imperatore, qui ex gente Aelia fuit, dicta sit, quemadmodum Iulia, Flauia, & Vlpia; quae ab Augusto, Vespasiano, & Traiano nomen adeptae sunt. Huius tribus lapidem nullum adhuc uidi, sed se uidiße uir quidã doctus et cui facile credo, mihi rettulit. Haec autem si omnia tribuum nomina sunt a xxxv. diuersa, facile ipsarum decem tribuum bello Marsico additarum esse potuerunt. De quibus praeterea quid afferam non habeo

TRIBVS . IVLIA

Tribum Iuliam scribit Dio libro xliiij. in Augusti honorẽ a senatu appellatam fuisse, unam ex ueteribus, non de nouo addi-

additam. Quae autem ea fuerit incertum. De hac tribu duas inscriptiones extare uidi ita

Fani

Q. TITIENVS. Q. F
IVLIA. QVADRATVS

Inter Ariciam & Bouillas

DIS. MANIBVS
Q. IVNIVS. Q. F. IVLIA
VALENS
MIL. LEG. V. ALAVD
VIX. ANN. XLIIX
D. XX. H. IIX. VIVVS
FECIT. SIBI. ET. SVIS
IN. FR. P. IIII. IN. A. P. IIII

TRIBVS. FLAVIA

Et haec tribus aut a Vespasiano, aut ab altero filiorum Tito uel Domitiano nominata fuit: quandoquidem hi ex gente Flauia fuerunt. De qua tribu hanc uidi inscriptionem Romae

C. VALERIVS. C. F
FLAVIA. SPECTATVS
SISICIA. MIL. COH
VIII. PR. 7. VOCONI
MIL. ANN. VI. VIX
ANN. XXIIII. H. F. C

TRIBVS . VLPIA

Haec in Traiani Imp. memoriam denominata est, de qua antiquum epigrãma ego aliquando uidi, quod modo ad manus nõ est. Atque haec sunt omnium tribuum nomina, quae ego unquam extare in antiquis, tam librorum quam lapidum monumentis, didici. Quas ego hac ratione digeßi, atque de ijs ita disputaui, ut probabiliter potius, & disputandi more differuerim, quam sic omnino fuisse mihi persuadeam. Quae ego attuli, harum rerum studiosi accurate examinabunt, si quod mihi proposui, consequutum me esse existimabunt, non parum mihi in lucro tulisse uidebor, sin autem liberum erit cuique, quae de rebus adeo nostra aetate, & forte antiquorum etiam obscuris tractaui, ad suam ipsorum sententiam, dum meliora & certiora afferant omnino reuoluere, & ea distinctiora & illustriora reddere, quod enim potui praestiti, neque quicquã laboris quo omnia clarißima facerem reliqui

A tribubus comitia tributa fiunt, quemadmodum a curijs curiata, & centurijs centuriata. Ea erant auctore Gellio quũ ex regionibus, & locis, id est per tribus suffragium ferebatur Erant enim tribus populi Romani partes distinctae locis in urbe diuersis & regionibus undique circum urbem per Italiam dispersis. Ceterum de comitijs curiatis haud multo post, quũ ad eorum primam institutionem deueniam, disputabo. Atque hactenus de tribubus Romanis

De Censu primo, & lustro instituto

Post disputationem de tribubus, quae de censu pollicitus sum nunc exponere rei ipsius ordo requirit. Ser. itaque Tullius rex, post urbanas rusticasque tribus institutas, Tuscorum exercitu

tu fuso, Romam (ut inquit Liuius) reuersus, longe maximū pacis opus aggressus est: ut quemadmodum Numa diuini auctor iuris fuisset, ita Seruium conditorem omnis in ciuitate discriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunaeque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum enim instituit rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non uiritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent; nam classes, centuriasque, & hunc ordinem ex censu descripsit, uel paci decorum, uel bello. Tum igitur ciues omnes bona sua aestimare rex iussit, atque eorum aestimationem iure iurando obstrictos ad se deferre; praeterea patrem, nomina, & aetatem uxorum, liberorum, libertorum, seruorumque profiteri, quaque urbis in regione, aut quo suburbij pago habitarent, indicare; qui secus fecisset, bona eius publicari, ipsum uerberatum uenire, & ciuitatem amittere uoluit. Ex ijs autem uerbis, quae Dionysii sunt colligimus: Ciues Romanos non ubi ad aetatem ferendis armis idoneam, hoc est ad annos XVII. peruenerant, ut quidam existimarūt sed a quo primum die nati erant, censos fuisse. Quo in loco Dionysius ipse libertinos quoque, & seruos una cum ingenuis fuisse censos significat. Quum autem ut ex eodem liquet, rustici Romani censi fuissent, non est dubium, quin posteaquam communicari ciuitas coepta est, municipia, & coloniae in censum recepta fuerint. De municipijs autē ita scribit Pedianus: Conuenerat ex municipijs cuiuscunque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum caussa, aut ludorum, aut ut censerentur. Idem quoque significant uerba Ciceronis in oratione pro Cluentio quum scribit: Tabulas publicas Larini censorias corrrupisse, decuriones uniuersi iudicarunt. Certe .n. de tabulis ijs intelligit, in quas Censores quum ciuium Romanorum censum agerent, municipum nomina rettulerant. Coloni

loni uero bello Punico secundo censeri coepti. Ita enim scribit Liuius libro XXIX. Duodecim coloniarum quod nunquam antea factum erat, deferentibus censoribus, censum acceperũt: ut quantum numero militum, quantum pecunia ualerent, in publicis tabulis monumenta extarent. Orbos autem & orbas, itemque uiduas censu exclusas aliquando fuisse refert Liuius. Lib.n.III. Q. Fabio (inquit) T. Quinctio Cos. censa sunt ciuiũ capita CXXIII ∞ CCXIIII. praeter orbos, orbasque. Et libro LIX. ait: Censa ciuium capita CCCLXIII ∞ DXIII. praeter orbos & uiduas. Nulla igitur (his exceptis) hominum conditio censu a Ser. Tullio exclusa fuit, ut ex Dionysio satis constat. Qui professione perfecta tabulas perlegit, quibus & ciuium numerum, & uniuscuiusque opes cognouit. Prout autem uarius erat cuiusque census, ita etiam sex descripsit ciuium classes, quae in cẽturias dispartitae erãt. Ita ut in primam ditissimum quenque, in sextam tenuissimum conijceret. Ex his enim quorum maximus erat census, idest, qui centum millia aeris eoue amplius possiderent, primam classem fecit octuaginta centuariarum, quadraginta quidem seniorum, & totidem iuniorum. Erant autem seniores post annum aetatis XLV. iuniores autem a XVII. ad XLV. seniores ad urbis custodiam ut presto essent, iuuenes ut foris bella gererent. Arma is imperata galea, clypeus, ocreae, lorica omnia ex aere, haec ut tegumenta corporis essent, tela in hostem hastaque, & gladius. Additae huic classi, ut Liuius scribit, duae fabrum centuriae, quae sine armis stipendia facerent, datum munus ut machinas in bello ferent. Has duas centurias, non primae sed secundae classi adiectas fuisse prodit Dionysius, earumque unam centurias seniorum, alteram uero iuniorum sequi iussas. Secunda classis intra centum, usque ad quinque & septuaginta millium censum uiginti centuriarum in-

instituta, decem seniorum & decem iuniorum, his arma imperata, scutum pro clypeo, & praeter loricam omnia eadem. Ter*tiae classis quinquaginta millium cēsum esse uoluit, uiginti quoque centuriarum, ex quibus decem iuniorum, totidem seniorum, quibus de armis quicquam mutatum, praeter ocreas tantum, quas eis ademit.* In *quarta classe census quinque, & uiginti millium, ut* Liuius, *uel* XX. *tantum millium, ut* Dionysius; *totidem centuriae, eodemque discrimine aetatum factae; arma his immutata nihil praeter hastam, & uerutum datum.* Quinta *classis aucta, centuriae* XXX. *factae* XV. *seniorum,* XV. *iuniorum,* XI. *millibus haec classis censebatur, fundas lapidesque mißiles hi secum gerebant.* In *his, ut* Liuius *scribit, accensi, tibicines, cornicinesque in tres centurias distributi.* Dionysius *uero, duas tibicinum tantum centurias factas fuisse refert, easque quartae classi adiunctas, quarum una erat seniorum altera iuniorum.* Census *autem* XI. *millium minor, reliquam ciuium multitudinem habuit, quae erat maior ciuium multitudo, quam in unam centuriam redegit militiae ac tributi immunem, & haec fuit sexta classis.* In *hac autem centuria proletarij, & capite censi erant.* Proletarij *autem erant. qui* ∞ C. *asses uel plus minus in censum deferebant, qui soli in urbe procreandae proli, & nulli alio uidebantur uacare publico muneri, unde a prole proletarij nuncupati.* Capite *censi uero tenuiores erant, qui* CCCLXXV. *asses haberent in censum, qui quoniam pecunia non uiderentur censi, capite suo censebantur, ciuium numerum augentes, quibus nō ideo uacatio a militia data, quod arma his quoque non comitti possent, sed quia bellicos sumptus facere nequirent.* Eis *enim tēporibus milites se de suo alebant.* Proletarij *longo tempore post militare coeperūt.* Capite *uero censis primus bello* Iugurthino *arma dedit* C. Marius, *ut scribunt* Salustius, & Valerius

rius Maximus. Ceterum Ser. Tullius ita pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus ciuitatis qui maximo censu essent, XII scripsit centurias. Sex item alias centurias tribus a Romulo institutis, sub iisdem quibus inauguratae erant nominibus fecit, atque ad XVIII. numerũ auxit, quas cũ octuaginta primae classis centurijs cõiunxit, eisq; ad equos emẽdos, dena millia aeris ex publico data, & quibus equos alerent uiduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderẽt. Ex qua diuisione sequitur ut decuriones, equites, senatores oẽs in prima classe cẽserentur, quandoquidẽ neq; decurio poterat esse qui cẽtũ millia nõ haberet, neq; eques qui XL ∞ neq; senator qui octingenta millia. Sũma aũt centuriarum quæ oĩbus classibus cõtinebatur, erat CXCIII. uel ut Liuius, CXCIIII. Qui unã tibicinũ cornicinũ, et accensuũ cẽturiã adiũgit. Ex his octo & XC. erãt primae classis, si numerẽtur cẽturiae XVIII. equitũ, uel centũ cẽturiae erunt primae classis si duas fabrũ addiderimus, quas Liuius primae, Dionysius uero secũdæ classibus adiunxere. Populo ita distributo militum descriptionem per centuriarum diuisionem faciebat, ac tributum ex censu per easdem centurias imperabat. Nam si quando ei opus esset militum decem millibus, aut uiginti, diuisa in centum nonaginta tres centurias ciuitate, per centurias imperabatur quantum dare militum quemque oporteret. Tum inita ratione pecuniarum quae exercitui ducendo opus esset, populus in centum nonaginta trium centurias diuidebatur, & quid quamque centuriam conferre oporteret, imperabat. Qua ratione fiebat, ut qui maximo censu erant, quum & pauciores essent, & in plures diuisi centurias, saepius ac fere continenter ferrent onus militiae, & de suis facultatibus plus in commune conferrent, atque ut ait Liuius: In dites à pauperibus inclinata onera. Qui enim medio censu erant, quia plures erant, & in pauciores

ciores centurias distributi, nec ita saepe militabant, nec magno tributo grauabantur; qui uero infimo censu erant omni onere immunes fuerũt. Atque illo quidem periculorum & impensarũ onere diuitibus imposito, ut ne id grauiter ferrent, optimam rationem leniendae indignationis commentus est. Effecit enim ut hi uere Reip. domini essent, & in pauperibus nulla propemodum uis esset, idque ita fecit, ut se excludi plebs non sentiret. Fuit autem illa quam diuitibus dedit, dominatio in comitijs, quibus res maximae a populo sciscebantur. Nam ex ueteri lege tria erant in populi potestate, magistratus omnes creare, leges condere, aut abrogare, bellum indicere, aut pacem facere. Hæc uero a populo adhuc ita peragi solita erant, ut per curias diuisus suffragium ferret. Erantque tunc pauperes diuitibus ferendo suffragio pares. Quin etiam, quia multo pauciores erant diuites pauperibus, ita fiebat, ut uis suffragiorum eßet penes pauperes. Quo a Ser. Tullio animaduerso in diuites transtulit potestatem suffragiorum; quando enim uolebat uel magistratus creare, aut leges ferre, aut bellum indicere, centuriata comitia pro curiatis uocabat, ac primum quidem ad suffragium ineundum uocabat centurias maximi census, in quibus erant XVIII. centuriae equitum, & peditum XXC. Hae octo & nonaginta centuriae quae reliquam multitudinem tribus centurijs superabant si conuenissent, reliquas uincebãt, omninoque quod statuissent obtineri oportebat. At si omnes illae non conuenißent, tunc uocabat secundae claßis XX. uel XXII. centurias, quod si harum rursus diuersae fuissent sententiae, uocabantur centuriae uiginti claßis tertiae, mox quartae XX. uel XXII. idque eousque faciebat, donec XCVII. centuriae conuenirent, quod si uocata etiam quarta classe id nondum ita accidißet, sed suffragiorum multitudine pares essent CXCII. centuriarum sententiae, tum ultimam centuriam sextae claßis uocabat

cabat, quae cui parti se addidisset ea uincebat. Id quod raro aut nunquam usu uenit; fere enim a prima claße omnia transigebantur, raro ad quartam peruentum. Quinta uero claßis, ac postrema nullius fere momenti erant. Atque illo quidem ordine instituendo, quo tantum auctoritatis dabatur ditioribus, ut pene exacti Reip. administratione pauperes uiderentur, tantum adhibuit calliditatis, ut plebi infimae fraus non appareret. Omnes enim se aequabiliter gerere remp. censebant, quod uiritim rogabantur in suis singuli centurijs. At decipiebantur, partim quod uniuersae centuriae unum eßet suffragium, siue plurimos, siue paucos ciues complecteretur, partim quod primae suffragium ferrent eae centuriae, quae erant maximi census, quae & plures erant numero reliquis omnibus, & pauciores tamen homines singulae continebant. Erat uero & pars fraudis non minima in eo, quod capite censi quamquam longe plures eßent, unicum tantum suffragium omnes faciebant, ac postremi uocabantur. Qua ratione efficiebatur, ut diuites quorũ erant maximae in rep. impensae, quique cõtinenter munera rei pub. sustinerent, minus id grauate ferrent, propter eam quam obtinebant in rebus maximis auctoritatem; quam cum ijs non communicari uidebant, quibus in capescenda rep. non tantum oneris incumberet: pauperes contra, quibus oneris publici minimum imponebatur aequo animo ferrent, se pro sua immunitate tributorum ac militiae inferiores ijs eße, in quos ista incumberent. Haec ratio reip. gerendae per multas aetates a Romanis seruata est. Qua ratione autem posterioribus temporibus mutata fuerit, tribuum numero aucto, centurijsque duplicatis alibi explicabo. Censu autem a rege Ser. Tullio perfecto, quem maturauerat metu legis de incensis latae (nam uinculorum minis, mortisque edicto cauerat ne quis incensus remaneret) lustrum hac ratione primo condidit. Edixit ut omnes ciues Romani,

mani, equites, peditesque in suis quisque centurijs, in cãpo Martio prima luce adeßent, ibi instructum exercitum omnem sue, oue, & tauro, sacrificio facto lustrauit, quas hostias quum eas prius circunduci ter circum exercitum iußisset, immolauit; idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis fact us est. Id autem sacrificij genus Solitaurilia, & Suouetaurilia uocabant. Primo autem lustro censa fuiße octuaginta ciuium millia traduntur, quem numerum eorum tantum fuisse Q. Pictor scripsit, qui arma ferre poterãt. Dionysius uero eos octuaginta quattuor millia fuiße prodit. Idque ex tabulis censorijs se accepisse scribit: cum Dionysio sentit Eutropius. Quum uero institutum fuerit, ut quinto quoque anno exacto census fieret, lustrum ue conderetur, hinc lustrum pro quinquennali spatio sumptum esse constat. Idque a luendo dictum scribit Varro libro quinto de lingua Latina, quod quinto quoque anno uectigalia, & alia tributa per censores persoluerentur: tametsi ultra quinquennij tempus uel bello, uel domesticis discordijs, uel alio casu saepe productum in septem, decem, & aliquando septemdecim annos fuisse lustrum ex Fastis constet. Magistratus autem huic muneri praefuit primum, qui summus in urbe fuit, reges, eiectis regibus consules, deinde quum consules bellis impedirentur censores, qui ab re nomen acceperunt. Censum autem in foro primum, deinde Villa publica (locus is erat in campo Martio) fieri institutum; lustrum uero semper in campo Martio conditum. Haec autem ex Dionysio, Liuio, Plinio, Salustio, Valerio, Eutropio, Censorino, Sex. Pompeio, L. Floro, & ceteris, qui Ser. Tullij regis acta scripserunt, decerpsi

De comitijs centuriatis

De comitijs autem centuriatis disputaturus, quae praecipua populi Romani comitia erant, ante omnia quid comitiorũ uocabulo significetur interpretandum est. Comitia a coeundo, uel potius, ut ueteres dicebant a comeundo dicta sunt, quod populus coire bis & in unum locum conuenire soleret, a quo etiam uerbo locus in foro Romano Comitium dicebatur, & conciones quasi comitiones uocabantur. Erant autem comitia quum generaliter uerbum accipitur, conuentus populi totius, aut partis ad ferendum de aliqua re suffragium. Alio modo, & quum proprie uocabulum accipitur, uniuersi populi conuocatio ad aliquid suis suffragijs sciscendum. Nam si plebs tantum, quae pars populi erat a magistratu uocata fuisset, ea non proprie comitia dicebantur sed concilia, quod Gellius libro XV. cap. XXVII. ex Laelio Felice, Cicero. ij. de legibus, & post reditum in senatu, docent. Quamquam Liuius hanc differentiam non agnouisse uideatur, qui & saepe comitiorũ & concilij nomine absque ullo discrimine in eadem re utitur, & concilium pro quauis populi congregatione usurpat. Ceterae porro populi congregationes, & coetus, qui non ferendi suffragij caussa, sed ludorum, aut census fiebant, non comitia dicta. Non erant enim comitia nisi essent populi tales conuentus, qui indicti eßent ad ferendã de aliqua re per suffragia sententiam. Tria autem erant comitiorũ genera, curiata a Romulo instituta, de quibus supra uerba feci; centuriata a Ser. Tullio inuenta, de quibus nunc disputare institui; & tributa, de quibus post dicam. Calata enim comitia non faciebant aliud genus comitiorum, sed eiusmodi erant uel curiata, uel centuriata, a calo uerbo quod est conuoco dicta, unde,

& Romae in Capitolio curia Calabra, in qua calata, hoc est conuocata plebe, pontifex dies pronuntiare solebat. Centuriata igitur comitia erant, quibus populus per classium centurias diuisus suffragium ferebat, ita ut centuriatim suffragia colligerentur, & quod plures centuriae iußissent, id ratum haberetur. Ex his autem, quae supra ex Liuio, & Dionysio de Ser. Tullio disserui, quales, & a quo primum, & quo modo institutae, suffragiumue ferrent eiusmodi centuriae, unde nomen habuerũt centuriata comitia facile intelligi potest. Tribus porro potissimum de caussis comitia centuriata haberi solebant. Vna erat creandorum magistratuum, altera legum ferendarum, tertia iudicij exercendi caussa, quod etiã Cicero ij. de diuinatione docet. Quod quidem institutum reipublicae caussa est, ut comitiorum uel in iudicijs populi, uel in iure legum, uel in creandis magistratibus principes ciuitatis essent interpretes. His autem comitijs creabantur primo omnes maiores magistratus ordinarij, & extra ordinarij praeter dictatorem, qui noctu ab altero consulum, ex S.C. quotiescunq; opus esset dicebatur; magistrum equitum, qui a dictatore cooptabatur, & interregem, quem comitiorum habendorum causa, non nisi patricium, & a patricijs prodi solitũ Cicero, Asconius, & Liuius testantur. Erant autem maiores magistratus, qui comitijs centuriatis creabantur: consules, quod ex Cicerone, & T. Liuio manifestißimum est; praetores, ut ex omni Liuiana historia liquet, & postremo censores, ut A. Gellius lib. xiij. cap. xiiij. ex Messalla scribit. Qui Consules, censores, & praetores maiores magistratus uocat, eosque comitijs centuriatis aperte creatos refert. Dictatorem autem ab altero consulum creari mos erat, ut supra dixi, qui ex S. C. quem uellet ex omnium consularium numero dictatorem quoties opus erat, dicebat. Illud tamen scitu dignum, aliquando populi iussu actũ

n fuisse

fuisse, ut consul non pro arbitrio, sed quem populus iußisset dictatorem diceret, ut dictus est Q. Fuluius Flaccus a M. Marcello consule bello Punico secundo: ex quo etiam plebiscito a Q. Fuluio dictatore P. Licinius Crassus põtifex max. mag. eq. dictus est. Est etiam per absentiam consulum aliquando prodictatore a populo creatus, quemadmodum de Q. Fabio Maximo testatur Liuius lib. xxij. Interrex aũt quũ sine curuli magistratu resp. esset comitiorum caussa patricius a patricijs coeũtibus prodebatur, quam rem saepe Liuius commemorat. Illud quoque animaduertendum, proconsules interdum centuriatis comitijs creatos, ut de P. Scipione Africano proconsule in Hispaniam misso tradit lib. xxvi. Liuius. Quamquam rationẽ hanc decernendarum prouinciarum nec perpetuam, nec ordinariam fuisse post ostendam. Comitijs postremo centuriatis creabatur Rex sacrorum, alias rex sacrificulus, ut ex Laelio Felice docet Gellius lib. xxvij. cap. xv. Nam de quibus sacerdotijs lex Domitia fuerit supra demonstraui. Comitijs etiã centuriatis x. viri legum scribendarum, & tribuni militum consulari potestate creati sunt. Hi igitur sunt omnes magistratus, quos centuriatis comitijs creatos fuisse inueni. Alteram porro comitiorum centuriatorum caussam fuisse dixi legum ferendarum. Leges autem hae fuerunt omnes, quae a magistratibus ijsdem promulgate sunt, qui uel maiores essent, uel comitijs centuriatis crearentur. Quare omnes fere leges a dictatoribus, consulibus, & praetoribus auctoritate senatus latae, centuriatis comitijs latae sunt, ut de bello indicendo, Valeriae de prouocatione, duodecim tabularum, Aemilia de censura, & similes. Dixi autem fere ita factitatum, quia id perpetuũ non fuit, ut quas leges ferrent maiores magistratus has centuriatis comitijs ferrent. Nam aliquando leges curiatas a maioribus magistratibus, ut a consule in comitio latas legi-

legimus, ut fuit rogatio M. Pisonis consulis ad populum de religione a P. Clodio contempta in comitio, auctore Cicerone, lata. Bellum postremo ijsdem comitijs indici solitum aperte ex omni Liuij historia intelligitur. Pax enim tributis comitijs, ut ostendam, fiebat. Tertia postremo comitiorum centuriatorum ratio fuit iudiciorum exercendorum caussa. Iudicia autem populi his comitijs habita, ad unum tantum crimen capitale perduellionis spectabant. Nam reliqua iudicia, uel a triumuiris capitalibus, uel ab aedilibus, uel a C. viris, uel a praetoribus, uel a quaesitoribus ad id a populo creatis, aut quaestoribus paricidij transigebantur. Vnum tantum perduellionis crimen ad iudicium populi pertinebat, quod centuriatis comitijs terminabatur. Erat autem crimen perduellionis, hostili animo se in remp. gerere, nam quos nos hostes appellamus, ueteres perduelles uocabant. Hinc factum est, ut reus perduellionis diceretur, qui se quoque modo hostili animo in rempublicam esse declarasset, quasi diceres reum hostilitatis. Discrimen autem erat inter id crimen, & crimen maiestatis, auctore Cicerone lib iij. in Verrem: Nam maiestatis crimē erat duces hostium pecunia liberasse, aut priuatum hominem domi suae hostium duces seruasse incolumes, legionē solicitasse, seditionem in exercitu excitasse, magistratui pro suo imperio quicquam agenti restitisse, ut idem Cicero pro Cluentio, & pro C. Cornelio ostendit, atque hoc crimen suum praetorem habebat, qui de eo quaereret. Crimen uero perduellionis erat ciuem Romanum cōtra ius libertatis sibi legibus Porcia maxime, & Sempronia concessae in crucem tollere, aut securi percutere, aut in latumias conijcere, aut uerberare. Quum enim lege Porcia cautum esset ne ciuem Romanum uirgis cedere, aut ullo seruili supplicio afficere liceret, lege uero Sempronia, ne de capite ciuis Romani iniussu populi iudi-

caretur, quicunque contra ius suae libertatis ciuẽ Romanũ, quasi peregrinũ tractaßet, tãquã oppugnator libertatis Romanae reus perduellionis ad populum fiebat. Ius enim ciuitatis totũ erat penes populum, ideoque iudicio populi merito subijciebatur, qui contra leges de iure ciuitatis, ac libertatis populi quicquam fecerat. Itaque C. Rabirius perduellionis reus factus est, quod Saturninum tribunum plebis, quamuis seditiosum, & reip. perturbatorem, iniussu populi Romani occidisse diceretur. Qui magistratus, quod ad defensionem libertatis populi institutus fuerat, idcirco legibus sacrosanctus esse iubebatur, quod nihil aliud erat, quam sacrum caput eius esse, qui tribuno plebis nocuisset, quod idem erat atque eum pro hoste haberi. In hoc itaque crimine populus comitijs centuriatis iudicabat, ut ex oratione iij. in Verrem, & pro domo, et Valerio lib. vi. cap. v. liquet. Duumuiri aliquando qui de hoc crimine quererent creati sunt, sub regibus de Horatio perduellionis reo. Iudicia etiam perduellionis centuriatis comitijs agi solita refert lex xij. tabularum, quam Cicero lib. iij. de legibus ponit ita

Priuilegia ne irroganto

De capite ciuis nisi per maximum comitiatum, Ollosque quos censores in partibus populi locasint, ne ferunto.

Perduellionis autem iudicium capitale esse nemo ambigit. Quapropter P. Clodius, quum reum perduellionis Ciceronem fecit, ob id iudicatus est non iure fecisse, quod tributa habuit comitia de capite ciuis Romani, qui centuriata habere debuisset. Quod etiam Cicero lib. iij. de legibus refert

Commune autem erat omnibus centuriatis comitijs cuiuscuis causa haberentur, eos non nisi a maioribus magistratibus haberi posse. Quum enim agendi cum populo ius cuiquam non esset praeterquam magistratui (nisi de sacris agendum esset)

set) si quidem rogare quid populum, quod suffragijs suis quid iubeat, aut uetet, quod est cum populo agere nemo absque imperio posset, minores sane magistratus, quorum erãt minora auspicia, quibusq; minus erat imperij, ius habere nõ poterant uocandi centuriata comitia, quibus et auspicijs maioribus, & maximo imperio opus esset. Habere igitur centuriata comitia poterant consules, praetores, censores, dictatores, & interreges, quos omnes maiores magistratus fuisse liquet. Ac magistratuum maiorum quos solos his comitijs creari dixi comitia consules semper ac soli habebant, nisi aut res ad interregnum redijsset, aut absentibus consulibus senatui uisum esset, dictatorem comitiorum caussa creandum esse: tunc enim consules ab interrege, aut dictatore creabantur. Praetorum comitia non nisi consules habere poterant, praetori enim neque cõsulum, neque praetorum comitia habere ius erat; ut ostendit Cicero lib. ix. ad Atticum. Censores quoque non nisi a consulibus creabantur, ut ex omni Liuiana historia liquet. Atque creandis magistratibus non nisi consules, dictatores, interrex comitia habere poterant. Legibus uero ferendis, aut iudiciorum caussa, ius erat consulibus dictatori, & praetoribus tantum, ut ex omni Liuij historia didici; censores enim aut interregem, uel magistrum equitum comitia nunquam exercendi iudicij, aut legum ferendarum caussa habuisse, constat. Censores tamen ius habuisse populi uocandi ex lustri condendi ratione manifestum est. Legibus quoque inter arma silentibus L. Valerius Flaccus interrex de perpetua Sullae dictatura legem tulit, quam legem legum omnium iniquissimam, dissimillimamque legis Cicero appellat. Ius etiam uocandi populi magistrũ eq. habuisse indicant Pomponij uerba quum ait. Hoc fuisse dictatoribus magistros equitum, quod erant sub regibus tribuni celerum. At ex Dionysio constat tribunum celerum ius

agendi cum populo habuisse. Ex his igitur apparet, ex magistratib. quibus ius esset habendi centuriata comitia. Cõsules. n. tantum, dictatores, & interreges magistratibus creandis comitia habere solebãt. Censores uero, praetores, & magistri eq. minime. Legum autẽ, ac iudiciorum, consules tantum, dictatores, & praetores. Non interreges, censores, & magistri eq. Ius uero conuocandae concionis omnes habuisse cõstat. Ex his porro qui magistratus non essent solos pontifices ius habuisse agendi cum populo inuenio, idque in comitijs centuriatis, tributis, & curiatis. In centuriatis quidem tantum in creatione regis sacrificuli, qui centuriatis fieri solebat, in reliquis eorundem comitiorum caußis nihil illis ius erat. His autem comitijs omnes quoquot adesse uolebant pleno iure ciues Romani interesse poterant, id est, qui ius suffragij ferendi haberent, quibusque ciuitas cum suffragio data fuisset: nam erãt & ciues sine suffragio; uel quod his datum a populo non esset quum ciues facti sunt, uel quod eos censores ignominiae caussa suffragij latione priuassent, quos in Caeritũ tabulas referri dicebant. Hi primi omium municipes ciues Romani facti sunt sine suffragij tamen iure, pro sacris Romanis bello Gallico custoditis. Asconius: Qui plebeius erat in Caeritum tabulas referebatur, & aerarius fiebat, ac per hoc non erat in albo centuriae suae, ad hoc ut ciuis eßet, sed tantummodo, ut pro capite suo tributi nomine aera penderet. Vide Gellium lib. xvi. cap. xij. quum enim essent plura ciuium Romanorum genera, quae uarijs iuribus, & priuilegijs distincta essent, hi pleno iure ciues Romani erãt, quibus suffragij ferendi ius datum fuerat, uel non ablatum: reliqua enim omnia quae habebant priuilegia cum alijs ciuibus imperfecti iuris communia erant. Nõ uirgis cedi, uel securi percuti legibus Poricia & Sempronia commune etiam erat his qui sine suffragio ciues essent. Militare in

re in legione Romana, hereditatem ciuis Romani capere poſſe, teſtamentum iure Quiritium facere, iiſdem ciuibus communia erãt. Ius connubiorum cum Latinis communicabant, et alia quaedam ſimilia. In comitijs ergo centuriatis ius ferendi ſuffragii habebant omnes cum pleno iure ciues Romani. In quo numero ante legem Iuliam comprehendebantur omnes ciues Romani, qui in urbe, agroue habitarent, atque in xxx. curias, xxxv. tribus, et ſex claſſes diſtributi eſſent. Item municipia aliquot quibus ciuitas cum ſuffragio data fuerat, ut Tuſculani, Lanuini, Aricini, Nomentani, Pedani, Forniani, Fundani, & Arpinates. Et poſtremo coloniae aliquot ciuium Romanorũ, quibus ciuitas cũ ſuffragio data fuerat, ciuiumque Romanorum, ob id dictae, quum hae quae ſuffragiũ non haberent coloniae Latinae dicerentur. Duo enim coloniarum genera fuiſſe tradit in Piſonianam Aſconius, quaedam Latinae, & quaedam ciuium Romanorum, de quibus frequens apud Liuium mentio eſt. Poſt legem uero Iuliam Italia omnis, cui ea lege ciuitas cum ſuffragio data eſt, ius in comitijs hiſce habere coepit. Atque ita coloniae omnes, municipia, & praefecturae, & alia Italiae oppida, uel ſociae ciuitates Romae ſuffragari coeperunt. In omnibus porro comitijs centuriatis erant diribitores, qui tabellas populo per centurias miniſtrabant, non enim eas populus domo ferebat, ut aperte tradit Cicero epiſtolarum lib. i. ad Atticum. Diribitorum, qui a diribendis hoc eſt diſtribuendis tabellis dicebantur, meminit Cicero in Piſonem, & alibi ſaepe. Erant, & rogatores; erãt qui ciſtas deferebant in quas tabellas ſuffragij populus conijciebat. De quibus ſaepe Cicero. Itemque cuſtodes, qui praeter id quod obſeruabant, ne quid fraudis committeretur in ſortitionibus, & ſuffragijs dicendis, deſcribebant etiam cuiuſcunque centuriae educta e ciſta ſuffragia, ut appareret quae eſſet

illius centuriae sententia, quam sententiam tum per praecones magna uoce pronuntiabant, & postremo quem omnes centuriae, uel tribus magistratum pronuntiassent, populo alta uoce declarabant. De ijs custodibus, & praeconibus Cicero in Rullum, & alibi saepe, et Plutarchus in Catone meminerunt. Praecones etiam centurias, & classes ad ferendum suffragium uocabant. Erat uero, & hoc praeterea custodum munus, ut post lata suffragia in quibusdam tabulis numerum sententiarum punctis notarent, quod ex Cicerone in oratione post reditum in senatu liquet; singulorum enim sententiae puncta, uniuersae centuriae suffragia uocabantur. Iidem diribitores, rogatores, custodes, & praecones in reliquis centuriatis comitijs legum uel iudiciorum erant. Hoc differt, quod in tabellis magistratuum notata erāt nomina candidatorum. In iudicijs in altera Absoluo, in altera Condemno, in altera Non liquet. In legibus: Vti rogas, in altera, Antiquetur. Nunc de ijs qui magistratus petebant, quos candidatos uocabant, dicā. Erant autem candidati qui magistratum aliquem petebant, sic dicti a toga candida, quam gestabant, qui se magistratum petere professi essent. Huius rei exemplorum omnes libri pleni sunt. Caussam cur in toga candida magistratus ambientes apparerent refert Plutarchus in problematibus. Ex candidatis quidam petitionem suam biennio, quidam anno antequam inirent inchoabant. Erant quoque petendis magistratibus praescripti, & certi quidam anni, ante quos magistratum nemo petere poterat, nisi legibus solueretur, de quibus satis dixi in commentarijs Fastorum in tractatu de consulatu. Edictis uero comitijs, tum qui petere uolebant, se profiteri candidatos oportebat, alioqui nisi intra legitimos dies se petere professi essent, ratio eorum haberi comitijs non poterat. Petitionem tamen diu ante per amicos candidati adornabant.

Post

Post edicta uero comitia concione ab aliquo magistratu impetrata populo se petere profitebantur: hoc est: quandam publicam uoluntatis suae declarationem populo faciebant, de aliquo magistratu, si populus ita uellet obtinendo, magistratus enim populi mera beneficia erant. Candida autem toga petitionis signum erat, ut a populo dignoscerentur, qui ambirent magistratus. Quam diu enim retinebatur toga candida, tam diu perstare in petitione, ea deposita & petendi uoluntatem deposuisse candidati censebantur. Quod ex historia Ciceret scribae apud Valerium legitur. Ceterum non semper ratio habebatur eorum qui professi essent, in qua re magistratuum, & senatus cognitio locum habebat. Ne enim populus magistratus alicui mandaret indigno, aut contra leges; publice intererat considerari candidatorum caussas a magistratibus, & consilio publico, quae deinde ad populum allegatae efficiebant, ut eorum tantum qui digni essent rationem comitijs habere uellet, ac saepe etiam contra populi studia manifesta, magistratus iudicio, aut senatus decreto excludebantur suffragijs populi non nulli candidati, ut paßim ex omni historia liquet. Ita ut omnes petere possent magistratus, si legitima aetate, nominaque populo publice profeßi essent, si magistratus, uel senatus eorum rationẽ haberi censuissent. Tum eorum nomen consul etiam recipiebat, id est populi suffragio permittebat, ut ex ijs designaret quos uellet. Adeoque tum consulem nomen candidatorum recipere oportebat, ut omnino suffragio populi exclusus esset is, cuius nomen non recepisset, ac si quem populus designasset, cuius nomen accipere nollet, nihil eo designando populus perficere posset, quando ei liberum esset populi concionem dimittere, quum uellet. Huius rei multa apud Liuium, & Valerium Maximum de M. Palicano exẽpla extant. Post comitia edicta trinundinum expectari mos erat ante diem comitiorũ, id est dies XXI.

par-

partim ut ad eam diem populus commode undique conuenire posset, partim ut candidati populo frequentiori, & non modo urbanae, sed etiam rusticanae multitudini supplicare possent. Caussae autem cur candidatorum ratio haberi non poterat multae erant, ut defectus aetatis, quia lex lata erat a L. Villio Annale trib. pleb. A. Postumio & C. Pisone cos. qua certi quidam anni constituti erant, ante quos non liceret magistratum capere. Item erat & lex Cornelia quae iubebat, ut ordinatim magistratus caperentur, id est primo quaestura, anno XXVII. deinde tribunatus plebis, anno XXX. post Aedilitas anno XXXVII. post praetura, anno XXXIX. & postremo consulatus, anno XLIII. & qui minores magistratus non obtinuisset, maiores adipisci non posset. Fuit & lex alia Cornelia, cuius caussa candidatorum ratio haberi non posset, quae uetabat eundem magistratum bis, intra decennium iniri posse. Erat & alia lex qua uetabatur ne in magistratuum comitijs absentium ratio haberetur. De qua Tranquillus in Caesare. Postremo si qui turpi iudicio damnati essent, in perpetuũ omni honore ac dignitate mulctati erant, ut scribit Cicero pro Cluẽtio. Tũ ẽt si quis publico iudicio damnatus, cuius pœna exiliũ non esset, sed ignominia tantum, mulctaue, ei magistratum petere non licebat. Item ambitus damnati ante legem Tulliam honoribus exclusi erant. Multae postremo fuerunt caussae quibus candidatorum ratio haberi non posset, quae paßim in historijs leguntur. De ratione petendi candidatorum ita Cicero in libro de petitione consulatus ad Q. fratrem scribit, ut nihil desiderari poßit. Hæc tñ obseruaui. Candidatorum mos erat in forum conuenire, ut populo & plebi etiam rusticae supplicarẽt, singulorum quos obuios habebant manus prensare, prehensos dextra obuios ciues benigne orare, nundinis quibus rustici in urbem conueniebant, in comitium uenire, in colle hortulorum cam=

campo Martio imminenti consistere, ut ab uniuersis uideri possent, secum alios adducere populo gratiosos, qui suo nomine etiam peterent. Nomenclatores seruos habebant, qui eis singulorum nomina quos salutarent, & obsecrarent, suggererent. Quidam etiam diuisores habebant per quos nummos uiritim per tribus, & centurias diuiderent, quibus earundem suffragia emebant. Quod lex ambitus prohibebat. Quidam quo populo gratiosi fierent, congiaria, munera, epulum, & alias largitiones publice populo praebebant. Eadem fere ratio est de comitijs centuriatis, quae legum ferendarum, & iudiciorum caussa fiebant. Nisi quod legibus ferendis, antequam lex promulgaretur, recitari solebat a praeconibus suggerentibus scribis populo, ut ante sciret & intelligeret legem, quàm suffragiũ ferret. In comitijs uero centuriatis iudiciorum caussa nisi accusator is esset qui comitia haberet, praeter eas personas quas omnibus centuriatis conuenire necesse erat, interuenire eũ primum oportebat, qui diem perduellionis ad populum dixisset, tũ uero defensorem qui pro reo diceret, postremo & ipsum reũ sordidatum cum amicis qui populo supplicarent, priusquam in suffragium mitteretur. Quod uero comitijs adesse has personas dixi ita accipiendum est, nisi exilij causa solum ante iudicij diem rei uertissent, quemadmodum fecisse Camillum, Coriolanum, K. Quinctium, & Ciceronem ipsum in historijs legimus. Porro ante comitia cẽturiata edictum præmitti necesse erat, ut ad quam diem conuenire populus deberet multo ante intelligeret. Vnde fit ut in omni historia ita sæpe reperiantur consules comitia edixisse. Illud uero dubium est, ita ne comitia edici solerent, ut præcones, per uicos dimissi diem prædicerent, an quod magis credo, potius scriptum esset, quod publice proponeretur, eodem modo quo prætorum edicta. Sane scriptum in tabella proponi publice solitum quo edicebatur quis dies comitijs centuriatis

turiatis futurus eßet, idque forma perpetua tradit Gellius *li-bro xiij.cap.xiiij.* Et *quoniam comitiis etiam adeße ex agris homines oportebat, qui in urbē fere non niſi nono quoq; die, id-eſt nundinis ueniebant, propterea edictum illud per plures dies publice extare neceße erat, ut populo uniuerſo notum eßet.* V*nde poſt edictum promulgatum ante comitiorum diem trinun dinum interiici ſolebat etiam in magiſtratuum comitiis, nam in reliquis ita fieri oportuiße ſatis manifeſtum eſt.* Q*uod uero tan tum tempus interiici debere dixi, ita accipi debet, ſi modo nil accidißet quod impedimento eßet, quo minus comitia ſuo tem-pore haberentur.* N*am ſi res ad interregnum rediißet, a ſecun do interrege comitia haberi poterant, quorum imperium non erat niſi quinque dierum.* H*inc trinundino legem promulgare, erat legem quam quis ferre propoſuerat, tribus diebus nundi-narum aduocata concione ita recitare, ut de ſingulis capitib. po pulus & doceretur, & doceri aliis adhibitis ſuaſoribus fieret.* D*ata etiam facultate, ut qui uellet legem improbare dißuade-reque poßet.* E*rant autē nundinæ feriæ ruſticorum quibus in urbem conueniebant negociis domeſticis prouiſuri, quem ad-modum nunc mercatus.* F*iebant autem nono quoque die, unde etiam nomen habuerunt.* Q*ui autem leges ferre uolebant, ſole-bant ſibi unum aliquem magna auctoritate præditum concilia-re, & adiungere: is auctor legis a Cicerone appellari ſolet.* I*n iudiciis quoq; trinundini lex obſeruabatur.* Q*uare ea lex com-munis erat omnibus centuriatis comitiis.* E*ſt etiam illud obſer-uatione dignum in omnibus centuriatis comitijs ſenatus aucto-ritate opus fuiſſe, quod* D*ionyſius indicat libro nono.* Q*uod in tributis non erat.* P*atres enim auctores fieri ſolebant, omnium quae centuriatis comitijs tranſigebantur.* H*aec porro comi-tia non niſi auſpicato haberi poterant.* A*uſpicia autem captare, erat ex auibus ceterisque auguralis diſciplinae ſignis,* I*ouis uo*

lunta

luntatem interpretari. Hoc autem duobus praecipue modis fiebat, aut per exta hostiarum, & hoc erat haruspicum munus, aut ex auibus, quod augures facere solebant, ut Cicero secundo de diuinatione, & secundo de legibus scribit. Auguralis uero disciplina ex quattuor potissimum generibus constabat. Ex auibus, ex caelo, ex terrenis quibusdā animalib. et ex diris. Ex auibus signa obseruabantur tripliciter ex uolatu, ex occentu, ex tripudio. E caelo, quod seruare de caelo dicebatur, erat attentius circumspiciendo obseruare, num qua parte caeli aliquid se ostenderet, unde diuinationem accipere posset, ut fulgura, & tonitrua, ut Cicero secundo de diuinatione tradit. Ioue enim tonante (inquit) aut fulgurante comitia populi haberi nefas. De terrenis animalibus, scribit Plinius libro octauo, cap. LVII. item, ut ex morbo Herculeo, alias comitiali. De diris Cicero primo de diuinatione: Etenim dira sicut & cetera auspicia, ut omina, aut signa, non caussas afferunt, cur quid eueniat. sed nuntiāt euentura nisi prouideris. Ex his omnibus augures auspicia captabant, cuius disciplinae, auctore Dionysio ueteres Romani obseruantissimi erant. Ante igitur comitia centuriata auspicari mos erat, & quamquam nihil apparuisset, mala signa obnuntiando afferre, uel fausta nuntiare, ut comitia haberi possent. Intra Pomeriū autem auspicari mos erat in arce, uel in Palatio, ubi locus erat quod a P. Victore auguratorium uocatur. Quod si quis uel non recte auguratus esset, & comitia habuisset, ubi id cognitum esset, tota illa actio uitiosa erat, hinc aliquoties magistratus ob eam caussam abdicasse legimus. Quod si quis comitia prohibere uoluisset, is obnuntiabat. Obnuntiare autem, erat magistratui seruatum esse de caelo renuntiare, ideoque ne eo die Ioue prohibente, comitia haberet uetare. Cautum autem legibus erat, ut obnuntiationi pareretur. Auspicia autem penes magistratus erant, augures enim

nihil pro officio agebant nisi a magistratibus iußi essent. Id autem est quod ait Cicero: Magistratus tantum habuisse spectionem auspiciorum. Auspicia autem & maiora, & minora uocabantur, maiora erant consulum, praetorum, censorum; minora reliquorum magistratuum. Praeter auspicia, quae omnino a magistratibus ante eiusmodi comitia seruanda erant, sacra quoque quaedam legitima fieri, & hostiarum immolationes oportebat, de quibus Dionysius libro septimo. Edicto itaque proposito, reque in trinundinum ante promulgata, senatus auctoritate interueniente, sacris factis, auspicijs addicentibus, nullaq; obnũtiatione, uel aliorum magistratuum intercessione interiecta, quum centuriata comitia maior magistratus habere uellet, die suffragij populus in campo Martio conueniebat, ubi priusquã in tribus & centurias distribueretur, concionem ad populum habebat, qua rogabat, ut id de quo ageretur iubere, aut uetare uellet; ac si magistratuum essent comitia, rogabat populum, ut ex ijs cãdidatis quorum haberi rationem oporteret, quos tum omnes nominatim appellabat, crearet populus quos uellet consules, praetores, censoresue, uel quos ipse recitasset, uel quosdam ex omnibus ciuibus, si modo ij essent, quorum ratio haberi ex legibus posset. Deinde in centurias distributus initis comitijs suffragia ferre incipiebat. Comitia uero inchoata, multas ob caussas, uel impedita, uel renouata fuisse constat, ut intercessione, & uitio magistratuum. Tribunorum autem plebis summum ius in intercessionibus erat, quod uerbo uno solemni VETO. continebatur. Si autem nulla caussa esset, qua comitia prohiberentur, postquam populum magistratus in suas centurias discedere iusserat ad suffragium ferẽdum, tum omnes qui aderant ciues, quibus suffragij ius erat discedebant in suas quisque centurias, ut quo ordine rogarentur suffragium dicerent. Tum centuria, quae prima sorte exijsset ea festi

praerogatiua uocabatur, in qua tantum momenti erat, ut fere in quam partem inclinasset praerogatiua, eam reliquae centuriae sequerentur. Primo autem uoce suffragium ferre solebant, post legem uero tabellariam, populus in mandandis magistratibus reliquisque actionibus tabellis utebatur, in quibus in iudiciis Absoluo, Condemno, Non liquet, exaratum fuerat; in comitijs legum Antiquo, Vti rogas; in magistratibus tot diribebantur tabellae quot candidati, in quibus nomina candidatorum scripta erant per primas litteras. Is igitur candidatus qui plura per singulas canturias pūcta tulisset singillatim per praeconem nuntiabatur, qui plura centuriarum suffragia, magistratus itidem a praecone populo referebatur. Tabella uero accepta, tum ex uno septorum (duo enim in campo Martio septa erant, in quibus comitia habebantur) per quosdam ponticulos omnes tribus singillatim in aliud septum ibant, atque in cistas quae in illis pontibus a rogatoribus tenebantur tabellas mittebant. Locus autem in quo centuriae ad suffragium uocabantur, erat prope tribunal eius qui comitia habebat. Quum autem, ut dixi, maior pars centuriarum aliquid sciuisset, tum ea comitia rite habita dicebantur. Isque (si magistratuum erant) qui plura suffragia tulisset a praecone populo renuntiabatur, ut satis ex Dionysio supra uidimus. Primum autem renuntiari per honorificum erat. Locus, ut dixi, comitiorum centuriatorum erat campus Martius, in quo erant duo septa, in quibus populus Romanus suffragium ferebat; de quibus apud Liuium & Tranquillum frequens mentio est. Ea autem intra pomerium haberi non poterāt: habebantur autem in loco augurato, id est ab auguribus ad eam rem dicato, & consecrato. Haec autem comitia non poterant, nisi diebus comitialibus haberi. Dierum enim anni, ut ex marmoreis fastis, & Macrobio liquet, quidam erant festi, quidam profesti, quidam intercisi.

festi

Festi dijs dicati sunt. Profesti hominibus ad administrandam rem priuatam, publicamque; intercisi deorum hominumque communes. Festis insunt sacrificia, epulae, ludi, feriae. Profestis fasti, comitiales, compendini, stati, proeliares. Intercisi in se non in alia diuiduntur. Nam quum hostia ceditur fari nefas est, inter caesa, & porrecta fari licet rursus, quum adoletur non licet. Ex his uerbis Macrobij liquet quosdam dies fuisse comitiales, qui in Fastis littera C. notabantur a Numa instituti, quibus solis cum populo agi fas esset; tempus quo consules creabantur uarium fuit, ut etiam uarius fuit dies quo inire magistratum solerent. Verum postquam ineundo consulatui, dies status est kal. Ianuarij comitia consularia haberi solebant mense Iulio, uel Augusto ut ex Cicerone liquet, Paulo post consularia praetoria comitia habebantur. Censoria uero circa kal. Iuli haberi solebant, quod ex Ciceronis epist. ad Appium lib. iij. manifestum est, qui statim, ut designati erant inibant, nec tempus statum kal. Ianuarij expectabant ut consules, & praetores. Perdurarunt autem haec comitia libera usque ad C. Caesaris dictaturam, quo tempore, ut scribit Tranquillus; *Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consultatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus uellet pronunciarentur: pro altera parte quos ipse dedisset:* & in Augusto *Comitiorum quoque pristinum ius reduxit, ac multiplici poena coercito ambitu.* Post Augusti uero obitum omnino a Tiberio antiquata sunt; quod his uerbis docet Tacitus libro primo *Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt. Nam ad eam diem & si potißima principis arbitrio, quaedam tamen studijs tribuum fiebant, neque populus ademptum ius questus est, nisi inani rumore.* Et Modestinus in lege unica ad legem Iuliam de ambitu; *Haec lex (inquit) in vrbe hodie*

cessat

cessat, quia ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi fauorem. Ex quibus uerbis manifestum est, sub Caesare, & Augusto adhuc fuisse comitia, uerum sub Caesare adeo non fuisse libera, sub Augusto uero paulo quidem liberiora, sed tamen quae maxima ex parte principis arbitrio, non populi fauore, fierent. At post imperium a Tiberio initum adeo desierunt fieri haec comitia, ut nunquam postea a sequentibus imperatoribus populo restituta sint, sed primum penes senatum Tiberij instituto manserunt, postea plane in principis potestate fuerunt, quemadmodum ex Plinij epistolis manifestū est. Atque hactenus de comitijs centuriatis

L. Tarquinius Superbus rex VII

Occiso Seruio regnum Romanum ui inuasit L. Tarquinius qui a morum acerbitate Superbus cognominatus est. Is primores patrum, quos Seruij rebus fauisse arbitrabatur occidit. Volscis bellum primus intulit, ex quorum manubijs templum Iouis in Capitolio maximum condidit, ferias Latinas primus instituit, cloacam maximam fecit, multaque praeterea bello, paceque praeclara gessit. Quae tamen omnia inaudita saeuitia, tyrannideque, qua multis annis urbem oppressit, deformauit. Postremo uero quum impotenter se gerendo, omnes in odium sui adduxisset, nouissime propter expugnatam nocturnam a Sexto eius filio Lucretiae pudicitiam, Bruti opera praecipue, regno cum uxore, & filijs exactus est, quum annos XXV. regnasset, perpetuoque exilio cum omni prole sua mulctatus est. Qui quum Tuscorum & Latinorum ope saepe in regnum restitui frustra tentasset, demum Cumas concessit, ubi summa cum ignominia, reliquum uitae tempus apud Aristodemum tyrannum transegit. Fuit igitur urbs regum sub im-

perio tantae reip. ortui, & incrementis admodum necessario annos CCXLIIII. Quorum aliquot iusti, fortes, prudētes, rerum humanarum peritissimi, & publicae utilitatis studiosissimi, extiterunt; qui ijs legibus, institutisque Romanā remp. fundarunt, ut ab ijs primordijs ad certissimum exterarum omnium gentium, ac populorum bello paceque principatum eam peruenire non difficile fuerit. Sed quum aliqui eorum aut patricios quorum ipsi e corpore erant, uehementius extulissent, plebemue depressissent; aliqui regnum per uim partū imperiosius quam decebat administrassent, demum propter immoderatam qandam eorum in ciues libidinem, atque audaciam urbe atque imperio deiecti sunt, populusque Romanus L. Bruto praecipue auctore libertatem adeptus est. De cuius origine, caussis, incrementis, & statu nunc differere institui

Libertas populi Romani

Haec est (ut inquit Florus) secunda populi Romani aetas, in qua liber uiuere coepit, primaque reip. mutatio, qua Superbo rege exacto, libertateque parta, imperium duobus uiris annuum mandatum est, qui praetores primum, deinde iudices, postremo consules appellati sunt. Hi summus erant apud Romanos ordinarius magistratus, qui pulsis regibus ab interrege, siue urbis prefecto Sp. Lucretio Tricipitino comitijs centuriatis, ex cōmentarijs Ser. Tullij, pro rege creati sunt. Hi fuerunt Brutus, & Collatinus. Quibus preterquam quod annuum tantum imperium datum est, nihil aliud ex regia potestate immutatum: itaque omnia regum iura, lictores cum fascibus, trabeam praetextam, sellam curulem regiam, ceteraque regum insignia primi consules habuere. Id tantum cautum est, ne si ambo fasces cum securibus haberent, duplicatus terror

ror, duoque reges pro uno facti uiderentur, ut alter consul fasces XII. securibus alligatas, alter uero uirgarum fasces tantum cum lictoribus haberet, idque alternatim singulis mẽsibus, donec annuum eorum imperium expleretur, facerent. Brutus priore mense concedente collega fasces cum securibus habuit. Hac igitur ratione quum duorum regum metum ciuibus ademissent, potestatis inuidiam minuerunt. Duo autem consules ideo creati sunt, ut si unus improbus esse maluisset, alter eandem habens potestatem, collegam coerceret. Placuit quoque ne imperium consulare longius quam annuum esset, ne propter magistratus diuturnitatem insolentiores superbioresque essent, sed ciuiles se semper redderent, qui se post annum scirent magistratu abituros. Penes primos uero consules post reges exactos, omnis regia potestas erat. Totius enim imperij summa per eos administrabatur, nam S. P. Q. R. per accensos, & praecones cogebant, exercitum parabant, ab eis prouocatio non erat, domini pacis bellique erant, inconsulto senatu, uel populo in caput cuiuscunque ciuis animaduertere poterant. Postremo penes eos (ut inquit Pomponius) summum ius uti esset lege cautum est. Ceterum mortuo Bruto, ne per omnia regiam sibi potestatem uendicarent, legibus a P. Valerio consule, quo plebi gratificaretur latis, quare etiam Poplicola appellatus est, consulum auctoritas eo ipso primo libertatis partae anno ualde imminuta est, regiaeque potestati longe inferior facta. Institutum enim Valerijs duabus legibus est; primum ut magistratum nemo caperet, nisi qui a populo imperiũ acciperet, si quis aliter fecisset, capitali poena puniretur, qui eũ occidisset ei impune esset; deinde ut prouocatio a cõsulibus ad populũ esset, neue possent in caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi, relicto eis tantũ, ut coercere poss̃et, & in uincula publica duci iuberent. In atrocibus uero casibus

maximisque reip. periculis, uel necessitatibus, consulibus aliquando summum ius, & regia prorsus potestas ad tempus per senatum ijs uerbis concedebantur. Vt consules darent operã, ne quid resp. detrimenti caperet. Ea potestas more Romano magistratui maxima permittebatur, exercitum parare, bellũ gerere, coercere omnibus modis socios, atque ciues, domi, militiaeque, imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nulli earum rerum consulibus ius fuisse tradit Salustius. Hoc autem factum fuisse constat Gracchanis, & Saturnini tribunorum plebis seditionibus, coniuratione Catilinae, tertio Pompeij consulatu, & nouissimo reip. contra Caesarem anno. Multa praeterea de consulibus, & omnibus fere Romanis dignitatibus, quae praecipuae erant, disserui in cõmentarijs Fastorum: quae quamquam reipub. ciuitatisque Romanae nobilissimae partes erant, hoc tamen loco seriose denuo eas repetere nolui, quod si quẽ earum desiderio teneri contigerit, is fastos ipsos adire poterit, in quibus de ijs fere omnibus abunde disputaui. Hoc tamen loco quum ad libertatis initium deuenerim illud agam, ut omnium Romanorum magistratuum breuem quendam indicem, uel epilogum suggeram, ut uno aspectu quae ego in commentarijs Fastorum, & alij diffuse admodum tractauimus, intelligi possint: quũ uero, de ijs ita disputauerim, ut maiores tantum magistratus, uel digniores & notiores exposuerim, reliquos uero paulo obscuriores praeterierim, huic deinde magistratuum Romanorum epilogo breuem adiungam earum dignitatum interpretationem, quam in fastorum cõmentarijs non fecerim, atque ita omnia scite tradi poterunt, & absque inani repetitione nihil, non disputatum, transmitti

NOMI-

NOMINA. OMNIVM MAGISTRATVVM. POPVLI. ROMANI AB. VRBE. CONDITA. VSQ. AD CONSTANTINVM. IMPERATOREM

MAGISTRATVS . VRBANI

MAGISTRATVS. MAIORES. ORDINARI

REX

Quorum primus fuit Romulus, nouißimus Tarquinius Superbus. Dionysius, Liuius, Plutarchus, Pomponius. Ego in Fastorum commentarijs

Praefectus, *uel* Tribunus celerum

A Romulo institutus, quorum primus Fabius Celer, nouißimus L. Brutus, qui primus Consul creatus fuit. Dionysius, Pomponius. Ego in Fastorum commentarijs

Consules duo

Primum creati anno urbis CCXLV

Dionysius, Liuius, Plutarchus, Gellius, Messalla, & Pomponius. Ego in commentarijs

Censores duo

Primum creati anno urbis CCCXI

Dionysius, Liuius, Pomponius, saepe Plutarchus. Ego in commentarijs

Praetores XV

Hi primo fuerunt

Praetor unus vrbanus

Creatus anno urbis CCCXXCIIX
Liuius, Plutarchus, Pomponius. Post duo

Praetor vrbanus, &
Praetor peregrinus

Creati anno urbis DXII
Liuius, & Pomponius. Post duobus alijs additis, quattuor facti, id est

Praetor vrbanus
Praetor peregrinus
Praetor Siciliae
Praetor Sardiniae, & Corsicae

Creati anno urbis DXXVII
Liuius, & Pomponius, ac Solinus. Post duobus aliis additis sex facti, id est

Praetor vrbanus
Praetor peregrinus
Praetor Siciliae
Praetor Sardiniae, & Corsicae
Praetor Hispaniae citerioris
Praetor Hispaniae vlterioris

Creati anno urbis DLVII
Liuius, & Pomponius. Post quaestionibus publicis inuentis, earumque numero a Sulla Felice dictatore aucto, duo praetores ueteribus additi, eorumque numerus ad octo auctus, omnesque in urbe anno praeturae retenti, post annum uero praeturae, pro praetoribus in prouincias missi. Fuerunt aūt

Prae

I Praetor vrbanus
II Praetor peregrinus
III Praetor de maiestate
IIII Praetor de vi (tu
V Praetor de repetũdis *uel* de Pecula
VI Praetor de crimine inter sicarios
VII Praetor de ambitu
VIII Praetor de veneficio, *uel* de falso
Cicero saepe, Pomponius, Tacitus, & alii
IX Praetor cerealis
X Praetor cerealis
A Caesare dictatore additi. Tranquillus, Dio, Pomponius
XI Praetor
XII Praetor
Praetores alii duo ab Augusto additi. Tacitus, Tranquillus, Dio, Pomponius
XIII Praetor
XIV Praetor
Qui de fidei commisso ius dicerent, a Claudio Imp. additi
Quorum unum detraxit Titus, restituit Nerua, qui inter fiscum & priuatos ius diceret. Pomponius
XV Praetor tutelaris
A Marco Imp. factus. Iulius Capitolinus

Imperatores Caesares Augusti

Quorum primus Caesar Augustus, Dio, In commentariis

Donati tribunicia poteſtate

Tacitus, Tranquillus, Dio, In comentariis

Nobiliſsimi Ceſares

vel

Principes iuuentutis

Tacitus, Dio. Ego in commentariis

Praefectus vrbis

Ab Auguſto inſtitutus. Tacitus, Dio, Tranquillus

MAGISTRATVS. MAIORES EXTRA. ORDINEM

Praefectus vrbis abſente ordinario magiſtratu

A Romulo inſtitutus, quorum primus Denter Romilius. Tacitus, Pomponius

Interrex

Poſt Romuli mortem factus. Dionyſius, Liuius, Plutarchus, In commentariis

Dictator, &
Magiſter equitum

Primum creati anno vrbis CCLVI

Dionyſius, Liuius, Plutarchus, Pomponius, In commentarijs

X. viri legibus ſcribendeis conſulari poteſtate

In Commentariis

Crea-

Creati anno vrbis CCCIII. *Dionysius, Liuius, Pomponius*

Tribuni militum consulari potestate

Primum tres, post quattuor, deinde sex. Creati anno vrbs CCCX. *Dionysius, Liuius, Pomponius, In cõmentarijs*

III Viri R. P. C

Creati anno vrbis CCCIX. *Dio, Appianus, Tranquillus, In commentariis*

MAGISTRATVS. MINORES ORDINARII

Quaestores urbani duo, *alias* Quaestores aerarij

Plutarchus, Pomponius, Tacitus. In commentarijs. Creati, uel sub regibus, uel a primo cos. Poplicola Anno CC XLV

Tribuni plebis x

Hi primo duo fuerunt creati anno CCLXI. *post* V. *postremo* X. *facti. Dionysius, Liuius, Pedianus, Pomponius. In commentarijs*

Aediles plebis II

Eodẽ anno quo primi tribuni plebis creati. Dionysius, Liuius, Pomponius. In commentarijs

Aediles curules II

Sreati anno CCCXXCIIX. *Liuius, Pomponius. In commentarijs*

Aediles cereales

Creati a Caesare dictatore. Tranquillus, Pomponius. In commentarijs

Curatores omnium tribuum

Varro libro quinto de lingua Latina

III. Viri capitales

Varro libro quarto, Cicero pro Cluent. de orat. Liuius libris XXV. & XXXIX. Tacitus libro V. Pomponius. Creati circa annum urbis CDLXV. In commentarijs

III. Viri nocturni

Liuius libro nono, Tacitus libro V

III. Viri ualetudinis

Numus argenteus

III. Viri monetales A. A. A. F. F

Cicero ep. fam. libro sexto. Pomponius

IIII. Viri viarum curandarum

Dio, Pomponius, Vetustae inscriptiones. Ego libro primo

V. Viri cis & vls Tiberim

Liuius, Pomponius

X. Viri stlitibus iudicandis

Cicero saepe. In lapidibus

C. Viri litibus iudicandis

Pomponius, Festus

Praefecti aerari

Tacitus saepe, In lapidibus

Cu-

Curatores operum publicorum

ab Augusto instituti. Tranquillus

Curatores aluei Tiberis,&

cloacarum

ab Augusto creati. Tranquillus, Lapides

Curatores viarum singularum

extra vrbem

Plutarchus in Gracchis, Cicero ad Atticum, Tacitus, Tranq. Ego supra libro primo

Praefectus praetorio

ab Augusto lectus. Tacitus, Tranquillus

Praefectus frumenti populo

diuidendi

ab Augusto institutus. Tranquillus C. XXXVI

Praefectus vigilum

Tacitus, Pomponius

Curatores regionum

Denuntiatores regionum

Magistri uicorum vrbis regionum

X I I I I

ab Augusto instituti. Tranquillus, Victor. Ego supra libro I

Aduocatus fisci

Iulius Capitolinus in Macrino

MAGISTRATVS . MINORES EXTRA . ORDINEM

II. Viri perduellionis

a Tullio Hostilio rege primũ creati. Varro, Dionysius, Cicero de oratore, Liuius libro I. & VI. In commentarijs

Quaestores parricidij *uel* rerum capitalium

Pomponius. In commentarijs

Praefectus annonae

Liuius saepe

V. Viri mensari

Primum creati anno urbis CDII. *Liuius libro sexto*

III. Viri mensari

Liuius libro uigesimotertio

II. Viri nauales

Liuius libris IX. X. *&* XLI

III. Viri, qui conquirerẽt iuuenes idoneos ad arma ferenda, militesque facerent

Liuius libro uigesimoquinto

V. Viri turribus, murisque reficiendis

Liuius libro uigesimoquinto

x. Viri qui iudicant ſuper ſacramento, & libertate

Cicero

x. Viri diſtribuendorum donatiuorum

Liuius

III. Viri legendi ſenatus

III. Viri recognoſcendi turmas eq. Rom

a Caeſare Auguſto excogitati. Tranquillus cap. XXXVI

MAGISTRATVS. POPVLI. ROMANI. EXTRA. VRBEM. VEL PROVINCIALES

Pro conſulibus

Cicero, Liuius. In commentariis

Pro praetoribus

Cicero, Liuius. In Commentariis

Legati proconſulum

Cicero, Liuius. In commentariis

Legati pro praetorum

Cicero. In commentarijs

Quaeſtores prouinciales XIIX

In Commentarijs

primum II. *deinde ſex, poſtremo* XIIX. *a Sulla facti. Tacitus*

Pro

Pro quaeſtoribus

Cicero. In commentarijs

Praefectus Aegypti

Dio, Tranquillus

Praefecti praefecturarum

Feſtus

Conſulares quattuor, qui per Italiam ius dicerent

ab Hadriano imp. creati. Spartianus

Iuridici Italiae

a Marco creati. Capitolinus

III. Viri *uel*
V. Viri *uel*
VII. Viri *uel*
X. Viri

Coloniae deducendae. ſaepe Liuius

V. Viri *uel*
VII. Viri *uel*
XX. Viri

Agris dandis adtribuendis. Saepe Cicero, & alii

V. Viri *uel*
XV. Viri

Agrorum metiendorum, diuidendorumque. Liuius

III. Viri *uel*

V. Viri

ad inspiciendos fines, litesque dirimendas. Liuius libro tertio, & alibi

NOMINA. MINISTRORVM MAGISTRATVVM. P. R

Scribae

Cicero, Lapides

Accensus *uel* Adcensus

Varro libro quinto de lingua Latina

Praecones

Cicero in Verrem VII. in Rullũ, pro Milone, Gellius libro XII cap. octauo

Lictores

Festus, Gellius

Viatores

Festus, Gellius

Carnifices

Tacitus, Plinius

Dribitores

Cicero pro Plancio, ad Q. Fratrem libro tertio, & secundo de natura deorum

Custo-

Rogatores

Cicero post reditum in senatu, & secundo de diuinatione

Custodes

Cicero secunda in Rullum

Nomenclatores

Lapides, Cicero pro Muraena

Diuisores

Cicero secunda in Verrem, Asconius, hi

Magistri curiarum

dicuntur a Plauto in Aulularia

COMMENTARIVS. IN EOS. MAGISTRATVS. QVOS. IN COMMENTARIIS. FASTORVM PRAETERII

PRAEFECTVS. VRBIS

PRAEFECTVS *urbis extraordinarius magistratus erat, qui creabatur quoties consules bellis ex urbe auocabantur, ne respublica sine magistratu esset. Hunc magistratum Romulum instituisse tradit Tacitus libro v. Sed praecipua ex Pisone gloria, quod praefectus urbi recens, continuam potestatem, & insolentia parendi grauiorem, mire temperauit. Namque antea profectis domo regibus, ac mox magistratibus ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac subitis mederetur. Feruntque a Romulo Dentrem Romulium, post a Tullo Hostilio Numam Marcium, ab Superbo*

bò Tarquinio Sp. Lucretium impositos. Dein consules manda bant, duratque simulachrum quoties ob ferias Latinas praeficitur, qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis ciuilibus Cilnium Maecenatem equestris ordinis cunctis apud Romam, atque Italiam praeposuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit e cõsularibus, qui coerceret seruitia, & quod ciuium audacia turbidum nisi uim metuat. Primus Messalla Coruinus eam potestatem, & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius quamquam prouecta aetate, egregie tolerauit. Dein Piso uiginti per annos pariter probatus publico funere ex decreto senatus celebratus est. Ex ijs Taciti uerbis manifestũ est praefectos urbis illos ueteres a Romulo institutos fuisse, atq; nõ a populo, sed a regibus, uel cõsulibus creari solitos. Vnde etiã id colligi potest, multo magis obseruatũ fuisse in adumbrato illo præfecto Latinarũ feriarum caussa creato. Profectis enim urbe cõsulibus, summũ imperiũ erat penes praetorẽ urbanũ, nisi quum ob Latinas ferias urbe exibãt singulis annis cõsules. Tum enim ad usurpationẽ uetustatis, praefectus in urbe relinquẽdus erat a cõsulibus, penes quẽ nõ penes praetorẽ imperium esset in urbe, ne scilicet populus se religione obstrictum putaret, si quid in Latinis ferijs omissum esset, quod a ueteribus usurpatum fuisset. De hoc præfecto urbi Latinarũ caussa scribit Gellius lib. XIIII. cap. ultimo. Praefectum urbi Latinarum caussa relictum senatum habere posse negat Mucius, quoniam ne senator quidem sit, neque ius habeat sententiae dicendae, quum ex ea aetate præfectus fiat quae non sit senatoria. M. autem Varro in iiij. epistolicarum quaestionum, & Ateius capito in coniectaneorum CCLIX. ius esse praefecto habendi senatus dicunt. Deque ea re assensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam

Mucij refert. Namque & tribunis (inquit) plebis senatus habendi ius erat, quamquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum. Sunt etiam Pomponij haec uerba lege ij. de origine iuris. Quoties autem proficiscuntur unus relinquitur, qui ius dicat, isque uocatur praefectus urbis: qui praefectus ita olim cōstituebatur; postea uero Latinarum feriarum caussa introductus est, & quotannis obseruatur. Quamdiu igitur non erant in urbe praetores, quibus summum imperium esset per absentiam summi magistratus, tam diu penes praefectos urbis fuit potestas non modo uocandi consulendique senatum, sed etiam agendi cum populo. Vnde fit, ut centuriata comitia habendi ius etiam esset praefecto urbis, ut intelligi potest ex eo, quod scribit Liuius in fine libri primi: Duo consules inde comitijs centuriatis a praefecto urbis, ex commentarijs Ser. Tulli creati sunt. Eum tamen ante interregem factum fuisse, quam haec comitia haberet refert Dionysius. Verum post institutam dictaturam subrogandis magistratibus dictator potius creabatur, si ad interregnum res non redijsset, quam ut ea comitia haberet praefectus. Quin tamen uel legibus ferendis, uel iudicio exercendo, praefectus urbis ius haberet centuriatis comitijs agendi cum populo negari non potest. At post introductum Romae praeturae magistratum desiit praefectus urbis fieri, nisi quod Latinarum caussa profectis urbe consulibus relinquendus erat praefectus urbis, idque (ut dixi) religionis caußa, potius quam quod eo magistratu magnopere opus eßet. Et quoniam ferijs agi cum populo non licebat, idcirco planum est huic praefecto urbis, cui imperium erat nisi tempore Latinarum, ius non fuisse agendi cum populo, tametsi uocandi senatus (si quid interim accidisset cur extra ordinem uocandus uideretur) ius habebat, ut ex Gellio uidimus. Reliquo uero anni tempore quamquam abessent consules, nul-

lus

lus locus reliquus erat huic magistratui, sed summa potestas erat penes praetorem urbanum, ut tradit Cicero libro x. epist. fam. his uerbis: Placuit nobis ut statim ad Cornutum praetorem urbis litteras deferremus, qui quod consules aberant, consulare munus substinebat, more maiorum. Haec autem quae dicit, intelligi debent de tempore, quo ciuitas libera fuit. Nam sub imperatoribus iam inde ab Augusto, ut tradit Tacitus libro v. coepit ordinaria & continua esse potestas praefecti urbis. Et Tranquillus in Augusto cap. xxxvi. ipsum scribit pleraque noua officia excogitasse, in queis praefecturã urbis. De praefecto urbis mentio est apud iuris consultos in titulo de praefecto urbis. Hic (ut dixi) ab Augusto institutus usque ad nostra saecula perdurat. Tametsi praeter hunc urbis praefectum ordinariũ & continuum, alius Latinarum caussa praefectus urbis creari soleret, ut apparet ex libris iiij. & v. Cornelij Taciti; qui Latinarum modo tempore consulare munus obibat. De hoc praefecto urbis frequentißima in omnibus lapidum, & librorum monumentis mentio est

DEO. HERCVLI
INVICTO
C. IVL. POMPONIVS
PVDENS
SEVERIANVS
V. C. PRAEF. VRBI
Item
HERCVLI. INVICTO
T. FLAVIVS. IVLIANVS
QVADRATIANVS. V. C
PR. VRBI. XV. VIR. S. F
DONVM. DEDIT

Item

D. N. VALENTI
MAXIM. PRINCIPI
SEMPER. AVGVST
L. VOCONTIVS. VICASIVS. V. C
PRAEF. VRBI. ITER. PRAEF
LEG. VI. PRAEF. PR. PR. PROV
GAL. PROC. XX. HER. EIVSDEM
I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D

De curatoribus tribuum

De curatoribus omnium tribuum ſic ſcribit M. Varro lib. v. de lingua Latina: Omnes Quirites pedites, armatos, priuatoſque, curatores omnium tribuum, ſi quis pro ſe, ſiue altero dari rationem uolet, uoca inliciūm huc ad me. Curatores tribuum erant, perinde ac in uicis uicorum magiſtri, qui tribuum commoda procurarent

De alijs quibuſdam magiſtratibus

Multorum praeterea magiſtratuum mentio eſt tam in uetuſtis inſcriptionibus, quam apud Tacitum, quos Romae poſt Auguſti tempora creatos fuiſſe ab imperatoribus conſtat, ut procuratoris a rationibus, operum publicorum, Caeſaris, XX. hereditatium, praefecti alimentorum, frumenti, uehiculorū; curatorum annonae, tabulariorum publicorum, muneris publici, & multorum praeterea ſimilium, quos, quia haud multū ad rem faciunt, praetereo

De aliquot magiſtratibus minoribus extra ordinem

Extraordinarios magiſtratus urbanos, hoc eſt quibus etiam in urbe imperium eſſet, multos ac diuerſi generis in hi-

storijs passim inueni. Nam ut quaeque negocia occurrrebant, quae extraordinariam curationem requirere uidebantur, ita alij atque alij magistratus creabantur. In hoc genere erant praefecti annone, qualem fuisse legimus L. Minucium apud Liuium lib.iiij. Pompeius quoq; hunc magistratum gessit creatus eo anno, quo Cicero reuocatus est ab exilio, ut constat ex oratione pro domo. Hunc ordinarium Augustum fecisse tradit Tranquillus, qui eum curatorem frumenti populo diuidendi uocat, & in antiquis inscriptionibus curator, & praefectus annonae dicitur sic

CARPVS . AVG . LIB
PALLANTIANVS
ADIVTOR . CLAVDI
ATHENODORI . PRAEF
ANNONAE . FECIT . SIBI
ET . CLAVDIAE . CALE
CONIVGI . PIISSIMAE . ET
TI . CLAVDIO . ROMANO
VERNAE . ET . LIBERTIS
LIBERTABVS.POSTERISQVE
EOR

Item

M . MAECIO . MEMMIO
FVRIO . BALBVRIO
CAECILIANO.PLACIDO.C.V
PRAEFECTO.ANNONAE
VRBIS . SACRAE . CVM
IVRE . GLADII

Item

T. FLAVIVS. INGENVVS
CVRATOR. ANNONAE
SVA. PECVNIA
COMPAR
SIBI. ET. POSTERISQVE
SVIS

Magistratus quoq; extra ordinem fuerunt v. *uiri mensarij* P. *Valerio* & C. *Marcio* II *cos. creati, ad liberandum aere alieno populum, de quibus* Liuius *lib.* VI. *Item iij. viri mẽsarij alij, tempore secundi belli* Punici *facti sunt, de quibus idem* Liuius *libro xxiij: ita scribit.* Et Romae *quoq; propter penuriã argenti triũuiri mensarij rogatione Minutij trib. pl. facti sunt*

In hoc genere erant, & II. *uiri nauales, de quibus* Liuius *lib. x.* Et *duo imperia eo anno dari coepta per populum, utraq; ad rem militarem pertinentia, unum, ut tribuni militum, &c.* Aliud *ut* II. *uiros claßis ornandae reficiendaeque caussa idem populus iuberet.* Lator *huius plebiscitifuit* M. Decius *tribunus plebis.* Hunc *uero non fuisse ordinarium magistratum inde potest intelligi, quod* Liuius *lib. xl.* & *xli. quum rursus huius magistratus meminit, certam caussam creationis aßignat, nec simul creari facit cum ordinarijs magistratibus, sed prout neceßitas requirebat.* Quum *enim ita scribit:* II. *uiri nauales creati* C. Matienus, & C. Lucretius; *Verba antecedentia ostendunt subito eos creatos, postquam nuntiatum esset a* Liguribus *obsideri* L. Aemilium. *At si ordinarius magistratus esset, non ita pro neceßitate subito creatus fuisset, sed iam superiore anno cum reliquis magistratibus ordinarijs creatum oportuisset.* Et *libro* XLI. Quia *fecerat mentionem* C. Furij II. *uiri naualis, propterea ut caussam huius magistratus redderet statim subijcit:* Aduersus Illyriorum

riorum classem creati II. uiri nauales erant, qui tuēdam XX. nauibus mari superiore Anconam uelut cardinem haberent. Quia uero illic duumuirum naualem appellat L. Cornelium Dolabellam, qui biennio ante in eo magistratu etiamnum erat hinc profecto clarum argumentū haberi potest, nō fuisse eum ordinarium magistratum, cuius imperium esset plusquā annuū

His etiam addendi sunt III. uiri qui iuuenibus ad militiam conquirendis tempore secundi belli Punici creati sunt, de quibus scribit Liuius lib. XXV. Cōsules quum aegre delectum conficerent, quod inopia iuniorum non facile in utrunque, ut & nouae urbanae legiones, & supplementum ueteribus scriberetur, sufficiebat. Senatus absistere eos incoepto uetuit, & III. uiros binos creari iussit, alteros qui citra, alteros qui ultra quinquagesimum lapidem, in plateis, forisque, & in conciliabulis, omnem copiam ingenuorum inspicerent: & si qui roboris satis ad ferenda arma habere uiderentur, etiam si nondum militari aetate essent milites facerent

Reperio etiam in horum numero fuisse V. viros muris, turribusque reficiendis creatos, de quibus Liuius libro XXV. Comitia deinde (inquit) a praetore urbano de senatus sententia, plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt V. uiri turribus murisque reficiendis

De X. uiris qui iudicarent super sacramento & libertate, Cicero. De X. uiris uero distribuendorum donatiuorum. Liuius III. virorum legendi Senatus, & recognoscendi turmas equitum Romanorum, quotiescunque opus esset, Tranquillus in Augusto (ut dixi) mentionem faciunt. Fuit praeter hos, & iudex quaestionum, de quibus in antiqua inscriptione mentio est. Atq; haec sunt magistratuum minorum extra ordinem nomina, quae adhuc ego extare uiderim: qui omnes tributis comitijs quotiescūq; eos fieri opus esset, repub. stāte, creabātur.

Nam postea imperatorũ beneficia, ut alia omnia esse coeperũt

De III. viris nocturnis, & praef. vigilum

Paullus iureconsultus lege I. de officio praefecti uigilum digest lib. primo, de III. viris nocturnis sic scribit: Apud uetustiores incẽdijs arcendis, III. uiri praeerant, qui ab eo, quod excubias agebant etiam nocturni dicti sunt. Et Liuius libro ix. ubi de Cn. Flauio loquitur ita scribit: Quem aliquando ante desijsse scriptum facere, arguit Macer Licinius tribunatu ante gesto, triumuiratibusq;, nocturno altero, altero coloniae deducẽdae. Et Tacitus: Triumuiri nocturni, quod ad incẽdium in sacra uia ortum tarde uenerant a tribuno plebis die dicta damnati sunt. Ex quibus uerbis apparet eum fuisse ordinarium magistratum, cuius esset annua potestas. Horum locum postea aliquot uigilum cohortes cum eorum praefecto ab Augusto institutae tenuerunt, quae prohibendis nocturnis incendijs per urbem excubabant. De praefecto uigilum meminit uetus haec inscriptio.

PAVLLINAE . VALERIANAE
RARISSIMAE . SANCTISSIMAE
FEMINAE . PATRONAE . F
L. PAVLLINVS . VOLVSIVS
V. C. PRAEF . VIGIL . ROM

Item

LVNAE . AETER . SACR
PRO . SALVTE
IMP . CAES . L . SEPTIMI
SEV . PII . INVIC . PRIN
PONT . MAX . P . P
IVLIVS . BALBILLVS
ANVLLINVS
PRAEF . VIGIL . V . S . L . M

De III. viris valetudinis

Huius magistratus nulla apud ueteres auctores, quod sciā mentio est, in antiquo uero argenteo nummo sic scriptum est: Mᵛ. ACILIVS. III. VIR. VALETV. *Hi nostra aetate pestis caussa creari solent, atque Domini sanitatis uocantur, quibus temporibus de morbo suspectis, magna potestas concedi solet. Nummi uero uerba sic ego interpretor:* Mᵛ. *Acilius* III. *uir ualetudinis tuendae*

De III. viris monetalibus A. A. A. F. F & III. viris capitalibus

Pomponius lege ij. de origine iuris: Constituti sunt eodem tēpore, & IIII. *uiri qui curā uiarum agerent, &* III. *uiri monetales aeris argenti, auri flatores, &* III. *uiri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut quum animaduerti oporteret interuentu eorum fieret. De* III. *uiris monetalibus, & capitalibus mentio est apud Ciceronem epist. fam. lib. vij. & in antiquis nummis, lapideisque epigrammatibus sic*

L. ANNIO. FABIANO
III. VIRO. CAPITAL
TRIB. LEG. II. AVG

Item

D. M
RELIQVIAE
CORPORIS. M
TARQVINII. CRISPI
FRONTONIS. C. L
III. VIRI. CAP

Item

TI. PLAVTIO. M. F. M. N
SILVANO. AELIANO
PONTIF. SODALI. AVGVSTALI
III.VIR.A.A.A.F.F.Q.TI.CAESARIS
LEG. LEG. V. IN. GERMANIA

De v. viris cis, & vls Tiberim

Pomponius leg. ij. de origine iuris: Et quia (inquit magistratibus uespertinis temporibus in publicum esse inconueniens erat, quinque uiri constituti sunt cis Tiberim & uls Tiberim, qui possent pro magistratibus fungi. De ijsdē meminit Liuius.

De Decemuiris stlitibus iudicandis

Horum Cicero, & Plinius in epistolis meminerunt. In lapidibus quoque, & ijs praesertim quos paßim in hoc libro citaui frequentißima mentio est. Admonet Quintilianus uerbū stlitibus idem significare quod superlites

C. MAESIO. C. F
PLACATIANO
X. VIRO. STLITIB. IVD
TRIB. MIL. LEG. I. ITALIC
Q. PROV. AFRIC
ALLECT. INTER. TRIBVN
AB. IMPERATORE
HADRIANO. ANTONINO
AVG. PIO
PRAETORI. PATRONO
D. D

P.

item

P. STATIO. P. F
FAB. PAVLLO
POSTVMIO. IVNIORI
X.VIRO.STLITIB.IVDIC
TRIB. MIL. LEG. VII
GEM. FELIC
VI.VIRO.EQVIT.ROMANOR
Q.PROVINC.AFRIC.TRIB.PLEB
PRAETOR. LEG. PR. PR
PONT.ET.BITHYN.PRO.COS
PROVINC. BAETICAE
TITVLO. VSVS
D. D

De C. uiris

Pomponius deinde (inquit) quum esset necessarius magistratus, qui hastae praesset centumuiri litibus iudicandis constituti sunt. Et *Festus*: *Centumuiralia iudicia a centumuiris sunt dicta: nam quum essent Romae* XXXV. *tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi ad iudicandum, qui centumuiri appellati sunt: Et licet quinque amplius, quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur centumuiri sunt dicti.* De centumuiris primo de oratore meminit Cicero. Ad *quorum munus intelligendum illud est animaduersione dignum:* Iudicia omnia *quae ad ciues* Romanos *pertinebant, aut priuata, aut publica fuisse.* Priuatis *iudicijs praeerant duo praetores, urbanus, qui inter ciues ius dicebat, & peregrinus, qui inter peregrinos.* Si *autem actio priuata huiusmodi esset, ut de iure potius, quam de facto quaerendum esset, praetor ad centumuiros*

suum

suum uelut consilium remittebat, sin de facto quaerendum esset, praetor iudices dabat; si nihil esset cur de iure, aut facto quaerendum esset, praetor ipse decretum interponebat. Publicis quaestionibus, post institutas quaestiones perpetuas praeerant reliqui praetores quattuor

De quaestoribus, praefectis, & VIII. viris aerari Saturni

Quaestorum, & praefectorum aerari saepissime mentio est apud Tacitum, & in uetustis epigrãmatibus. Hi aerari populi Romani, quod in templo Saturni erat, cum VIII. uiris curam habebant, atque tabularum relati & expensi custodes erant, de quibus in antiquis his inscriptionibus ita mentionem extare uidi

P. CORNELIO. LENTVLO
SCIPIONI. COS. PRAEFECTO
AERARI. LEGATO. *&cet*

item

L. CALPVRNIVS. PISO
M. SALLVIVS
PR. AERARI *&cet*

item

C. POPILLIO. C. F. QVIR. CARO
PEDONI. COS. VII. VIRO
EPVLON. PRAEF. AERARI
SATVRNI *&c*

item

item

T.PETIDIO . T . F
FABIA . CASSINO
VIII.VIRO III.AERARI
& cet

item

M . PVBLICIO
M.F.FAB . SEXTIO
CALPVRNIANO
QVAESTOR.AERAR

Haec autem epigrammata idcirco hic mutila exaraui, quod supra ea integra descripserim. Erant & curatores pecuniae publicae, item sacrae pecuniae, quorum inscriptiones supra attuli; quos municipales potius quam urbanos fuisse crediderim

De aliquot officijs publicis ab Augusto excogitatis

Tranquillus in Augusto cap. XXXVII. *Quoque plures (inquit) partem administrandae reip. caperent, noua officia excogitauit, curam operum publicorum, uiarum, & aquarum, aluei Tiberis, frumenti populo diuidendi, praefecturam urbis, triumuiratum legendi senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescunque opus esset. Hos quoque magistratus memorant hae uetustae inscriptiones*

C . PONTIO . C . F . FAB
PELIGNO . TRIB . MIL
LEG.X. GEM . Q . CVRAT
LOCORVM . PVBLIC
ITERVM. AEDILI . CVRVL
LEGATO.PRO.PR. ITERVM
EX.S.C.ET. EX . AVCTORI
TATE . CAESARIS . D . D

item

C.CALPETANVS . STATIVS
SEX . METRORIVS
M . PERPENNA . LVRCO
T . SARTIVS . DECIANVS
CVRATORES.TABVLARIOR
PVBLICORVM . FAC . CVR

item

C.POPILLIO . C . QVIR
CARO.PEDONI
COS. VII. VIRO.EPVLON
CVRATORI . OPERVM
PVBLICOR . PRAEF
AERARI . SATVRNI
CVRATORI . VIARVM

& cet

item

C.CALPETANVS . RANTIVS
QVIRINALIS:VAL. CESTIVS
CVRATOR. RIPARVM . ET
ALVEI.TIBERIS. TERMINAVIT

item

item

TI.IVLIVS.FEROX. CVRATOR
ALVEI.ET.RIPARVM. TIBERIS
ET.CLOACARVM.VRBIS.TERMI
NAVIT.RIPAM. R.P. PROXIMO
CIPPO.P.CCCLXXXI.S

item

C.VIBIVS.C. F . RVFVS
SEX.SOTIDIVS. SEX . F
STRABO.LIBVSCID
C.CALPETANVS. C . F
STATIVS. RVFVS
M.CLAVDIVS.M.F. MARCELLVS
L. VISELLIVS . C . F . VARRO
CVRATOR . RIPARVM . E T
ALVEI. TIBERIS
E X . S . C . TERMIN

De praefecto praetorio

Eundem dignitatis gradum, quem apud reges tribuni celerum, apud dictatores magistri equitum, habuerunt apud Imperatores praefecti praetorio: cuius munus ab Augusto excogitatum, a Tiberio Caesare stabilitum est. Hi cohortibus praetorianis in urbe ad corporis Romanorum principum custodiam ab Augusto Caesare institutis praeerant, atque ex equitibus Romanis legebantur, diu enim senatorem praefectum praetorio fieri non posse mos fuit. Postea quum ex praefectis praeto

rio imperatores quoq; creari coepti sunt, quorum primus Macrinus fuit, nec dum senatoribus postea, sed etiam consularibus ea dignitas patuit. Horum maxima auctoritas semper fuit, quippe qui ualentißimis & fortißimis cohortibus praeerant. Legebantur autem ex mero principis arbitrio. Saepe etiam duo, interdum tres praefectos praetorio una creatos fuisse legi, idque pro principum uoluntate, sed frequentior usus erat, ut unus tantum esset praetorio praefectus. Perdurauit autem Romae hic magistratus, usque ad Constantini imperium, in quo quum praetoriani, pro Maxentio contra Constantinum stetissent, post uictum & occisum tyrannum, castro praetorio diruto a Constantino, cohortes praetorianae exauctoratae sunt, atque ita praefectorum praetorio dignitas hac ratione sublata est In quorum locum quum ipse imperator nouam quandam orbis Romani diuisionem commentus esset, ut eum in quattuot praecipuas partes, siue dioeceses diuideret, quattuor quoque praecipuos uiros creauit, qui singulis praeessent. Quorum unus praefectus praetorio Galliarum dicebatur, is Gallijs, Hispaniae, Britanniae, & Germaniae praeerat. Alter praefectus praetorio Italiae, cuius administrationi, & Africa addita erat. Tertius porro praefectus praetorio Illurici fuit, cui Graecia omnis, Thracia, Noricum, Pannoniae, Moesia, Dalmatia, & reliquae eius tractus prouinciae adiudicatae. Quartus uero praefectus praetorio orientis erat, is Orientem, id est omnes transmarinas prouincias, suprema potestate regebat. ita Zosimus. De utrisq; praefectis praetorio tam ante, quam post Constantini imperium mentio est in uetustis his inscriptionibus

L. FVRIO. L. F
PAL. VICTORI
PRAEF. PRAET
IMPERAT. OMNIVM
& cet

item

SEX. PETRONIO. PROBO. V. C
ANICIANAE. DOMVS. CVLMINI
PROCONSVLI. AFRICAE
PRAEFECTO. PRAETORIO
QVATER. ITALIAE. ILLYRICI
AFRICAE. GALLIARVM
CONSVLI. ORDINARIO
PATRI. CONSVLVM
& cet

De aduocato fiſci

Hunc Hadrianus imperator inſtituit (ni fallor) de quo Capitolinus in Macrino, & uetus haec inſcriptio meminerunt

Q. HORTENSIO
Q. F. COL
FAVSTINO
ADVOCATO. FIS
CI. PRAEF. FABR
& cet

De magistratibus populi Romani prouincialibus

Prouinciales dicuntur omnes magistratus, quibus erat imperium curatioue extra vrbem tantum; in hoc numero erant proconsules, propraetores, legati proconsulum, & propraetorum, quaestores prouinciales, & pro quaestoribus cum iure praetorio: de quibus in Fastorum commentarijs abunde scripsi; item praefectus Aegypti, iuridicus Alexandriae, praefecti praefecturarum, consulares, & iuridici Italiae, censitores ciuium Romanorum colonorum, item III. V. VII. X. uiri coloniae deducendae V. VII. XX. uiri agris dandis adtribuendis, item V. & XV. uiri agris metiendis diuidendisq; & postremo III. uel V. uiri ad inspiciendos fines, litesq; dirimendas, de quibus nunc breuißime uerba faciam; nam magistratus extra urbem militares, ut legatos consulares, uel propraetoribus, prouinciarum Caesaris, procuratores prouinciarum Augusti, legatos consulares legionum, praefectos castrorum, tribunos militũ, praefectos fabrum, praefectos alarum, ducennarios, centuriones, cornicularios, tesserarios, & alia eiusmodi militaria munera tertio libro describam

De praefecto Aegypti

Antonio & Cleopatra uictis, quum Augustus Caesar Aegyptum in prouinciae formam redegisset, eam equitibus Romanis administrandam reliquit, ueritus ne si uiolentiores senatores praesides nacta esset, occasionem rerum nouandarũ afferret: primus igitur qui ei praefuit praefecti sub nomine Cornelius Gallus fuit, a quo deinceps omnes qui ei prouinciae praefue-

praefuerunt, praefecti nomine appellati sunt. Is etiam Aegypti iuridicus appellabatur. De utrisq; mentio est in hisce uetustis inscriptionibus

PRO . SALVTE
TI.CLAVDI. CAESARIS
AVG.GERMANICI
EX.VOTO.SVSCEPTO
C.IVLIVS.SEX.F.COR
P O S T V M V S
PRAEF. AEGYPTI
EX . AVRI. P.XVI

item

L.BAEBIVS.L.F
GAL . IVNIANVS
IVRIDICVS. AEGYPTI

De praefectis praefecturarum

Sex. Pompeius: *Praefecturae (inquit) hae appellantur in Italia in quibus & ius dicebatur, & nundinae agebantur, & erant quaedam earum respublica, neque tamē magistratus suos habebāt, in quas legibus praefecti mittebātur quot annis, qui ius dicerent; quarum genera fuere duo, alterum in quas solebant ire praefecti populi suffragio creati, ut in haec oppida, Capuam, Cumas, Castlinum, Vulturnum, Linternum, Puteolos, Acerras, Fesulas, Atellam, Calatiam. Alterum in quas praetor urbanus quot annis praefectos mittebat, ut Fundos, Formias, Caere, Venafrum, Allifas, Priuernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura, & cet.*

De consularibus Italiae

De quattuor consularibus qui per Italiam ius dicerent ab Hadriano institutis Appianus libro I. bellorum ciuilium, & Iulius Capitolinus in Marco, de Iuridicis uero Italiae idem Capitolinus in Pio mentionem faciunt, de quibus latius tertio libro disputabo.

De III. V. VII. X. XV. & XX. uiris, aut quotquot omnino creari placuerat, coloniarum deducendarum, agris dandis, adtribuendis, metiendisq;, ad inspiciendos fines, litesque dirimendas, tam frequens in omnibus historijs mentio est, ut de ijs aliquid scribere superuacaneum esse arbitror, quum omnia quae de ijs dici poßent aperta sint et manifesta. De dignitatibus uero, & officijs extra urbem militaribus tertio libro disputabo, ubi legiones populi Romani describam

De ministris magistratuum

De ministris uero magistratuum, quamquam satis supra dixerim ubi ipsorum seriem digeßi, non alienum tamē erit breuiter ex instituto etiam hoc loco aliquid scribere. Inter quos primum locum obtinebant scribae, quorum munus erat litteras uel acta, aliudue cuiusuis magistratus scribere. Erant autem ut ex antiquis lapidibus didici scribae consulum, praetorum, aedilium, quaestorum, et aliorum magistratuum, ut sic

L. TARQVITIO
L. F. POM
ETRVSCO
SVLPICIANO
SCRIBAE. QVAESTORI
EX. TESTAMENTO
DE. H-S. XX

De accensis

De accenso sic scribit M. Varro libro V. de linguà Latina: Deinde consul loquitur ad exercitum: Impero, quia conuenit ad comitia centuriata. Quare hic accenso, ille praeconi dicit: Haec est caussa: In aliquot rebus idem ut praeco accensus acciebat, a quo accensus quoque dictus. Accensum solitum ciere Boeotia ostendit, quam comoediam Allij esse dicunt hoc uersu

Vbi primum accensus clamarit meridiem

Hoc idem Cosconius in actionibus scribit, praetorem accensum solitum tum esse iubere, ubi ei uidebatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem, & horam nonam. Marcellus uero scribit accensos genus militiae esse administrantibus proximum, dicti quod ad necessarias res saepius accirentur, ueluti accersiti. Sex. uero Pompeius: Accēsi (inquit) dicebantur, qui in locum mortuorum militum subrogabantur, & ad censum adijcebantur. Idem lib. I. Adscriptitij ueluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur, hos & accensos dicebant. Sed Varro rectius qui docet accensos administratores fuisse magistratuum ab acciendo dictos, id est uocando, nam accensus instar praeconis acciebat iussu consulis Quirites ad concionem. Plinius libro VII. Adiectus est & meridies accenso consulum id pronuntiante. Erant singulis praesidibus prouinciarum accensi, quod munus nemini nisi libertis deferebatur, ut scribit Cicero ad Q. Fratrem. Asconius autem sic: Accensus est nomen ordinis & promotionis in militia, & nunc dicitur princeps, uel commentariensis, aut cornicularius. De accensibus mentio est in uetustis epigrammatibus sic

SECVRITATI
COGNATIONIS . SVAE
FORTVNATVS. AVG. L
VERNA. PATRONIS
A B. EPISTVLIS
ACCENSVS. PATRON
DIVO.AVG.VESPASIANO
LICTOR . CVRIAT
VIAT.HONOR.DEC.COS. ET.PR
E T. SIBI. ET
EPAPHRODITO. AVG. L
AB.EPISTVLIS.FRATRI.SVO

item

L. VARRONIO. L. F
PAL. CAPITONI
SCRIBAE. AEDILIC
ACCENSO. VELATO
II. VIRO. QVINQVENN
CVRATORI. VIARVM
PATRONO. COLONIAE
ORDO. REGALIVM
QVORVM. HONORE
CONTENTVS.SVA.PECVN
POSVIT. L. D. D. D

item

T. TETTIENVS. FELIX. AVGVSTALIS
SCRIBA. LIBROR. AEDIL. CVRVL.
VIATOR. AEDIL. PLEBIS. ACCENSVS
CONSVLI. HS. L. M. N. LEGAVIT
AD. EXORNANDAM. AEDEM. POMONIS
EX. QVA. SVMMA. FACTVM. EST. FASTIGIVM
INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA
MARMOREA. OPVS. TECTORIVM

De praeconibus

Praecones quoque inter magistratuum ministros erant. Hi in iudicijs erant, senatusconsulta praedicabant, posteaquam decreta erant, iudices, candidatos, tribuum & curiarum suffragia suis nominibus appellabant, scribis subijcientibus edicta populo pronuntiabant, litteras in senatu, & ad populũ publice legebant, bona quae proscribebantur publicae auctioni proponebant, ac proclamabant, & pretia (ut inquit Cicero) conficiebant. De his Plautus in penulo: Exurge praeco fac populo audientiam. Praeconum tam apud omnes auctores, & praesertim Ciceronem, quam in antiquis inscriptionibus frequens mentio est

C. MATIENI. C. F. OVF
OVICVLAE
ANNORVM XXVII
PRAECON. IDEM. DISSIGNATOR

De lictoribus, & viatoribus

Lictores ministri erant regum primo, deinde consulum, proconsulum, praetorum, & propraetorum, & Dictatorum; sed Dictatoris & consulis duodeni lictores erant, ceterorum seni tantum. Hi uirgarum fasciculos cum securibus ligatos portabāt, magistratibus praeibant, ac quoties iußi erāt, fasciculos uirgarum soluentes, primo uirgis cedebant damnatum, mox securi feriebant. Liuius: Mißique lictores ad sumendum supplicium, nudatos uirgis cedunt, securique feriūt. Hos primus instituit Romulus, ut Liuius & Plutarchus auctores sunt. Dicti autem lictores sunt a ligando, eo quod magistratus populi Romani priusquam quempiam uerberari iussisset, manus a ministris illi iubebat ligari. Viatores porro dicebantur, qui magistratibus parebant eo quot plerumque euocabantur ex agris homines ad magistratus, & frequens eorum ab agris ad urbem uia erat. Columella in praefatione libri primi: Illis temporibus proceres in agris morabantur, & quum consilium publicum desiderabatur, a uillis arcessebantur in senatum, ex quo qui eos arcessebant uiatores nominati sunt. Postea uiatorū nomen ad tribunorū & aedilium, plebis ministros translatum est, qui illorum iussu quemlibet praehendebant, nam consulum (ut dixi) pro consulū, praetorum ministri lictores dicebantur. Liuius libro II. ab Vrbe condita: Ardens itaque ira tribunus uiatorem mittit ad consulem, consul lictorem ad tribunum. Gellius libro XIII. cap. XII. ex libro XXI. rerum humanarum Varronis: In magistratu (inquit) habēt alij uocationem, alij praehensionem, alij neutrū. Vocationem ut consules, & alij qui habent imperium, praehensionem ut tribuni plebis, & alij qui habent uiatorem. Ne

que

que praehensionem neque uocationem, ut quaestores & ceteri, qui neque lictorem habent neque uiatorem. Hi omnes ut scribae, accensi, praecones, lictores, uiatores uno nomine apparitores uocabantur siue statores, quod apparerent & praesto essent ad obsequium magistratuum: confundi tamen omnia haec nomina ex his antiquis inscriptionibus animaduerti

T . STABERIVS . EPIGONVS
VIATOR . CONSVLARIS
SIBI . ET . SVIS . ITEM
LIBERTABVS.POSTERISQVE.EORVM
VIXIT . ANNIS . LXXXII
MENS.II. DIEBVS . XX

item

M . SVTORIVS . M . L
PAMPHILVS
LICTOR . CVRIATVS
QVI . SACRIS . PVBLICIS
P. R. QVIRITIVM
VIATOR.QVI.COS.ET. P R
APPARET
DECVRIO.COLLEGI.FABRVM
FERARIVM

item

M.SVTORIVS. M.L
BARNAES
CONLIB.FAMPHILI
VIATOR . QVI.COS
ET . P R. APPARET

item

Item

T. STABERIO
SECVNDO.COACTORI
ARGENTARIO
VIATOR. CONSVLARI
ET.PRAET. SIBI. ET
CLAVDIAE.STRATONICAE
VXORI

item

Q.LVCRETIO.Q. L. GEMELLO
VIATORI.QVAESTOR.AB.AERAR
Q.LVCRETIVS.Q.L. CHRESTVS
VIATOR.QVAESTOR.AB.AERAR
PATRONO.FECIT

item

M.SERVILIVS.M.L. RVFVS
LICTOR.SE.VIVO. FECIT
SIBI.ET.PETIAE.C.L.PRIMAE
VXORI

item

D. M
TI. CLAVDIO
ONESIMO
VIATORI
COLLEGI. MAGNI
CLAVDIA.ZMIRNA
COIVX

item

item

DEO.SOLI.MITHRAE
C.IVNIVS.C.F.TROM
NENINIANVS
VIR.CLAR
VIATOR.QVAESTOR

item

D . M
M . ANTONIVS
HEVTVCAS
ANTONIO.FOR
TVNATO . STA
TORI.AVGVSTO
RVM. ALVMNO
BENEMERENTI
FECIT

item

M . COELIO
DIONYSIO . LICTORI
PATRI.OPTIMO
C.COELIVS.SECVNDVS

item

item

D . M
L. POMPEIO . AVG. LIB
FORTVNATO
NOMENCLATORI
ACCENSVI. LICTORI
AVG. III . DECVRIAR
POMPEIA . PIA
VXOR . VIRO
KARISSIMO . FECIT

item

M . VALERIVS
ACHILLEVS . LI
CTOR . PROXIMVS
LAVRENS . LAVINAS
AGENS . ANNVM . AETA
TIS . LXV . VIVVS . MIHI
COMPARAVI . ET . POSVI

Carnificis mentionem facit Tacitus *libro quinto, ubi supplicium* Seiani *filiorumque enarrat, item* Plinius *in epistolis in describenda poena uirginis* Vestalis *maximae* Corneliae

Diribitorum, *rogatorum, custodum, nomenclatorum, & diuisorum, qui potius priuatorum quàm magistratuum ministri erant, supra mentionem feci, quum de comitijs centuriatis uerba feci.* De *quibus* Cicero *in oratione post reditum in senatu ita scribit.* Quando *illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque uidistis?* Cicero *pro* Muraena: Quid *quod habes nomenclatorem?* In *eo quidem fallis, & decipis.* Et *oratione secun-*

ſecunda in Verrem. Diuiſores *omnium tribuum noctu ad iſtum uocatos,&cet.* De *nomenclatoribus quos magiſtratuum mini ſtros etiam fuiße apparet, ſic mentionem faciunt hae uetuſtæ inſcriptiones*

M . AEMILIO
LEPIDI . LIB
FELICI
NOMENCLATORI
VIRO . PRIORI
DECIMIA . L . L
LIBERALIS

item

L. VOLVSIO
VRBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

item

DIIS . MANIBVS
TI . CLAVDI. AVG . LIB
THALETIS. VINICIANI
NOMENCLATORIS
A . CENSIBVS
THALLVS.ET. IANVARIA
LIB.DE.SVO. POSVERVNT
LOCO . LEGATO . A B
IVLIO.ALCIDE.COLL.EIVS
CVIVS. HERES. FVIT

item

IOVI. OPTVMO. MAX
L. VRBANVS. V.C
NOMENCLATOR
CENSORIVS
D. D. D

De magistris curiarum satis alibi disputaui. Fuerunt & ministri magistratuum militarium, ut Beneficiarij, Cornicularij, Tesserarij, Buccinatores, de quibus libro tertio uerba faciam

Quae libertate parta ciuitatis conditio fuerit

Exactis (ut dixi) Tarquinijs regibus, Brutoque & Collatino consulibus creatis, ut primum magistratum inierunt, statim Brutus plures ad populum utilissimasque leges tulit, quo reip. statum confirmaret, regiam uero tyrannidem omnino conuelleret, ac labefactaret; inter quas concione uocata, iure iurando uniuersum populum Romanum adegit, neminem Romae se regnare passuros. Non longe post filios suos Titum Tiberiumque, M. quoque, & M'. Vitellios uxoris suae fratres, sororisque Collatini collegae duos alios filios L. & M'. Aquillios, complureſque alios adulescentes nobiles, qui de recipiendo in vrbe rege Tarquinio caesis consulibus coniurauerant, uirgis caesos securi coram omnibus percussit. Tarquinium Collatinum collegā suum, magistratu abdicare coactū, urbe eiecit, quod sontium poenam impedire uoluisset, eique P. Valerium Volusi F. Volusum, qui postea Poplicola appellatus est, suffecit. Cuius praecipue opera in expellendis regibus usus fuerat. Bona deinde regum diripi iussit, agrum eorum Marti conse-

consecrauit, qui postea campus Martius nominatus est. Patriciorum ac senatorum ordines caedibus regis diminutos, suppleuit, ex equestri ordine ad CCC. numerum senatum restituit. Quum aduersus reges qui contractis Veientium, & Tarquiniensium copijs bellũ vrbi intulerant, exercitũ eduxisset, in acie cum Arunte Superbi filio cõmortuus est: quem matronae annum luxerunt. P. Valerius alter consul in urbem reuersus comitijs centuriatis Sp. Lucretium Bruto, & eidem paulo post mortuo M. Horatium, suffecit. Quum autem post reges exactos, uniuersa respublica in paucorum patriciorum potestate, atque imperio esset, plebs omni prorsus reip. munere exclusa erat. Patricij enim soli consulatum, idest regiũ imperium, sacra omnia, comitia, atque omnem postremo in plebem & uitae & necis potestatem habebant. Plebs uero nõ modo omnis expers honoris optimatibus obediebat, sed dirempτis connubijs uitae etiam ipsius prope communione priuata, maxima cum indignitate seruiebat. Quam rem tanquam indignam quum Valerius consul animaduertisset, ut aliqua quae nulla in ea republica tunc erant moderatio induceretur, atque tenuiores cum principibus aequerentur, & plebs pari cum patricijs in ciuitate iure uteretur, libertatis plebis Romanae ille primus initia iecit, ut collega Brutus uniuersae reipublicae iecerat. Duas enim eas leges humanissimas, & maxime populares tulit, de imperio a populo accipiendo, & de prouocatione a magistratibus ad populum, & ne cuiquam iniussu populi, ciuem Romanum aut uerberare, aut necare fas esset. Quum etiam in concionem ascenderet fasces in populi concionem submittebat. Quare in hoc magistratu Poplicola primo uocatus est, quod plebis studiosus, populum nimis coluisset, ut auctor est Dionysius. Atque hic anno primo partae libertatis vrbis status erat

De tribunis plebis primum creatis

Quarto decimo anno post reges exactos, Ap. Claudio, P. Seruilio Cos. prima seditio plebis ex nobilium foeneratorum impotentia, qui plebem aere alieno obstrictam, in uinculis habebant, exarsit. Quae per Seruilium consulem sedata est, quum edixisset, ne quis ciuem Romanum uinctum, aut clausum teneret, quominus ei nominis edendi apud consules, qui tum in volscos bellum parabant, potestas fieret.

Anno sequēti A. Virginio, et T. Veturio cos. quum Aequi, Volsci, & Sabini una omnes mouissent, ac plebs ad bellum nomina profiteri nollet, iamque seditio anno priore nexorum caussa commota uehementius in dies glisceret, uisum est patribus ad dictatorem confugere, cuius metu plebs sine dubio quietura esset, itaque M'. Valerius Volusus Poplicolae frater dictator dictus, is Q. Seruilium sibi magistrum equitum cooptauit. Hic plebem conuocata concione, gratissima oratione repressit, pollicitus ubi primum confecto bello domum rediisset, sibi curae fore ut ad senatum de nexis referretur. Eam autē promissis mitigatam in hostes eduxit, ac quum uictoria parta per senatum promissa praestare non posset, dictatura se abdicauit. Paulo post, quum plebs per caussam renouati ab Aequis belli ex urbe educta esset, auctore Sicinio quodam patribus irata a consulibus discessit, & trans Anienem amnem collem quendam occupauit, qui sacer est appellatus, neque eo anno reuocari in urbē potuit. Anno sequenti, qui erat urbis conditae CCCLXII Sp. Caßio II. Postumo Cominio II. Cos. legatis decem a senatu ad plebem de conciliatione mißis, unius Agrippae Menenij oratione commota decreta a senatu releuatione debitorum, & nexorum propter aes alienum re-

dijt. Ceterũ uerita ne soluto coetu, uel pmißis nõ staretur, uel ut digreßi essent, alius ob alias cãs cõprehẽsi, poenas darent, hac lege, quae sacratae nomen accepit, cum patribus in gratiã redijt, ut magistratũ, & ipsa sibi ex suo corpore contra patriciorum potentiã, ac uim creare posset, quoq; auxilij latio aduersus cos. esset. Ii tribuni plebis dicti sunt, qui primo duo, uel ut alijs placet, quinque, postremo decem facti sunt. Huius rei sic Cicero pro Cornelio meminit: Tanta igitur in illis uirtus fuit, ut anno XVI. post reges exactos, propter nimiã dominationem potentium, leges sacratas ipsi sibi constituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant, aeternae memoriae caussa consecrarent. Haec ille. Lex autem sacrata ea fuisse uidetur, quam in sacro monte plebs tulit, ut liceret magistratum ex suo corpore creare, qui plebem ab omni iniuria prohiberet, ut nemini patricio hunc magistratum capere liceret, ut hic magistratus sacrosanctus esset, id est, ne quis tribunum plebis, aut manu, aut uerbo uiolaret; qui secus fecisset ipsum impune posse occidi, ac sacrum esse uideri Hoc igitur sacrosancto magistratu plebi a patribus concesso, ipsa tanquam acerrimo quodam telo non solum contra optimatum potentiam atque libidinem, se, libertatem ac pudicitiam suam tutata est, atque defendit, uerum etiam quum tantum principio tribunis auxilij latio concessa fuisset, ne patricij aduersus plebẽ insolentius, aut arrogantius agerent, tum iure sacrosancti magistratus, quum inuiolabiles essent, longe maiora moliti, magnas in republica turbas et seditiones saepe concitarũt, neque enim grauioris poenae metu ijs, qui eos laedebant inrogatae, quisquam eis repugnare, aut ui aduersari audebat. Ceteros enim omnes magistratus sacrosancta potestate superabant: primo enim quemuis, a quo imploratum eorum auxilium

lium esset, asserebant, supplicem tuebantur, non contra priuatos duntaxat, sed etiam aduersus ipsos magistratus, dictatoribus tantum exceptis. Quod si quis ad eos, uel etiam absentes prouocasset, is statim liberatus ab eo, a quo comprehensus fuerat, uel in concionem adducebatur, uel absoluebatur. Ad haec si quod eis decretum, siue a magistratu, siue a priuato, siue a plebe, siue a senatu factum displicebat, intercedere poterant, quod si senatus aliquid agere, uel decernere instituisset, atque unus tribunus plebis intercessisset, id decretum promulgari nō poterat. Processu temporis illa etiam sibi uendicarunt, ut & senatum congregarent, dicto non audientes punirent, haruspicesque & augures consulerent. Multa demum quae non licebant, inuictis illis intercessionibus consequebantur, rogationes ferebant, quibus lege Hortensia omnes Quirites obstringebātur. Quum.n. legum sciscēdarum populus dominus esset, plebsque non minima pars populi haberetur, quia eis cum populo agere ius non erat, sed tantum cum plebe, effecerunt, ut plebiscita omnes Quirites tenerent. Postremo eorum audacia, & potestas ita creuit, ut aliquando consules in carcerem coniecerint, & quosdam indicta caussa necarint, neque enim quisquā eis aduersari audebat, alioqui ipse sacer & deuotus erat. Hac igitur sacrosancta potestate comitia tributa in primis inuenerunt, quibus minores magistratus creari uoluerunt, qui ad eam diē curiatis facti fuerant, tribunorum plebis numerum auxerunt, connubiorum communionem, quaestores, tribunos militum consulari potestate, & decemuiros sacris faciundis, ex plebe creari obtinuerunt, qui hactenus ex patricijs tantum fieri solebant. Post haec quum plebs ad summos honores aspirare coepisset, tribunorum plebis auctoritate cōsulatum etiā, quae firmissima semper prope arx potentiae patriciorum fuerat, praeterea dictaturam, censuram, imperium, sacra, sacerdotia

tia, quae unius ante nobilitatis fuerant, non sine magnis rei=publicae metibus, intestinisque seditionibus sibi uendicauit. Iamque nihil aliud deerat, ad ius totius reip. plebemque patricijs adaequandam, quam ut plebiscita quibus tum sola plebs tenebatur omnes Quirites astringerent, tum denique hoc etiam secessione in Ianiculum facta, lege Hortensia consequuta est. Post quae tempora, quae ciuitatis Romanae leges, instituta, et conditio fuerit post exponam. Nunc illud accurate demonstrandum est, qua nam ratione, & quo tempore tribunorum plebis auctoritate plebs singula adepta sit, quae supra singillatim cõmemoraui. Quorum primum post eam potestatem creatam fuit tributorum comitiorum institutio, quae ob eiusmodi caussam instituta a Dionysio traduntur

De comitijs tributis

Tribunis plebis primum creatis nihil aliud a senatu concessum esse uidebatur, praeterquam auxilij latio plebeijs, si quis uim inferret, atque ob eam rem sacrosancti erant. Ceterum neque agere cum populo, neque aliud quid pro ea potestate facere ius ullum erat. Quapropter ut haec libertatis Romanae plebis iacta fundamenta stabilirent, illud primum tribuni procurarunt, ut ius illis cum populo agere esset, occasione huius rei quaesita, quod Sp. Sicinius unus ex primis tribunis plebis concionari ad populum de commodis plebis a consulibus prohibitus esset. Quare sequenti die, summo mane plebeiorum non parua manu comparata descendit in forum tribunus, & occupata aede Volcani ubi concionari tribuni solebãt, plebem ad concionem uocat, atque repleto foro Sicinius legem ad plebem tulit eiusmodi. Concionãti ad populum tribuno, nemo aliquid in contrarium dicito, nec dicentem interpellato, si quis contra haec fecerit datis uadibus poenam soluat, quantã

tribunis uisum erit. Qui uades non dederit necetur: bonaque eius sacra sunto, contentionumque de poenis ipsis iudicia penes populum sunto. Hac lege promulgata, & a plebe scita, magna incredibilisque, quamquam non statim cognita, tribunorum potestas facta est. Atque eius legis subsidio omnia postea obtinuerunt, de quibus supra disserui. Hoc autem factum est auctore Dionysio, anno sequenti posteaquam tribunorum plebis magistratus institutus erat, T. Geganio & P. Minucio cos. Anno uero sequenti A. Sempronio & M. Minucio cos. qui erat urbis cōditae CCLXIII. comitia tributa ob hanc caussam a tribunis plebis primum inuenta sunt. Quum in summa annonae caritate, ne frumentum ex Sicilia aduectum plebi diuideretur, C. Marcius Coriolanus summa ope contendisset, ab iratis tribunis plebis dies illi ad populum dicta est, ut uiolatae plebis Romanae libertatis caussam diceret. Die igitur iudicij in trinundinum edicto, quum dies instaret, plebs ex agris quāta nunquam antea in urbem uenit, forumque prima luce compleuit. Tum tribuni aduocata concione, non curiatim quidem ut uetus mos erat, sed per tribus distinctam suffragium ferre uoluerūt. Eam .n. in foro ipso tributim diuiserūt, ut unusquisque in tribu in qua censebatur suffragium ferret; atque hoc anno primum comitia tributa facta sunt iudicio Coriolani, acriter aduersantibus patricijs, centuriataque fieri more maiorū postulantibus. Quum enim de aliqua re ex S. C. comitia haberi essent solita, ea centuriata in campo Marcio habebantur. Si enim centuriata comitia habita essent, quae in ditiorum (ut dixi) manibus & opulentiorum erant, octo & nonaginta primis centurijs, quae dimidio plus erant distributorum, procul dubio absolui Marcius poterat, tribuni uero hoc ipsum timentes, tributa ea fieri uoluerunt, ne pauperes fierent ditioribus inferiores, ubi de re ad publicam salutem pertinente agendum esset,
atque

atque paupere plebe in nouißimas centurias abiecta, suffragijs quae aequa eße deberent, excluderetur. Sed aequa sorte ferendis suffragijs omnes facti, per tribus distincti sententias suas afferent, iudicaturi de eo qui rem communem uiolasse uidebatur. Quod ubi illis a patribus concessum est, suffragia per tribus populum ferre iusserunt, poenam praescribentes ei exilij perpetui. Vbi omnis tribus suffragatae sunt, quum una & uiginti tūc esset, tresdecim damnauerunt, nouem uero eum absoluerunt, atque hac ratione tributorum comitiorum origo fuit, ut libro VII. abunde enarrat Dionysius. De quibus tractaturus ab earūdem finitione initium summam. Tributa igitur comitia erant, ut ex Gellio libro XV. cap. XXVII. intelligitur, quum ex regionibus, & locis suffragium ferebatur. Quibus uerbis nihil aliud intelligi uoluit, quam quum per tribus suffragium ferebatur, ut quod tribus plures iußissent, id ratum haberetur. Erant enim tribus populi Romani partes distinctae locis in vrbe diuersis, & regionibus undique circum vrbem per Latium, Tuscos, & Sabinos dispersis, quarum nomina supra accurate rettuli, quum de ijs, disputarem. Ab ijs tributa comitia dicta, ut a curijs curiata, et centurijs centuriata, quod scilicet non modo tributim diuisus populus suffragium ferret, sed etiam quid plures tribus iuberent, aut uetarēt, spectaretur. Haec comitia post Coriolani iudicium eorumque primam institutionem Romae frequentari coepta sunt, & presertim post legem Publiliā, qua minores magistratus hisce comitijs creari iubebātur, quum ante curiatis fierent. Atque deinceps caussae habendorum horum comitiorum generales quattuor factae sunt. Prima ad creandos minores magistratus; altera ad sacerdotes cooptandos; tertia ad leges ferendas; quarta iudiciorum caussa. Magistratus autem qui his comitijs creabantur, partim prouinciales, partim urbani, partim ordinarij, partim

extra ordinem erant. Erant autem vrbani ordinarij magistratus qui ijs comitijs creabantur omnes minores magistratus, qui singulis annis ad suum ordinarium in urbe munus obeundum a populo creabantur. In quo genere erant aediles curules, ut M. Messalla apud Gellium libro XIII. cap. XIIII. & L. Piso in III. annali, apud eundem libro VI. cap. IX. & Cicero libro IIII. epist. ad Atticum; tribuni, & aediles plebis, ut Dionysius libro IX. & Liuius libro II. quaestores ut Liuius libro IIII. et Tacitus libro II. III. viri capitales, ut Cicero pro Cluentio; III. viri nocturni, ut Liuius libro IX. tribuni militū comitiales, ut Liuius libro VII. & IX. III. uiri monetales auro argento, aere flando feriundo, ut ijdem omnes auctores sunt. Ex quibus magistratibus quaestores, aediles, & tribuni plebis ante legem Publiliam curiatis comitijs creabantur. Post eam, & annum vrbis CCXXCII. tributis creari coepti. Magistratus uero minores vrbani extra ordinarij tributis comitijs fieri soliti erant praefecti annonae, ut Liuius libro IIII. tradit, II. viri nauales, alias claßis ornandae, reficiendaeque, de quibus idem Liuius libris X. XL. & XLI. mentionē facit, quaestores parricidij, qui & quaestores, & II. viri perduellionis dicebantur, de quibus Asconius; IIII. viri uiarum, de quibus Pomponius; II. viri, uel plures, sacrarum aedium locandarum, aedificandarum, consecrādarum, uel restituendarum, quos populus ex lege Papiria designare solebat, de quibus Cicero pro domo sua, & saepißime Liuius; III. viri reficiendis aedibus sacris, de quibus Liuius, Q. Catulus ad dedicandum Capitolium a populo praefectus, ut Plutarchus., V. viri turribus murisque reficiendis, de quibus libro XXV Liuius; III. viri, & V. viri mensarij de quibus idem Liuius libro VI. & XXIII. III. viri sacris cōquiren-

quirēdis, et III. viri donis pſequendis, de quibus idē Liuius lib. XXV. et poſtremo oēs ſiue curatores, ſiue magiſtratus extra ordinarij, id eſt, qui non ut ordinarij annuam poteſtatem continuatam habebant, ſed tandiu in ea erant, dum curationem cui praefecti erant, abſoluiſſent, comitijs tributis creabantur. Prouinciales uero magiſtratus (prouinciales autem uoco quibus erat imperium curatioue ire tantum extra vrbem) qui hiſce comitijs creabantur, erant III. viri, V. uiri VII. viri, X. viri, XV. viri XX. viri, aut quot quot ōīo creari placuerat, ad colonias deducendas, aut redigendos colonos in ſuas quēque colonias, aut agros diuidendos, de quibus frequentiſsima eſt in omni hiſtoria mentio, curatores uiarum extra vrbem, de quibus Cicero; III. viri iuuenibus ad militiam conquirendis de quibus Liuius libro XXIII. Item proconſules omnes, propraetores, et proquaeſtores iiſdem comitijs in prouincias mittebātur, ut Liuius libro III. & alibi ſaepe in hiſtoria ſua, & ſaepiſſime Cicero commemorant, quamquam unum P. Cornelium Scipionem proconſulem Hiſpaniae centuriatis comitijs ſemel tantum creatum fuiſſe tradat Liuius. Tributorum porro comitiorum ſecunda cauſſa fuit ad ſacerdotes creandos, ex quibus ante legē Domitiam unus tantum fuit pontifex maximus, ut ex Liuio ſaepe intelligi poteſt; poſt legem uero Domitiam, qua ſacerdotū ſubrogādorum ius a collegijs ad populum trāslatum eſt, pontifices, augures, fetiales, VII. viri epulonū, XV. viri ſacris faciundis, tributis comitijs creati ſunt, ut ſatis ſupra dixi, ex reliquis enim ſacerdotibus, rex ſacrificulus cēturiatis, flamines, & curio maximus curiatis, Veſtales a pontifice maximo, ſalij a magiſtro collegij, luperci, fratres arualles, ſodales Titij, ſacerdotes Galli, & reliqui a ſuis collegijs uel magiſtris cooptati ſunt. Ceterum ea tributa comitia quibus tam pontifex maximus primum, quam deinde reliqui ſacerdo

tes creabantur, non omnium tribuum erant, sicut magistratuum, sed tantum septemdecim tribuum, quibus id sorte obtigisset. Quod cur factum fuerit his uerbis docet Cicero in Rullum quum ait. Item eodemque modo ut comitijs pontificis maximi: ne hoc quidem uidit, maiores nostros tam fuisse populares, ut quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotij uoluerint populo supplicari, atque hoc idem de ceteris sacerdotijs CN. Domitius tribunus plebis uir clarissimus tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi uocaretur, ab ea parte qui esset factus is, a collegio cooptaretur. Tertia uero tributorum comitiorum habendorum caussa legum ferendarum erat. Haec autem erant plebiscita omnia. Quo uerbo legis etiam comprehendo rogationes quibus de pace ad populum ferebatur. Bellum enim lege centuriata indici solebat, pax autem tributis comitijs iniri consueuerat, ut libro XXX. docet Liuius. Hic etiam eas rogationes comprehendo quibus legibus aliquis qua uis caussa soluebatur. Huc postremo illas etiã rogationes reijcio, quibus a populo imperium triumphaturis ducibus, uel quacunque id ratione fieret, intra urbem haberi permittebatur. His comitijs publicae quaestiones constitutae, & ciuitas data saepe a Liuio refertur. Quarta porro horum comitiorum caussa iudiciorum exercendorum erat. In qua illud animaduersione dignum, Iudicia quidem capitis a populo comitijs centuriatis perfici: at si magistratus aliquẽ reum ad populum faceret nec capitis eum accerseret, sed mulctam indiceret, tum omnia haec iudicia, quae de mulcta dicebantur, tributis comitijs fiebant. Hoc autem summatim dici potest. Iudicia omnia populi quae de mulcta erant a magistratu, aut pontifice indicta, his comitijs perfici solita. Hoc uero ex omni historia Liuiana liquet.

Exilium

Exilium preterea tributis comitijs decerni solebat, si quis capitis condemnatus ad populi iudicium uenire recusaret, ut tradit Liuius. Atque haec comitiorum tributorum praecipuae caussae sunt. Ius autem tributorum comitiorum habendorum penes maiores, & minores magistratus erat. Ex maioribus dictator, cõsules, & trib. militũ cons. potestate; ex minoribus, tribuni plebis erãt. Consules enim omnes minores magistratus creabant tribunis plebis & aedilibus plebis exceptis, quos tribuni plebis, his comitijs renuntiabant, tribunos enim & aediles plebis tribuni ipsi creabant, ut ex Liuio, & Dionysio constat. Reliquos (ut dixi) minores magistratus consules, aut dictatores, si quando comitiorum habendorum caussa creabantur, aut tribuni militum consulari potestate creabant. Ab his enim quaestores, & aediles curules, & ceteri minores ordinarij magistratus, Liuio auctore fiebant. Ad creandos uero minores extraordinarios magistratus, ius fuit consulibus, praetoribus, & tribunis plebis. Sacerdotum uero comitia tributa consules tantum habere solebant, ut ex Cicerone in epistola ad M. Brutum liquet. Sacerdotes autem erant post legem Domitiam pontifices, augures, XV uiri S. F. VII. viri epulonum, & fetiales: ante legem uero Domitiam solus his comitijs pontifex maximus creabatur isque Liuio auctore ab uno pontificum subrogabatur. Nam post legem Domitiam eũ cum reliquis quoq; sacerdotibus a consulibus factum fuisse existimo. De legum uero iudiciorumque comitijs tributis facile est intelligere, ijs magistratibus licuisse habere ea comitia quibus ius erat cum populo agendi. In historijs autem legimus interdum consules, interdum praetores, saepe tribunos plebis ad populum de his rebus rogationes tulisse. Plebeios porro magistratus petendi ius erat plebeijs tantum hominibus, binosque ex singulis claßibus tribunos esse oportebat. Reliquos magistratus

ſtratus his comitijs fieri ſolitos, omnibus, ſeruatis legibus, petere ius erat. Ex ſacerdotibus qui his comitijs creabantur pontificum collegium dimidium ex patribus, dimidium ex plebe creari oportebat. Duo ex eadem gente ſacerdotes eius collegij eſſe non poterant, abſentium ratio haberi ſolebat. Adoleſcentes admodum poſt XVII. annum inaugurari poterant, pontifex maximus non niſi ex numero pontificum fiebat. ijs omnibus quibus in centuriatis, in tributis quoque comitijs ius erat, id eſt ciuibus Romanis, quibus cum ſuffragio ciuitas a populo data eſſet, ipſique in tribus a cenſoribus relati fuiſſent. Nam quod Latinos aliquãdo ſuffragatos fuiſſe legimus apud Liuium, nõ repugnat ijs, quae dixi, quum id non iure ciuitatis, aut tribus adeptae facerent, quam non habebant, ſed ijs datũ ſit antiquo Caßiano fœdere, atque a magiſtratibus & accerſiri, & prohiberi poſſent, ut latius paulo poſt exponam. Iure igitur non niſi ciuibus Romanis pleno iure comitijs ſuffragium ferre ius erat, ex magiſtratuum uero indulgentia Latinis etiã. Commune autem omnibus comitijs erat, ut Ioue fulgente, aut tonante, ea haberi non poſſent. Quare hoc & tributis comitijs conueniebat, ut auſpicia hactenus ſeruanda eſſent, ne haberentur quo die ſeruatum eſſet de coelo. Vnde ſequitur his etiam comitijs obnuntiationi parendum fuiſſe. Quamquam autem tributa comitia hactenus auſpicato haberi debebant, in reliquo tamen genere auſpiciorum nulla fere religione aſtringebantur: quod Dionyſius libro nono oſtendit ſic: Hoc erat diſcriminis inter tributa comitia & curiata, quod curiata oportebat ex ſenatus auctoritate haberi, & populus curiatim ſuffragium diceret, & ut auſpicato fierent. Tributa uero non conſulto ſenatu, non adhibitis ſacerdotibus, auguribusque, & diuiſo per tribus populo perficiebantur. Plebeij enim magiſtratus auſpicia non habebant. Ante comitiorum tributorum diẽ

tri-

trinundino opus erat, quemadmodum de centuriatis dixi. Die comitiorum antequam haberentur, concionem is, qui ea habebat populo facere solebat; sortitiones aliquot fiebant, ut de praerogatiua tribu; in qua tribu Latini suffragiũ ferrẽt, si adfuissent. In sacerdotum quoque creatione XVII. tribuũ sortitio fiebat, quos non nisi a populi parte creari ius erat. In ijsdem comitijs erant diribitores, custodes, & praecones. Nam rogatorum munere is, qui comitia habebat fungebatur. Vnius autem tribus, ut unius centuriae, unum suffragium erat, nam singulorum hominum uota, puncta dicebantur. In creandis autem magistratibus, tot dabantur tabellae, quot candidati essent, quorum nomen receptum esset, & quoniam XXXV. tribus erãt oportebat XVIII tribus ferre, quemque candidatum, ut a maiore populi parte creatus diceretur, ut autem quisque prior eum numerum tribuũ tulerat, ita prior renuntiabatur. Quũque tot creati erant, quot ex lege in eo magistratu esse oportebat, tum comitijs finis fiebat. Eadem propemodum ratio erat iudiciorum, & legum quae etiam in comitijs centuriatis seruabatur. Tributis autem comitijs non unus erat destinatus locus, quemadmodum centuriatis, quia religio non erat extra ne, an intra pomerium haberẽtur. Ac magistratuum quidem comitia tributa fere in cãpo Martio habebãtur aliquãdo etiã in foro, et Capitolio habita fuisse legi Legum uero & iudiciorum comitia plurimum in comitio haberi solita; aliquando etiam in Capitolio habita apud Liuium legimus. Horum comitiorum tempus erat quotiescunque dies comitialis esset, nisi nominatim, ut alijs etiam diebus cum populo agere sibi liceret, quisquam legem tulisset, quod fecisse P. Clodium in tribunatu suo docet Cicero pro Sextio. Ante primam quoq; diei horam cũ populo agere non licebat. Sacerdotum comitia, eo tempore quo quis moriebatur habebantur, mi

norum

norum uero, & ordinariorum magistratuum circa Kal. Augusti, ut prima ad Atticum docet Cicero. Tribuni & aediles plebis magistratum inire solebant ad IIII. idus Decembris, quo die primi tribuni plebis creati sunt. Quomodo aūt, & quando haec comitia fieri desierint superius exposui, quum de centuriatis uerba feci, eadem enim utrorunque comitiorum ratio est. Atque hactenus de comitijs tributis

Quot reip. mutationum caussa fuerit tribunorum plebis sacrosanctus magistratus

Plebs Romana sacrosancto tribunatus plebis magistratu e patrū manibus extorto, longe maiora aduersus senatus et optimatum potentiam moliri cepit. Nam post legem latam, ut tribuno plebis ius cum populo agere esset, itemque post tributa comitia occasione iudicij C. Marcij Coriolani instituta, aliquot annis post multas ob agrariam legem seditiones excitauit, quum agrum publicum, uel de hostibus captum sibi ipsi patribus repugnantibus diuidere uellet. Ea enim lex nunquam sine maximis rerum motibus agitata est. Ap. uero Claudio Ap. F. & T. Quinctio Capitolino cos. Volero Publilius tribunus plebis, auctore M. Laetorio altero tribuno rogationem ad populum tulit, ut plebeij magistratus tributis comitijs fierent, qui hactenus curiatis creati erant. Haud parua res sub titulo prima specie minime feroci ferebatur, sed quae patricijs omnem potestatem per clientum suffragia creandi, quos uellent tribunos auferret. Huic actioni plebi gratissimae, quum summa ui patres restitissent, postremo uictis patribus, lex lata est. Tuncque primum tributis comitijs tribuni, & aediles plebis creari coepti anno urbis CCXXCIII. Res post haec in urbe quietae,

be quietae, usque ad annum urbis CCXCII. *In quo ui=*
ctis, & ad internicionem fere Volscis caesis, secundae belli res
urbanos motus, qui mutationi reip. caussam attulere, excita=
runt. C. enim Terentius Arsa tribunus plebis legem ad popu
lum tulit, de quinque uiris creandis, qui leges de imperio con=
sulari scriberent, quod populus in se ius dederit eo consules u=
suros, non ipsos libidinem, ac licentiam suam pro lege habitu=
ros. Quaerebatur enim plebs, nimium esse consulare impe=
rium, atque intolerabile liberae ciuitati, idque imminui, &
moderatius fieri postulabat. Quae lex quum sex annos a tribu
nis frustra iactata, tandem pro concessa sibi duplicandorũ tri
bunorum potestate penitus refrixisset, tamen Romilio, Vetu=
rioque consulibus, in plebem militiam detrectantem impoten=
tius se gerentibus, acrius etiam quam ante relata est; igitur in
certis quid agerent patribus, placuit ea sententia, cuius prin=
ceps T. Romilius fuisse scribitur, ut legum latores crearen=
tur, qui iura patribus plebique scriberent, quaeque ab ijs es=
sent decreta, ea plebem, & patres tenerent. Plebe autem as=
sentiente mittuntur legati tres in Graeciam, qui Atheniensiũ,
& aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, & iura nosce
rent, eaque Romam deferrent Sp. Postumius Albus, A. Man
lius Vulso, Ser. Sulpicius Camerinus. Missi autem Tarpeio, Ae
ternioque cos. tertio anno post, quo Menenius & Sestius con
sulatum gerebãt, cum legibus reuersi sunt. Quum autem in-
starent tribuni, ut tandem legum scribendarum initium fieret,
iamque in annum sequentem designati consules essent Ap. Clau
dius, & T. Genucius, tum in Ap. Claudij sententiam S. C. fa=
ctum est, ut reliquis abrogatis magistratibus decemuiri crea=
rentur cum imperio consulari, ac regio sine prouocatione,
qui ex patrijs moribus, & peregrinis legibus optima seligen
tes, & reip. maxime utilia iura pupuli Romani constituerent,

quaeque ij scripsissent, si S.P.Q.R. probassent, ea in perpetuum populum ipsum Romanum tenerent. Quo S.C. a plebe comprobato cos. abdicarunt, in eorum locum decemuiri cõsulares facti sunt Ap. Claudius, T. Genucius, Sp. Postumius, Ser. Sulpicius, A. Manlius, T. Romilius, C. Iulius, P. Sestius, P. Curiatius, & Sp. Veturius. Anno igitur CCCIII. quam condita urbs erat iterum mutata est forma ciuitatis a consulibus ad decemuiros, quemadmodum a regibus ante ad consules uenerat. Hi decimo die ius populo singuli reddebant, eo die penes praefectum iuris fasces XII. erant, collegis uero reliquis singuli accensi apparebant. Ceterum propositis decẽ legum tabulis a decemuiris, rumor deinde uulgatur, duas deesse tabulas, quibus adiectis absolui posit uelut corpus totius Romani iuris. Ea expectatio quum dies comitiorum instaret, desiderium decemuiros iterum creandi fecit. Plebs etiam praeterquam quod consulum nomen haud secus, quam regum perosa erat, ne tribunicium quidem auxilium cedentibus inuicem appellatione decemuiris, quaerebat. Creati igitur in alterum annum magno patrum, plebisque studio iterum decemuiri sunt Ap. Claudius II. M. Cornelius, M. Sergius, L. Minucius, Q. Fabius, T. Antonius, M'. Rabuleius, Q. Poetilius, K. Duilius, & Sp. Oppius. Quum igitur maior pars huius anni processisset, & duabus tabulis ad decem adiectis nihil superesset, si hae quoque tabulae centuriatis comitijs perlatae essent, cur decemuiris reipublicae opus esset; expectaretque populus quã mox consulibus creandis comitia indicerentur. Tum decemuiros nulla comitiorum mentione facta, iuuenum cateruis stipatos superbius, atque impotentius se in unumquemque gessisse, & Idibus Maijs aduenientibus, qui dies tum solemnis ineundo consulatui erat nullis magistratibus subrogatis, eosdem qui priore anno fuerant, decemuiratum cum magna totius populi indigna-

indignatione continuasse Liuius, & Dionysius auctores sunt, Eos tamen haud multo post abdicasse hanc ob caussam praecipue constat. Ap. Claudius quum alij collegae in Aequos, alij in Sabinos exercitum duxissent, urbis praesidio relictus Virginiam plebeiam uirginem, quam amabat pretio pellicere adortus, quum frustra se laborare animaduertisset, in seruitutem per clientem suum M. Claudium asserere eam conatus, patrem eius eò compulit, ut ipsam filiam manu sua sibi potius occidendam putarit, quam Ap. Claudij libidini dederetur. Ea res, ut erat atrox, in utraque castra perlata seditionẽ maximam plebis excitauit. Quae relictis castris quum primum in Auentinum, post in mõtem sacrum secessisset, paulo post placata, se redituram esse professa est, si tribuni plebis sibi ipsi restituerẽtur, & decemuiris abdicatis, consularis potestas reuocaretur. Quibus conditionibus a senatu acceptis, ipsa in urbem redijt. Tum abdicantibus decemuiris comitia tribunorum a M. Papirio pont. max. facta sunt, quibus decem creati. Tribunatu inito L. Icilius extemplo plebem rogauit, et plebs sciuit ne cui fraudi esset secessio ab decemuiris facta. Confestim de consulibus creandis cum prouocatione M. Duilius rogationem pertulit. Per interregem deinde consules creati qui extemplo magistratum occeperunt L. Valerius & M. Horatius. Hi libertatis plebis Romanae studiosi, quemadmodum & parentes auique eorum fuerant, omnium primum quum ueluti in controuerso iure esset, tenerentur ne patres plebiscitis, legem centuriatis comitijs habuere, ut quod tributim plebs iussisset populum teneret, qua lege tribunicijs rogationibus telum acerrimum datum est. Aliam deinde consularem legem de prouocatione unicum praesidium libertatis, decemuirali potestate euersam non restituerunt modo, sed etiam in posterum muniuerunt, sanciendo noua lege, ne quis ullum magistratum sine prouocatione

tione crearet, qui creasset eum ius fasque esset occidi, neue ea caedes capitalis noxae haberetur. Et quum plebem hinc prouocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti uiderentur, cuius rei prope iã memoria aboleuerat, relatis quibusdam ex magno interuallo caerimonijs, renouarunt, & quum religione inuiolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo ut qui tribunis plebis, aedilibus, iudicibus nocuisset, eius caput Ioui sacrum eßet, familia uenum iret. Institutum etiam ab ijsdem cos. ut S. C. in aedem Cereris ad aediles plebis deferrẽtur, quae ante arbitrio consulum suprimebantur uitiabãturque. M. Duilius deinde tribunus plebis legem tulit, qui plebem sine tribunis reliquisset, quique magistratum sine prouocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Atque hac ratione fundata & stabilita tribunicia potestate, ac plebis libertate, tribuni longe maiora aggreßi sunt. Nam quum mos fuisset aliquot tantum tribunos plebis creari, ij uero qui creati essent cooptatione sibi collegas ad numerum decem substituerent, altero anno L. Trebonius tribunus plebis infestus patribus, quod se ab ijs in cooptandis tribunis fraude captum, proditumque a collegis aiebat, rogationem tulit, ut qui plebem Romanam tribunus plebis rogaret, is usque eo rogaret dum X. tribunos plebis faceret. Post aliquot annis res quietae domi fuere, usque ad annũ urbis CCCIX. In quo M. Genucio & C. Curtio cos. domi forisque res infestae fuere. Anni enim principio C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgauit de communicandis plebi patriciorum connubijs, quae decemuiri ante diremerant, qua contaminari sanguinem suum patres confundique iura gentium rebantur. Lex multis contentionibus agitata est, nec ante finis controuersiarum fuit, quum & tribunum acerrimum auctorem plebs nata esset, & ipsa cum eo pertinacia

nacia certaret, quam uicti tandem patres, ut de connubio ferretur concessere. Eodem anno ab eodem Canuleio tribuno plebis primo mentio sensim illata, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem nouam reliqui tribuni promulgarent, ut populo potestas esset seu de plebe, seu de patribus uellet, consules faciendi. Id uero si fieret, non uulgari modo cum infimis, sed prosus auferri a primoribus ad plebem summum imperium credebant. Quum res multis contentionibus acta esset tribunique in proposito persisterent, ueriti patres ne lex se inuitis perferretur, in eam sententiam ierunt, cuius auctor fuisse C. Claudius dicitur, ut pro consulibus crearentur tres tribuni militum ex patricijs, totidemq; ex plebe, ijque consulari potestate remp. regerent. Eorum autem finito imperio rursus senatus & plebs consuleretur, consules ne an tribunos mallent, qui uero placuissent, fierent: quod etiam multo tẽpore obseruatum est. His rebus decretis in magno plebeiorum, & patriciorum petentium studio, tres ex patricijs tantum creati sunt A. Sempronius, L. Atilius, & T. Cloelius, plebs eo contenta fuit, quod sui ratio in comitijs habita fuisset. Ita Liuius, & Dionysius: Adijcit Liuius. Fuisse qui propter adiunctum Aequorum, Volscorumque bello, & Ardeatium defectioni, Veiens bellum, quia consules obire tot simul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicerent, sine mentione promulgatae legis de consulibus ex plebe creandis, & imperio & insignibus consularibus esse usos. Vt ut illud fuerit satis inter omnes conuenit, Anno CCCX. quam urbs condita erat, primum tribunos militum pro consulibus magistratum inijsse. Hi postea saepe creati praesentaneum remedium multis annis fuerunt tribunitijs seditionibus mitigandis, quae de consule e plebe creando saepe deinde exortae sunt, verum multo tempore post quum plebs po-

stremo obtinuisset ut consul alter e plebe, alter e patribus fieret, creari desierunt. Sed haec omnia latius suo loco enarrabo. Anno autem sequenti, urbis uero conditae CCCXI. Censurae initium fuit, rei a parua origine ortae, quae deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinaeq; Romanae penes eam regimen, senatus equitumque centuriae, decoris dedecorisque discrimen, sub ditione eius magistratus publicorum ius, priuatorumque locorum, & uectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. De censura plura dixi in commentarijs Fastorum. Post haec tempora res quietae domi multis annis fuere, donec anno urbis CCCXXXIII. N. Fabio Vibulano T. Quinctio Capitolino cos. discordiae inter patres plebemque de duplicando quaestorum numero, ijsque tam de plebe quam de patribus creandis, exortae sunt. Nam quum ut praeter duos urbanos quaestores, duo consulibus ad ministeria belli praesto essent a consulibus relatum esset, patresque summa ope approbassent, consulibus tribuni plebis certamen intulerunt, ut pars quaestorum (nam ad id tempus patricij creati erant) ex plebe fieret, aduersus quam actionem primo consules & patres summa ope annixi sunt, concedendo deinde, ut quemadmodum in tribunis militum consulari potestate creandis usi sunt, adaeque in quaestoribus liberum esset arbitrium populi, quum parum proficerent totam rem de augẽdo quaestorum numero omittunt, excipiunt omissam tribuni, & postremo res eo deuenit, ut nihil prohiberet quo minus quattuor quaestores promiscue de plebe, ac patribus, libero suffragio populi fierent. Qui tamen non nisi decimo anno post primum e plebe creari coepti sunt. CN. enim Cornelio Cosso, & L. Furio Medullino II cos. cum N. Fabio Ambusto Patricio tres e plebe primũ quaestores facti sunt Q. Silius, P. Aelius, P. Pipius. Atque hac ratione patefactus ad consulatum, & triumphos

triumphos locus nouis hominibus uisus est. Nam nunquam quieuerunt, donec aliquot annis post, non sine magnis reip. perturbationibus, etiam consulatum hac ratione adepti sunt. C. Licinius & L. Sextius tribuni plebis anno urbis CCCLXXVII. creati, quum tres leges auctore M. Fabio Ambusto patricio, & primario homine, aduersus patriciorum opes pro commodis plebis promulgassent, unam de aere alieno minuendo; alteram de modo agrorum, ne quis plus quam quingenta iugera agri haberet; tertiam ne tribunorum militum amplius comitia fierent, sed consulum, utique alter ex plebe crearetur; neque eas ferre per collegarum intercessiones, quos de industria patres comparauerant, potuissent; tum irati comitia praeter aedilium tribunorumque plebis, nullos curules magistratus creari passi sunt, eaque magistratuum solitudo, & plebe reficiente duos tribunos, & his perpetua intercessione comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquenniū urbem tenuit. ita Liuius. Atque ita quintum mutata est reipub. Romanae species, quum a tribunis militum consulari potestate, ad tribunos plebis administratio reip. reciderit. Quinquennio exacto, tribunisque plebis ijsdem intercessionem remittentibus, per tres annos tribuni militum creati sunt. Principio anni noni ad ultimam dimicationem de legibus a Licinio, & Sextio promulgatis uentum est. Et quum tribus uocarentur, nec intercessio collegarum latoribus obstaret, trepidi patres ad duo ultima auxilia summum imperium, summumque uirum decurrerunt. Dictatorque dictus est M. Furius Camillus, qui L. Aemilum magistrum equitum sibi cooptauit. Quum uero plebis duces acrius contra Camillum de legibus ferendis agerent, percitus ita Camillus lictores, qui de medio plebem amouerent misit, & addidit minas sacramento omnes adacturum, exercitumque extemplo ex urbe deducturum. Re autem

neutro inclinata, se abdicauit, seu quia uitio creatus erat, ut tradidere quidam, seu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, plebsque sciuit, ut si M. Furius pro dictatore, quid egisset quingentum millium aeris ei mulcta esset. Camillus uero quum exilium, secundamque damnationem, senex timeret, plebemque se superaturum diffideret, domum se contulit, ac simulata ualetudine, dictatura se abdicauit. Cui extemplo P. Manlius suffectus est. Qui rem in caussam plebis inclinauit, C. Licinio, qui tribunus militum fuerat, magistro equitum de plebe dicto. Id aegre passos patres constat. Dictatorem propinqua cognatione Licinij se apud patres excusare solitum, simul negantis magistri equitum maius, quam tribuni consularis imperium esse. Anno sequenti ijdem tribuni refecti pro aucto II. uirum S. F. numero, atque quinque ex his de plebe creatis, tribunorum militum consulari potestate comitia fieri permiserunt: postremo anno urbis CCCXXCVIII. Quum ijdem tribuni decimum refecti acrius de legibus ferendis pugnarent, dictatorem tandem & senatum uicerunt, ac comitia cõsulum aduersa nobilitate, ut fierent obtinuerunt, quibus L. Sextius de plebe primus consul factus est. Quum autem patricij se auctores futuros negarent, ac prope ad secessionem plebis res spectaret, per dictatorem Camillum sedatae discordiae sunt. Concessum a nobilitate plebi, de consule plebeio; a plebe nobilitati de praetore uno, qui ius in urbe diceret de patribus creando. Iidem etiam aediles curules duos ex patribus, ut fierẽt obtinuerunt. Plebs L. Sextio consulatum cuius lege partus erat dedit, ei collega ex patribus datus est L. Aemilius

Quae ciuitatis conditio fuerit cōmunicato plebi altero consulatu

Plebs igitur cōsulatū adepta, quae firmissima ad eā diē arx potētiae patriciorū fuerat, paulo post nullo negocio imperiū, dictaturam, censuram, proconsulatum, praeturam, sacra, sacerdotia, quae tantum patriciorum fuerant postremo obtinuit. Ex quibus anno CCCXCIIX. *C. Marcius Rutilus dictator, idem anno* CDIII. *censor, Q. Publilius Philo anno* CCCCXVII. *praetor, idem anno* CDXXIIX. *pro consul primi de plebe creati sunt. C. etiam Poetelius Libo Visolus primus plebeius consul triumphauit anno CCCXCIIII. Demum anno* CDLIIII. *quum plebis honoribus nihil praeter sacerdotia, quae nondum promiscua erant, deesset, rogationibus Ogulnijs, & sacerdotum numerus auctus est, & pontifices, auguresque de plebe facti sunt. Aliquot postremo annis post, etiam pōtifex maximus de plebe factus est primus Ti. Coruncanius. Nihil igitur ad ius totius reip. adaequandum deerat, nisi ut plebiscita, quibus tum sola plebs tenebatur omnes Quirites astringerent. Tum denique hoc etiam secessione in Ianiculum facta lege Hortensia consequuta est. Ita aequissimis legibus republica temperata, atque plebe omnium rerum in societate adscita, eodem fere tempore omnis Italia, Pyrrho rege superato, atque fugato, in deditionem accepta est. Ex quo tempore praeclara, atque ad omnis posteritatis memoriā illustria abstinentiae, modestiae, iustitiae, fortitudinis, ciuilis denique concordiae usque ad tertium bellum Punicum exēpla edita sunt. Tum enim Curij, Fabricij, Coruncanij, Metelli, Fabij, Scipiones, Paulli, Lepidi, Flaminini, Nobiliores floruerunt. Quorum quum eximiam in bello animi magnitudi-*

nem, constantiam, & prudentiam; tum incredibilem in pace iustitiam, grauitatem, probitatem, fidem, ac moderationem merito admirareris & coleres. Nulla certe aetas uirtutibus aedendis feracior fuit, quam centum annorum interuallū, a primo ad tertium bellum Punicum, quo tempore rei militaris gloria, in qua cum uirtute multum, tum disciplina plurimum ualuerunt, magnam orbis terrarum partem suo imperio adiunxerunt

De caussis excidij reip. Romanae

Post bellum Punicum tertium, remoto Carthaginis metu, sublataque imperij emula, non gradu, sed praecipiti cursu a uirtute descitum, ad uitia transcursum, uetus disciplina deserta, noua inducta, in somnum ad uigilias, ab armis ad uoluptates, a negotijs ad otium conuersa ciuitas. Tum uetere labante disciplina, quum totius ciuitatis mores inclinare, & ad leuitatem iam nimiam, atque ambitionem incumbere coepissent, praesertim uero luxuria per Asiaticas delitias, in ciuitatem inuecta; atque exterarum gentium metu amoto, a quibus Poenis duobus asperrimis bellis deuictis, tertio etiam funditus deletis, Philippo, Perse, Antiocho regibus potentissimis superatis, Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyrico, Macedonia, Graecia prouincijs in ditionem populi Romani redactis, iustam principatus orbis terrarum, atque imperij confessionem extorserant, qui usque eo uere optimus reip. status fuerat, is primum sensim, ac leuiter tentatus, deinde aperte translata iam ad iniustum populi dominatum rep. funditus labefactatus, atque euersus est. Neglectaque ciuili disciplina, populus Romanus relictam a maioribus libertatem, atque imperium amisit. Hunc uero pessimum reip. statum duo Gracchi, Drusus, Saturninus tribuni plebis furiosi, atque amentes specie

qui

quidem plebis tuendae, re autem dominationem sibi quaerentes partim agrarijs, & iudiciarijs legibus ferendis, & lege Licinia, quae uetabat quemquam ciuem plus quingentis iugeribus habere, restituenda, quibus rebus optimatum potentiam frangerent, plebis confirmarent; quum aut eorum agros plebi inopi diuisissent, aut antiquam iudiciorum auctoritatem, a senatoribus ad equites transtulissent; partim ciuitate socijs, & Italiae omni danda, eaque usque ad Alpes extendenda, ut suffragiorum plebeiorum multitudine, facilius nobilitatis opes in comitijs comminuerent; partim frumento largiendo, quo ad omnia quae in remp. molirentur plebem eo deuinctam munere paratiorem haberent, summa imis miscentes intulerunt; ac praestantißimum illum optimae reip. consensum, tot annorum spatio, tot laboribus maiorum partum, breui tempore perturbarunt, ac penitus conuulserunt. Inerat omnibus species aequitatis. Quid enim tam iustum quam recipere plebem ius suum a patribus? ne populus gentium uictor, orbisque possessor extorris aris, ac focis ageret. Quid tam aequum, quam inopem populum uiuere ex aerario suo? Quid ad ius libertatis aequandae magis efficax, quam ut senatu regente prouincias, ordinis equestris auctoritas saltem iudiciorum regno niteretur. Sed haec ipsa in perniciem redibant, & misera resp. in exitium suum marcesserat, & a senatu in equites translata iudiciorum potestas, uectigalia, id est imperij patrimonium supprimebat, & emptio frumenti ipsos reip. neruos exhauriebat aerarium. Reduci plebs in agros unde poterat, sine poßidentium euersione, qui sibi pars populi erant, & tamen relictas sibi a maioribus sedes aetate, quasi iure haereditario poßidebant. Ab Gracchorum igitur tempore maiores in republica plebis, quam optimatum opes exuere, quippe quae omniũ iam, honorum, quos soli ante patricij obtinuerant particeps facta

praeterea tribunatum, ac tributa comitia quibus omnino patriciis interdictum erat adepta, ad haec agris, iudiciis, frumento, sociorum suffragiis aucta, atque locupletata, uniuersam remp. ut in potestate haberet, sic ex libidine administraret, nobilißimi optimatum oppreßi, ueteres ciues agris spoliati, ciuitatis honor parce ante dari solitus integris prouinciis concessus. Hunc iniustum iniquumque plebis dominatum, quũ is terminos impotentiae suae non faceret, L. Sulla dictator postea substulit, qui imperio quod a senatu acceperat lege tribunicia Sulpicii a C. Mario spoliatus, extorta armis ex inimicorum manibus republica, tribunorum plebis potestate admodum imminuta (quum tribuno alios honores interdixerit, eumque concionari uetuerit) plebe agris pulsa, ac ad internicionem fere caesa, iudiciis senatui redditis, rursus optimatum remp. stabiliuit, popularemq; conuellit. At hic status non admodum diuturnus fuit. Nam paucis annis post Cn. Põpeius in primo consulatu, antiqua tribunis plebis potestate, ac dignitate restituta, plebe ad iudicia cum senatoribus & equitibus lege Aurelia aduocata, uetus aliud optimae reip. quaesiisse temperamentum uisus est, quod mutatis immo corruptis penitus totius ciuitatis moribus, atque auaritia iam & ambitione latißime grassante, assequi nulla ratione potuit. Ita perturbato saepe reip. statu, crebro a paucis de uniuersa occupãda rep. cogitatum est, tum enim Piso, tum Crassus, tum Catilina, cum aliis eiusdem furoris sociis, aduersus remp. conspirarunt. Tum Caesar, denuo Crassus, & ipse forte mutata mente Pompeius inita societate, extraordinarias opes, quae liberae ciuitati iure formidabiles essent, sibi quaesierunt. Qua breui dirempta ciuilis repente discordia ac totius reip. perturbatio consequuta est, quum Caesaris potentiam senatus, Pompeii (nam Crassus paulo ante occiderat) populus ferre non posset

possset. Victo autem fatali reip. Pharsalico proelio Pompeio, atque optimatum factione afflicta, rursus ad iniustum unius Caesaris dominatum respublica recidit, atque aliquot annis oppressa fuit. Quo, ab ijs qui libertati studebant interfecto, quum reuiuiscere prisca patrum grauitas, atque ad spem auctoritatis pristinae, quodammodo respirare uideretur, haud ita multo post in ipsomet recuperandae reip. apparatu, a populo, cui Antonius, ac post etiam Octauius, qui Caesaris partes ambo susceperant uindicandas, seruierunt, sublata funditus, atque oppressa est, quum inauditum ante triumuiratum in remp. intulissent, ac nefariam optimatum atque inimicorum suorum proscriptionem fecissent. Bruto porro & Cassio aduersae factionis ducibus caesis, oppresso in Sicilia Sex. Pompeio, Lepido potestate exuto, & M. Antonio occiso, quum nulla amplius essent publica arma, & Iulianarum patrium dux solus Octauius reliquus fuisset, cunctis discordijs ciuilibus fessis, tanquam bellorum ciuiliũ quae esse confecerat praemium, totius reip. ius, potestatem, atque imperium, quod ab initio regum, post magistratuum, senatus, ac populi fuerat in perpetuum principis sub nomine transtulit. Qui posito triũuiri nomine, consulem se ferens, & ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit, insurgere paulatim munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo aduersante; quum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, ceteris nobilior quanto quis seruitio promptior, opibus & honoribus extolleretur, ac nouis & rebus aucti, tuta & praesentia, quam uetera & periculosa mallent. Neque prouinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium, & auaritiam magistratuum, inualido legum auxilio, quae ui, ambitu, postremo pecunia turbabantur

babantur. Tribuniciam uero potestatem accepit quod summi fastigij uocabulum ne regis, aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praeemineret, inuenit. M. deinde Agrippam socium eius potestatis, quo defuncto Ti. Neronem delegit, ne successor in incerto foret, sic cohiberi prauas aliorum spes rebatur, simul modestiae Neronis, & suae magnitudini fidens. Ita Tacitus, Ceterum quomodo Caesar Augustus imperium singulare confirmauerit, & ordinauerit, & de titulis quibus legitima imperatorum potestas expressa est, satis disputaui in commentarijs libri II. Fastorum. Qua ratione uero Caesar Augustus imperij heredem reliquerit Ti. Caesarem, & Is C. Caligulam, sequentiumque imperatorum seriem, usque ad Constantinum; & quo modo is primus Romano imperio diuiso urbem Constantinopolim condiderit, accurate exaraui in libro quem de comitijs imperij scripsi. Nunc quantum ad hoc argumentum attinet breuiter differam. Augustus igitur ad unius arbitrium constitutã rempublicam decedens Ti. Caesari reliquit, is nepoti C. Caligulae: a quo tempore usque ad Neronis mortem hic populi Romani status fuit: sub Augusto, quamquam omnia ad eius arbitrium fierent, in eis tamen studiorum populi, & senatus auctoritatis rationem semper habuit. Nihil enim unquam egit quod non alterutrius auctoritate fieri uellet quemadmodum supra, quum de comitijs dissererem dixi. Tiberius populum plebemque omni reip. administratione exclusit, senatum maxime ueneratus est. Caius & Nero quamuis tyrannice imperium egerint, senatus tamen auctoritatem non neglexerunt. Claudius eam magnifecit. Sub Galba bello ciuili inter Othonem & Vitellium, & hunc & Vespasianum senatus potestas ita corruit, ut eum annum reip. supremum uocet Cornelius Tacitus. Nam deinceps Romani principes diuturnitate potestatis insolentiores

lentiores facti, omnia ad arbitrium, senatus potestate neglecta, agere coeperunt. Verum in his quidam meliores & temperatiores, ut Traianus, Hadrianus, Pius, Marcus, & Alexander; quidam insolentiores magisque impotentes fuerunt, ut Domitianus, Commodus, Seuerus, Caracallus, & reliqui fere omnes qui imperium Romanum in regni formam uerterunt, usq; ad Constantinum, qui, ut saepe alibi dixi, imperium adeptus tamquam patrimonium esset, illud diuisit, mutauit, omnia miscuit, antiquam superstitionem aboleuit, alteram imperij formam longe a priore constituit. Atque inter cetera urbem Constantinopolim condidit, cuius descriptionem quemadmodum de urbe Roma feci hoc loco subijcere, finemque cum ea huic libro facere commodum uisum est. Quae enim de urbe Roma, uel imperio Romano, post Constantini tempora dicenda sunt ea libro III. aperiam

Descriptio vrbis Constantinopolis

REGIO. PRIMA

Regio prima, continet in se domum Placidiae Augustae. Domum nobilißimae Marinae. Thermas Arcadianas. Vicos, siue Angiportus uiginti nouem. Domos centum decem & octo. Porticus perpetuas duas. Balneas priuatas quindecim. Pistrina publica quattuor. Pistrina priuata quindecim. Gradus IIII Curatorē unum, qui totius regionis sollicitudinem gerat. Vernaculum unum, uelut seruum in omnibus & internuntium regionis. Collegiatos uigintiquinque, qui e diuersis corporibus ordinati, incendiorum solent casibus subuenire. Vicomagistros V quibus per noctem tuendae urbis cura mandata est

Regio secunda, ab initio theatri minoris per aequalitatē su-

sui latēter molli subleuata cliuo, mox ad mare praecipitijs abrupta descendit. Continet in se Ecclesiam magnam, Ecclesiam antiquam. Senatum. Tribunal purpureis gradibus extructum. Thermas Xeusippi. Theatrum. Amphitheatrum. Vicos, siue Angiportus triginta quattuor. Domos XCVIII. Porticus magnas quattuor. Balneas priuatas XIII. Pistrina priuata quattuor. Gradus IIII. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos XXXV. Vicomagistros V

Regio tertia, plana quidem in superiore parte, utpote in ea Circi spatio largius explicato, sed ab eius extrema parte nimis prono cliuo, mare usque descendit. Continet in se eundem circum maximum. Domum Pulcheriae Augustae. Portum nouum. Porticum semirotundam, quae ex similitudine fabricæ sigma graeco uocabulo nuncupatur. Tribunal fori Constantini. Vicos septem. Domos XCIIII. Porticus magnas V. Balneas priuatas undecim. Pistrina priuata nouem. Curatorem unum. Vernaculum I. Collegiatos XXI. Vicomagistros V

Regio quarta, a Miliario aureo collibus dextra leuaq; surgentibus, ad planitiem usque ualle ducente perducitur. Continet in se idem Miliarium aureum Augusteum. Basilicā. Nymphaeum. Porticum Fanionis. Liburnam marmoream, naualis uictoriae monimentum. Ecclesiam, siue martyrium sancti Mennae. Stādium. Scalam Timasii. Vicos XXXII. Domus CCCLXXV. Porticus magnas IIII. Balneas priuatas septem. Pistrina priuata V. Gradus VII. Curatorem I. Vernaculū I. Collegiatos XL. Vicomagistros V

Regio quinta. Regionis quintae non modica pars, in obliquioribus posita locis, planicie excipiente producitur, in qua necessaria ciuitatis aedificia continentur. Continet in se Thermas Honorianas. Cisternam Theodosianam. Prytaneum. Thermas Eudocianas. Strategium, in quo est Forum Theodosiacum,

ſtacū, & Obeliſcus Thebeus quadrus. Horrea holearia. Nymphaeum. Horrea Troadenſia. Horrea Valētiana. Horrea Conſtantiaca. Portum habet prosforianum. Scalam Chalcedonenſem. Vicos uiginti tres. Domos centum octoginta quattuor. Porticus magnas ſeptem. Balneas priuatas undecim. Piſtrina publica ſeptem. Piſtrina priuata duo. Gradus nouem. Macellos duos. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos XL Vicomagiſtros V

Regio ſexta, breui peracta planicie, reliqua in deuexo conſiſtit, a foro namque Conſtantini Scalam uſque, ſiue traiectum Sycaenum, porrigitur ſpatiis ſuis. Continet in ſe, Columnam purpuream Conſtātini. Senatum eiuſdem loci. Neorium portum. Scalā. Sycaenam Vicos uiginti duos. Domos quadringentas octoginta quattuor. Porticum magnam unam. Balneas priuatas nouem. Piſtrinum publicum unum. Piſtrina priuata XVII. Gradus XVII. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos XLIX. Vicomagiſtros V

Regio ſeptima, in comparationem ſuperioris planior, quamuis & ipſa circa lateris ſui extremitatē habeatur in mare decliuior. Haec a parte dextera Columnae Conſtantini, uſq; ad Forum Theodoſii, continuis extenſa porticibus, & de latere alijs quoque pari ratione porrectis, uſque ad mare uelut ſe ipſam inclinat, & ita deducitur. Habet autem in ſe Eccleſias tres, hoc eſt, Irenen, Anaſtaſiam, & S. Paulli. Columnā Theodoſii, intrinſecus uſque ad ſummitatem gradibus peruiam. Equites magnos duos. Partem eiuſdem fori. Thermas Caroſianas. Vicos octoginta quinque. Domos ſeptingentas undecim. Porticus magnas ſex. Balneas priuatas XII. Gradus ſexdecim. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos octoginta. Vicomagiſtros V

Regio octaua, ex parte Tauri, nulla maris uicinitate conter

mina

mina, angustior magis quàm lata, spatia sua in longitudinem producta compensat. Continet in se partem Fori Constantini. Porticum sinistram Taurum, usque Basilicam Theodosianam. Capitolium. Vicos XXI. Domus centum octo. Porticus maiores quinque. Balneas priuatas decem. Pistrina priuata quinq;. Gradus V. Macellos duos. Curatorem I. Vernaculum unum. Collegiatos XVII. Vicomagistros V

Regio nona, prona omnis, & in Notum deflexa, extensi maris litoribus terminatur. Continet in se, Ecclesias duas. Coenopolim, & Omonoeam. Horrea Alexandrina. Domum nobilissimae Arcadiae. Thermas Anastasianas. Horreum Theodosianum. Vicos XVI. Domos CXVI. Porticus maiores duas, Balneas priuatas quindecim. Pistrina priuata quindecim. Pistrina publica quattuor. Gradus quattuor. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos triginta octo. Vicomagistros quinque

Regio decima, in aliud ciuitatis latus à nona regione platea magna uelut fluuio interueniente diuiditur. Est uero tractu planior, nec usquam praeter maritima loca inaequalis, longitudini eius latitudine non cedente. Continet in se Ecclesiam siue Martyrium sancti Acacij. Thermas Constantinianas. Domum Augustae Placidiae. Domum Augustae Eudociae. Domum nobilissimae Arcadiae. Nymphaeum maius. Vicos uiginti. Domos sexcentas XXXVI. Porticus maiores sex. Balneas priuatas. Pistrina publica duo. Pistrina priuata sexdecim. Gradus XII. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos nonaginta. Vicomagistros quinque

Regio undecima, spatio diffusa liberior, nulla parte mari sociata est. Verum eius extensio, tam plana, quàm etiã collibus inaequalis. Continet in se Martyrium Apostolorum. Palatium Faccillianum. Domum Augustae Pulcheriae. Bouem

uem aereum. Cisternam Arcadiacam. Cisternam Modestiacam. Vicos VIII. Domos quingentas tres. Porticus maiores quattuor. Balneas priuatas quattuordecim. Pistrinum publicum unum. Pistrina priuata tria. Gradus septem. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos triginta septem. Vicomagistros V

Regio duodecima, Portam à ciuitate petentibus in longum plana omnis consistit, sed latere sinistro mollioribus cliuis deducta maris confinio terminatur, quam moenium sublimior decorat ornatus. Continet in se Portam auream. Porticus Troadenses. Forum Theodosiacum. Columnam itidem intra se gradibus peruiam. Monetam. Portum Theodosiacum. Vicos undecim. Domos trecentas sexaginta tres. Porticus maiores tres. Balneas priuatas quinque. Pistrina priuata quinque. Gradus IX. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos septem & decem. Vicomagistros V

Regio XIII. Tertiadecima regio, Sycaena est, quae sinu maris angusto diuisa, societatem urbis nauigijs frequentibus promeretur, tota lateri montis affixa, praeter unius plateae tractum, quam subiacentium eidem mõti litorum tantum praestat aequalitas. Continet in se Ecclesiam. Thermas Honorianas. Forum Honorianum. Theatrum. Naualia. Domos quadringentas XXXI. Porticum maiorem unam. Balneas priuatas quinque. Pistrinum publicum unum. Pistrina priuata IIII. Gradus octo. Curatorem unum. Vernaculũ unum. Collegiatos XXXIIII. Vicomagistros quinque

Regio XIIII. Regio sane licet in urbis quartadecima numeretur parte, tamen quia spacio interiecto diuisum est muro proprio uallatum, alterius quodammodo speciem ciuitatis ostendit. Est uero progreßis à porta modicum, situ planum, dextero autem latere in cliuum surgente usque ad medium fe-

re

re plateae spacium, nimis pronum: unde mare usque mediocris, haecque ciuitatis continet partem, explicatur aequalitas. Cõtinet in se Ecclesiam. Palatium. Nymphaeum. Thermas. Theatrum lusorium. Pontem sublicium siue ligneum. Vicos XI. Domos centum sexaginta septem. Porticus maiores duas. Balneas priuatas V. Pistrinum publicum unum. Pistrinum priuatum unum. Gradus V

Collectio Ciuitatis

COGNITA vrbe per partes, fas est etiam situm conclusae iam vniuersitatis aperire, vt magnificentiae vnicum decus nõ solum videatur opere & manu confectum, sed etiã conspirãtibus elementis, naturae felicitate munitũ. Prouidentia ergo diuina tot futurorum hominum domiciliis consulẽte longo tractu, in promontorii qualitatem spatiosior terra faucibus Pontici maris opposita, sinuosis portuosa lateribus, angustior latitudine, circũflui maris tutela vallatur. Hoc quoque spacium quod solum apertum maris circulus derelinquit duplici muro acies turrium extensa custodit: intra quas septa ciuitas cõtinet in se omnia singillatim memorata, quæ nunc ad firmioris memoriæ qualitatem summatim collecta referemus. Habet ergo vrbs Constantinopolitana, Palatia quinque, Ecclesias quattuordecim, Domos Augustarum VI. Domos nobilissimas III. Thermas VIII. Basilicas duas, Fora quattuor, Senatus II. Horrea V. Theatra II. Lusoria II. Portus IIII. Circum I. Cisternas IIII. Nymphaea IIII. Vicos CCCXXII. Domus IIII∞ CCCXCVIII. Porticus LII. Balneas priuatas CLIII. Pistrina publica XX. Pistrina priuata CXX. Gradus CXVII. Macellos V. Curatores XIIII. Vernaculos XIIII. Collegiatos DLX. Vicomagistros LXV. Columnam purpuream. Columnas intra se peruias duas. Colossum vnum. Tetrapylum aureum unum Augusteum. Capitolium. Monetã. Scalas maritimas III. Habet sanè longitudo vrbis, à porta aurea vsq; ad littus maris directa linea, pedum XIIII ∞ LXXV. Latitudo autem, pedum VI ∞ CL.

SECVNDI. LIBRI. FINIS

ONVPHRII . PANVINII
VERONENSIS. FRATRIS
EREMITAE. AVGVSTINIANI

IMPERIVM
ROMANVM



VENETIIS Ex Officina Erasmiana
apud Vincentium Valgrisium
M D LVIII

IMP. CAESARI. FERDINANDO AVSTRIO. PIO. FELICI

PERPETVO. AVGVSTO

ONVPHRIVS. PANVINIVS. VERONENSIS FRATER. EREMITA AVGVSTINIANVS. S. P. D



ANTA fuit Romani imperij Caesar Auguste maiestas, & magnitudo, rerumque gestarum populi Romani gloria, vt quamquam prope infiniti praeclaris ingenijs praediti viri, tam nostra & auorum, quã prisca illa aetate fuerint, qui vel omnes eius res gestas, vel earum partem monumentis litterarũ consignare studuerint; pleraque tamen leuiter perstrinxerint, aut omnino praeterierint. Vnde mirari omnes desinant, si hoc saeculo, quo post

antiquorum memoriam nullũ bonis artibus edendis feracius fuit, multi in omni doctrinarum genere excellentes, de ijs ipſis rebus ſibi ad ſcribendum propo nant. Quare & ego, quem cum his, vel propter rerum ignorationem, vel exiguam in dicendo facultatem, nulla ratio ne comparandum eſſe exiſtimo, eorum ipſorum hominum exemplo, eiusque imperii praeclaris inſtitutis accenſus, mihi ipſi conſtitui commentarii more, breuiſſime totum eius reip. corpus perſtringere; & quibus ego diſcendis quattuordecim annos inſudaui, aliis nullo negocio intelligenda aperire. Atque quum primo libro, vrbem, id eſt aedificia, ſecundo ciuitatem, tuis auſpiciis iam euulgauerim, tertio hoc libro populi Romani imperium, hoc eſt eius extra vrbem per Italiam, & reliquas prouincias geſta deſcribere decreui. In quo quanta breuitate fieri poſſe intelligam, Romanum illud im-

imperium toto terrarum orbe celebratum exponam; quo tempore, quibus ducibus, & bellis, quibusque bellorũ caussis Italia omnis primum, deinde reliquæ orbis terrarum prouinciae, & regna in eius ditionem venerint, & vnum quasi corpus constituerint; quibus magistratibus administrarentur, quot municipia, quot Coloniae, quae praecipua eius imperii praesidia fuere, quae tam intra quã extra Italiam deductae sunt; quo tempore, & quibus occasionibus Italia omnis, & reliquus orbis Romanus ciuitate donatus sit, atq; ex orbe vrbs vna facta fuerit, vt Rutilius his versibus elegantissime scribit

Fecisti patriam diuersis gentibus vnam
  Profuit iniustis te dominante capi
Dũq; offers victis proprii cõsortia iuris
  Vrbem fecisti, quod prius orbis erat

Postremo quo etiam tempore, a quibus barbaris, & quas ob caussas praestantissi

mus ille orbis terrarũ consensus, in vnũ quasi corpus diu ante coalitus, iterum in plura membra, tanto imperio exciso redactus fuerit, aperiam. Quae omnia nõ minus his, quae supra dixi cognitu digna sunt. Hunc vero librum ceterorum exemplo, in cuius potissimum nomine dignius publicare possem, quam Maiestatis tuae neminem inueni, quae Caesaris, & Augusti tanti imperii auctorũ successor est, & probitate, doctrina, animi magnitudine, excellentique in omni genere virtute reliquos omnes Romanos principes longe post se reliquit.

Venetiis Kal. Augustis ∞ DLVIII

ONV-

ONVPHRII. PANVINII VERONENSIS. FRATRIS EREMITAE. AVGVSTINIANI

IMPERIVM. ROMANVM

Qua ratione imperium Romanum ab exilibus principijs ortum, omnium maximum euaserit



IONYSIVS Halicarnasseus grauis in primis, certißimusque historiae Romanae scriptor, inter reliqua praeclara Romuli instituta, quibus Romana resp. fundata, ei ad certißimum exterarum omnium gentium, ac populorum bello', paceque principatum peruenire non difficile fuit, omnium praestantißimum, & optimum esse existimauit: Quod nec bello captas urbes funditus exciderit, uel eis in seruitutem redactis, earum agrum pecori pascua reliquerit, sed deductis colonis eas colonias Romanas fecerit, atque quasdam etiam ciuitate donatas, reip. participes admiserit. Quibus institutis breui tempore magnam vrbem ex parua reddidit. Nam qui quum vrbem condidit, uix tria peditum millia trecentosque equites habuit, idem moriens peditum sex & quadraginta millia, & mille equites reliquisse traditur. Cuius exemplum ceteri reges primum, deinde cos. sequuti, Romanum imperium omnium maximum ac potentißimum effecerunt. Quod libro II. his uerbis ipse exponit: His acceßit tertium Romuli institutum, quod maxime Graeci generis hominibus exerceri

decuit, ut omnium longe praestantißimum, & ut mea fert opinio, libertatis Romanae fundamentum firmißimum, atque ad futurum imperium momentum non minimum; quo uidelicet puberes omnes in bello captis urbibus necari uetuit, aut sub hasta uenundari, sicut nec agros earum relinqui uoluit compascuos, sed in partem agri sorte diuidendi colonos Romanos mitti, nonnullas uero admitti in ius ciuitatis etiam. His ille atque eiusmodi alijs institutis, urbem ex parua magnam reddidit, id quod res ipsa indicat, qui enim una cum illo vrbem habitare coeperunt, non multo plures erant ter mille peditibus, & pauciores trecentis equites, quando autem ex mortalium numero sublatus est, peditum reliquit XLVI. millia, & mille ferme equites. Atque haec ipsius instituta, quum regni successores seruauerunt, tum post illos magistratus annui, addentes & alia quaedã, ita ut Romana ciuitas nulli genti, uel populosißimae numero hominum cederet. Quibus si Graecorum mores conferam, non possum laudare Thebanos, & Lacedemonios, Athenienseue opinione sapientiae celebres, qui ob retinendam nobilitatem generis, uel nullos, uel raros in ius ciuitatis admittebant, ut interim taceam morem pellendi hospites, nec ipsorum iactantiae conuenientem, & damnosum etiam in rebus plerisque. Spartani certe post acceptam ad Leuctra cladem, amissosque ∞ DCC. uiros, nunquam postea potuerunt ciuitatem suam in integrum restituere, sed turpiter ammiserunt imperium. Itidem Thebani, atque Athenienses unico proelio uicti ad Chaeroneam a Macedonibus, mulctati sunt libertate simul, & principatu Graeciae. At Romani Hispanicis atque Italicis bellis impliciti, & Siciliam cũ Sardinia sub suam ditionem retrahentes, nec immumes interim a bellis Graecorum, ac Macedonum, Carthagine rursus affectãte imperium, Italia non solum deficiente ad hostem, sed

accersente

accersente bellum, quod Hannibalis ductu gestũ est, uno eodẽq; tempore tot periculis expositi, adeo non succubuerunt aduersis in eo bello casibus, ut uires illorum auctae sint etiam, militum numero sufficiente ad excipiendos impetus omnium, non ut quidam opinantur fortunae indulgentia. Nam quod ad hãc quidem attinet, uel una Cannensis clades ciuitatem eorum opprimere poterat, quando e sex millibus equitum CCCLXX tantum superfuerunt reliqui, & ex LXXX ∞ copijs paulo pluresquam ter mille manserunt incolumes. Haec sunt quae in hoc uiro admiror, atque insuper quae mox dicturus sum, & cet. Eadem propemodum refert Ti. Claudius Caesar Romanus princeps in oratione, quam quum censuram gereret, in senatu habuit, de admittendis ad honores urbanos Gallis transalpinis, quae a Tacito libro XI historiae Augustae refertur. Qui ita scribit: A. Vitellio L. Vipsanio cos. quum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliae quae Comata appellatur, foedera & ciuitatem Romanam pridem assequuti, ius adipiscendorum in vrbe honorum expecterent, multus ea super re uariusque rumor, & studijs diuersis apud principem certabatur, asseuerantium: Non adeo aegram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suae nequiret: suffecisse olim indigenas consanguineis populis, nec penitere ueteris reip. Quin adhuc memorari exempla, quae priscis moribus ad uirtutem, & gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quod veneti, & Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum uelut captiuitas inferatur: Quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis pauper e Latio senator foret: oppleturos omnia diuites illos, quorum aui proauique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro igniqque ceciderint, diuum Iulium apud Alexiam obsederint. Recentia haec, quid si memoria eorum inorire-

tur,

tur, qui Capitolio & ara Romana, manibus eorumdem prostratis; fruerentur ſane uocabulo ciuitatis, inſignia patrum, decora magiſtratuum ne uulgarent. His atque talibus haud permotus princeps, etiam ſtatim contra diſſeruit, & uocato ſenatu ita exorſus eſt: Maiores mei quorum antiquiſsimus Clauſus origine Sabina ſimul in ciuitatem Romanam, & in familias patriciorum adſcitus eſt, hortantur uti paribus conſilijs remp. capeſſam, transferendo huc quod uſquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tuſculo; & ne uetera ſcrutemur Etruria Lucaniaque, & omni Italia in ſenatum accitos, poſtremo ipſam ad alpes promotam, ut non modo ſinguli uiritim, ſed terrae genteſque in nomen noſtrum coaleſcerent. Tunc ſolida domi quies, & aduerſus externa floruimus, quum Tranſpadani in ciuitatem recepti, quum ſpecie deductarum per orbem terrae legionum, additis prouincialium ualidiſsimis, feſſo imperio ſubuentum eſt. Num penitet Balbos ex Hiſpania, nec minus inſignes uiros ex Gallia Narbonenſi tranſiiſſe. Manent poſteri eorum nec amore in hanc patriam nobis concedunt, quid aliud exitio Lacedemonijs, & Athenienſibus fuit, quam quam armis pollerent, niſi quod uictos pro alienigenis arcebant? At conditor noſtri Romulus tantum ſapientia ualuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues habuerit. Aduenae in nos regnauerunt, libertinorum filijs magiſtratus mandati, non ut plerique falluntur, recens, ſed priori populo factitatum eſt. At cum Senonibus pugnauimus. Scilicet Volſci & Aequi nunquam aduerſam nobis aciem inſtruxere. Capti a Gallis ſumus, ſed & Tuſcis obſides dedimus, & Samnitium iugum ſubiuimus. Attamen ſi cuncta bella recenſeas, nullum breuiore ſpatio, quam aduerſus Gallos confectum. Continua inde ac fida pax. Iam moribus, artibus, affinitatibus

bus nostris mixti, aurum & opes suas inferunt potius, quam separati habeant. Omnia P. C. quae nunc uetustissima creduntur noua fuere: plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiae gentium post Latinos. Inueterascet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur inter exempla erit. Orationem principis sequuto patrum consulto, primi Edui senatorum in urbe ius adepti sunt, datum id foederi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum adsciuit Caesar, uetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarũ, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant, exhaustis etiam quas dictator Caesar lege Cassia, & princeps Augustus lege Saenia sublegere. & cet. Ex his igitur Dionysij & Taciti testimonijs reip. Romanae consuetudo, & qualia eius instituta fuerint intelligere possimus, quibus nixa totius orbis terrarum imperio potita est. Quod quemadmodum acciderit singillatim demonstraturus, ante omnia qua ratione Italiam omnem quingentorum annorum interuallo nimium admodum reluctantem imperata facere coegerit aperiam, deinde quot colonias, municipia, & praefecturas, & quo tempore in ea fecerit, quae singulorum iura, & leges fuerint, ad hac quomodo ceteras prouincias bello acquisierit, atque quot in eas colonias deduxerit, legionesque constituerit; postremo quo tempore, & a quibus barbaris tantum imperium excisum fuerit ostendam, ita enim tertium hunc librum recte constitui posse iudicaui.

Quod Romanum imperium sub VII. regibus fuerit

Romulus rex

Cuius rei initium a Romulo rege primo, & tanti imperij auctore sumendum est. Is enim vrbe condita, parum agri Al-

bani in Latio ab auo Numitore rege, qui primo populo Romano sufficeret, impetrauit, Trāstiberim enim in Tuscia secundū Tiberim a monte Vaticano usque ad mare omnia sub Tuscorū Veientiū ditione erāt. Romuli ager in Latio, ut Strabo lib. v. docet, uix sex millibus passuum ab vrbe, qua longißime aberat, se extendebat. Nam ab occidente Tiberi terminabatur; a septemtrione Aniene amne, vrbibusque Fidenis, Crustumeria, Antemnis, & Caenina; ab oriente Pedano, Tiburtino, Gabino, & Praenestino agris; a meridie mare uersus Tellenis, Politorio, Ficanaque, earumque agris finem habebat. Cuius rei ita Strabo meminit: Intra quinctum igitur & sextum lapidem, sic enim milliaria designabantur, locus erat Festi appellatus, ubi Romani tunc terminus monstrabatur agri. Sacerdotes & hic, & alijs in locis perinde ac in finibus eadem die sacrificium absoluunt, quod Ambaruale uocant. Ficanā in Latio uia Ostensi ad lapidem XI. olim fuisse sic tradit Sex. Pompeius: Rudia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, uia Ostensi ad lapidem undecimum. Romulum uero agrum vaticanum usque ad mare de veientibus cepisse paulo post ex Dionysio ostendam. Is igitur primus fuit Romuli ager. Quem bello primo Sabino, Caenina, Antemnis, & Crustumeria, & post bello Latino Cameria, & Fidenis captis atque colonias Romanas deductis, agrique parte mulctatis, quam suis diuisit, in Latio auxit, ut Dionysius tradit. Ceterum quum Veientes, nobilißimi hi erant & potentißimi Etruriae populi, tertium bellum contra Romanos pro Fidenatium clade uindicanda praepararēt, legatis mißis, postulabant, ut Romani Fidenis praesidium abducerent, & agrum ademptum restituerent antiquis dominis, quo non impetrato ualidum in agrū Romanum educunt exercitum. Qui a Romulo uicti & fugati &

ti & magna clade affecti, pacem a Romulo petierunt. Qui illam eis his conditionibus concessit. Vt agrum Tiberi contiguum, qui uocatur Septem pagi Romanis traderent, utque salinis abstinerent, quae sunt circa fluminis ostia. Et ad tollendam renouandi belli suspicionem, quinquaginta obsides adducerent, quas cum accepissent, in columnam inscripsit condiciones icti cum eis foederis. & cet. Ex Dionysij itaque auctoritate Romulum cognouimus ueterem agrum Romanum Transtiberim, Anienem prope, & in Latio Cameriam uersus propagasse. Illud scitu dignum, fere semper ubi triumphos actos reperimus, ab eo quoque duce imperium auctum. Nam Romulum ter triumphasse constat, de Sabinis, Fidenatibus, & Veientibus. Quos omnes populos agri parte spoliatos didicimus

Tullus Hostilius rex

Sic Tullus Hostilius Alba euersa, Albanisque in ciuitatem adscitis Albanum agrum Romano adiecit. Fidenates & Sabinos iterum rebellantes domuit, atque de ijs triumphauit. Idē rex bellum cum omnibus Latinis suscepit, qui x x x. urbium conuentu regebantur, in cuius apparatu moriēs Ancum regni, & belli Latini heredem reliquit

Ancus Marcius rex

Hic Politorium, Tellenas, Ficanam priscorum Latinorum vrbes cepit, & diruit, homines Romam transduxit, eorum agros Romano adiecit; Medulliam, quae a Romulo capta Romana colonia facta fuerat, atque ad Latinos defecerat, denuo cepit. Fidenates, & Sabinos qui rebellauerant bis uicit, deijsque triumphauit. Nec vrbs tantum sub Marcio rege creuit, sed etiam ager finesque, silua Maesia Veientibus, qui bellū mouerant uictis, adempta, tam in Tuscia, quam in Latio, Ficana

cana diruta, imperium prolatum, & in ore Tiberis Ostia urbs condita, & salinae circa factae. Bellum Volscis Veliternis primo indictum

L. Tarquinius Priscus rex

L. Tarquinius Priscus bellum primum cum Latinis gessit, & oppidum ibi Appiolas ui cepit, diruit, & incendit, eius agrum Romano adiunxit. Crustumeriam, Medulliam, Fidenas & Cameriam Romanas colonias a Romulo factas, quae rebellauerant; Nomentum, Collatiam, Ficulneam ueterem, Corniculum, Scaptiam, a qua tribus nomen accepit, Pitulum, Tifata, Ameriolam Latinorum, & Sabinorum vrbes uicit, agrũ Collatinum Sabinis ademit, uniuersum postremo Latium ingentibus proelijs superatum, domuit. vrbibusque omnibus nominis Latini in deditionem acceptis, foedereque cum ijs facto, eas suis legibus uiuere permisit. Sabinos, & Etruscos qui Latinis auxilio uenerant proelijs aliquot uictos fugauit, deque ijs duos triumphos egit. Cum plerisque Tuscis ciuitatibus foedus fecit

Ser. Tullius rex

Ser. Tullius regnum adeptus bellum uiginti annorum cum Etruscis, qui Veientibus, Tarquinensibus, & Caerretanis auctoribus, arma Romanis intulerant, gessit, ter de ijs triumphauit. Nouissime cum XII. Etruriae populis pace facta belli auctores Veientes, Tarquinienses, & Caerretanos agri parte mulctauit, ijsque qui Romam ad habitandum uenerant distribuit. Hic uniuersum agrum Romanum qui a Romulo usque ad sua tempora a ceteris regibus, Sabinis, Latinis, & Tuscis ademptus fuerat, in XVII. partes quas tribus appellauit diuisit, is ager Romanus postea appellatus est, de quo satis supra disputaui

L. Tar-

L. Tarquinius Superbus rex

L. Tarquinius Superbus post Tullium rex Sabinos uicit, de ijs triumphauit. Cum Latinis foedus renouauit. Iustum bellum primus Volscis intulit. Suessamque Pometiam de ijs ui cepit, ac diruit, Gabios dolo Sexti filij in deditionem accepit. In agro volscorum quos deuicerat colonias deduxit Signiam & Circeios. Ardeam obsedit, in cuius obsidione, regno Bruti opera, cum filijs exactus est. Sub regibus igitur VII annorum CCXLIIII. interuallo, ita Romanum propagatum imperium est, quod primorum consulum anno non amplius quam ad XVIII. ab vrbe lapidem, ut auctor est Sex. Rufus, quum finitimae circum ciuitates praemerent, se extendit. Cuius termini ab oriente quidem Tibur Praeneste, agerque Albanus erat; a meridie Ostia & mare; ab occidente ager vaticanus Trãstiberim qui olim Veientũ fuerat Septempagi appellatus; a septemtrione uero Fidenae, Crustumeria, & Anio amnis. Nam reliquae Latij, Tusciae, & Sabinorum vrbes quas a Romanis regibus uictas animaduertimus, uel intra huius agri terminos fuerunt, uel liberae suis legibus amicitia tantum, & foederibus populo Romano coniunctae uiuebant, praeter Signiam Circeiosque Romanas colonias, quae longissime ab vrbe aberant. Atque hoc erat Romanorum quando reges pulsi sunt imperium. Nunc reliquum est ut disseram quo tempore post reges exactos libertateque parta, & quibus bellis, ducibusque vrbes primo, deinde integrae prouinciae, & populi, & postremo Italia omnis in populi Romani dictionem redacta sint

Qua ratione Italia omnis in populi Romani potestatem uenerit

Post reges exactos sub consulibus, inter quos nonnumquã & dictatores fuerunt per trecentos propemodum annos populus

pulus Romanus cum finitimis Sabinis primum, Latinis, volsceis, Herniceis, Tuscis deinde, Campanis, Gallis, Samnitibus, vmbris, Tarentineis, Lucaneis, Bruttijs, Sallentineis, Messapieis, Picentibus, & reliquis Italiae populis bella continua gessit. Quibus uictis centum posterioribus annis cum Siculis, Poenis, Sardis, Corsis, Gallis cispadanis, & transpadanis, Boijs scilicet & Coenomaneis, Insubribus, Liguribus quoque, Istris, & Iapudibus, & Salassis, gentibusque alpinis bellatum est. Qui omnes populi postea Italiae sub nomine redacti sunt. Quum Italia primo amnibus Arno & Rubicone terminaretur. Post reliquo terrarum orbi arma illata, ut singillatim exponam. Quorum bellorum tempora, & caussas nunc breuissime apperiam

Aurunci, & Fidenates domiti

Primi post reges exactos Aurunci bello domiti in dictionem populi Romani uenerunt anno vrbis CCLII. a Sp. Cassio & Opitre Virginio cos. Liuio libro II. auctore, Pometia eorum vrbe capta, & funditus excisa, debellati. Hi autem uetustissimi Latij populi erant, ut Plinius lib. III. cap. V. tradit

Fidenates Romanam coloniam a Romulo deductam saepe uictos, postremo Mam. Aemilius Mamercinus dictator III. anno vrbis CCCXXVIII. deleuit. De qua re ita scribit Liuius: Vni Fidenatium populo rebellare placuit, & tanquam nisi ab scelere bellum ordiri nefas esset, sicut legatorum antea, ita tunc nouorum colonorum caede imbutis armis, veientibus sese coniungunt. Quum ergo Fidenates iterum rebellent, seque veientibus qui in armis erant coniunxissent, Fidenae sedes belli capta est, in eos dictator exercitu abducto, castra vrbemque eorum cepit, atque diripuit, quumque exercitum uictorem opulentumque praeda triumphas Romam reduxisset, die XVI. se abdicauit

Veientes victi

Post diuturnum, uarium, & multiplex inter Romanos Veientesque bellum, Mam. Aemilius Mamercinus dictator III. anno CCCXXVIII. Veientium opes ita afflixerat, ut postero anno inducias in XX. annos petierint. Anno autem CCCXLVII. Quum (ut inquit Liuius) induciarum tempus exijsset, Veientes a senatu impetrarunt, quia ipsi discordia intestina laborarent, ne res ab se repeterentur. In sequenti ergo anno bellum veiēs motum ob superbum responsum Veientis senatus, legatis Romanis res repetentibus datum. Id patres aegre paßi, decreuere ut primo quoque tempore tribuni militum de bello Veientibus indicendo ad populum ferrent. Ac tum primum stipendio de publico militibus decreto, latum est. Ita insequenti anno qui fuit vrbis conditae CCCXLIX circumseßi primum veij sunt, atque inde per nouem annos uario euentu a tribunis militum res cum Veientibus gesta est, donec anno CCCLVIII. M. Furius Camillus dictator dictus, mag. equitum P. Scipionem cooptauit. Is Faliscis primum, ac Capenatibus fusis, & castris exutis, ad veios profectus, cuniculo in arcem hostium acto, urbem ipsam decimo eius belli anno cepit, ac maxima praeda potitus, Iunonis etiam signum, Romam delatum in Auentino extructo ibi templo, locauit; quum clarißimum de Veientibus in vrbem triumphum equis albis uecto curru, inuexisset. Atque ita vrbs veij quae CCCL. annis Romanis negocium fecerat, capta est. Liuius Plutarchus, Diodorus, Valerius, & alij plerique auctores

Latini, & Campani in deditionem accepti

Quum Praenestini Latini populi bellum Romanis intulissent, T. Quinctius Cincinnatus dictator, & A. Sempronius Atratinus magister equitum aduersus eos creati, ipsis ad Aliā fusis fugatisque, & Praeneste capta, triumphum de ijs dicta

tor nobilißimum egit. Oppidum foederatum fuit, & ei suis legibus uiuere concessum anno vrbis CCCLXXIIII

Galli Senones qui vrbem incenderant, postquam a Camillo caesi sunt, reparatis uiribus multa cum Romanis uario euentu bella gessere. Ceterũ quum Tiburtes Gallis se conuinxissent aliquoties uicti, & triumphati sunt. Postremo anno vrbis CD cum Tiburtibus a M Fabio Ambusto III. cos. ad deditionem pugnatum, Sassula ex his vrbs capta, & gens uniuersa positis armis in fidem consulis uenit, qui etiam de his, auctore Liuio, triumphauit. Tiburtes ut Praenestini suis legibus uiuere permißi, foedusq; cum his ictum. Porro autẽ quum XV anno post, adiũctis Pedanis a Romanis rebellassent, L. Furius Camillus cos. ad Pedum cum ijsdem maxime ualido exercitu, maiore mole, quamquam aeque prospero euentu pugnauit. Praesidijs inde dispositis per recepta oppida, Romam ad destinatum omnium consensu triumphum deceßit. Ita Liuius

Anno vrbis CDXI. M. Valerio Coruo III. & A. Cornelio Coßo cos. Quum Campani bello a Samnitibus urgerentur, auxilio aduersus eos a senatu petito, quum id non impetrarent, urbem atq; agros populo Romano dediderunt, ob quam caussam ea quae populi Romani facta essent defendi bello aduersus Samnites placuit. Campani post rebellionem Latinorum de qua mox dicam, diu in fide populi Romani permanserunt. Bello uero Punico secundo post acceptam cladem Cannensem, quum ad Hannibalem defecissent, quinquennio post a Q. Fuluio proconsule Capua recepta est, atque in Campanos acriter saeuitum. Seruicia deinde Romanorum fuere Campani

Anno vrbis CDXIIII. T. Manlio Torquato & P. Decio Mure cos. omne Latinũ nomẽ hac ratione domitũ est. Latini post L. Tarquinij Superbi regnum, a quo ingentibus proe-

lijs

lijs afflicti pacis conditiones, & foedera Romana petere coacti fuerant, in fide Romana usque ad annum vrbis CCLXIII *permanserunt.* (*Praesertim quum a Tarquinio Superbo arctioribus amicitiae uinculis, sanctioribusque foederibus populo Romano coniuncti fuissent.*) *Quo anno Octauio Mamilio Tusculano Tarquinij Superbi regno Romano exacti genero duce, arma Romanis intulerunt. Quibus ab A. Postumio Albo dictatore ad lacum Regillum uictis, foedus & societas antiqua a Romanis reddita est. Qui in amicitia, & fide populi Romani annos amplius* CL. *permanserunt. Verum quũ Campanis, Sidicineis, & Auruneeis adiunctis bellum Samnitibus foederatis populi Romani mouissent, atque a senatu Romam euocati, arma ponere iuberentur, feroci responso, quo alterum consulem e Latio fieri petierunt, bellum Romanum in se conuertere. Quos proelio ad veserim fluuium comisso uictos T. Manlius consul in deditionẽ accepit, atq; de Latinis, Cãpaneis, Sidicineis, Aurunceisq; triũphauit. Nam eius collega P. Decius eo proelio se pro legionibus Romanis deuouerat. Post hoc bellum Latiũ omne biennij interuallo a Q. Publilio Philone dictatore, L. Furio Camillo, & C. Maenio cos. domitum, deinceps perpetua atque egregia in Romanos fide semper fuit. In quo aliquot coloniae deductae, aliquot municipia etiam partim cum suffragij iure, partim sine suffragio facta sunt, ut infra aperiam. Paulo post bellum Latinum, & Campanum confectum, Ausones qui adhuc in armis erant Calibus eorum vrbe a M. Valerio Coruo capta domiti, in populi Romani ditionem uenerunt. Liuius*

Volsci, Opici, Hernici, & Aequi subacti

Volsci, qui bellum cum Romanis sub L. Tarquinio Superbo inchoatum per ducentos prope annos incredibili pertinatia, et continuis motibus protraxerant, de quibus supra XII

triumphi acti fuerunt, postremo anno vrbis CDXXV diuturno bello fessi, Priuerno capto, a consulibus L. Aemilio Mamercino II. & C. Plautio Deciano domiti, & subacti in ditionem populi Romani uenerunt. Liuius

Q. Publilius Philo primus proconsul anno vrbis CDXXVIII. Palaepoli capta, Opicos subegit. Hi populi loca ubi Cumae, Baiae, Puteoli, & Neapolis sunt coluerũt. Liuius

Hernicos cum quibus populus Romanus T. Sicinio, & C. Aquillio cos. bellare coepit, uariaque cum ijs fortuna pugnauit, tandem anno vrbis CDXLVIII. Q. Marcius Tremulus cos. Anagnia capta, debellauit. Liuius

Aequi quoque qui adiunctis Volscis multa bella cum populo Romano post reges exactos gesserunt, anno vrbis CDLII a C. Iunio Bubulco Bruto dictatore non solũ uicti & subacti sunt, sed eorum etiam nomen ad internicionem usque prope deletum est. Liuius

Sabini uicti

Imperio populi Romani Campaniam uersus prorogato, Sabini, & Tusci finitimi in deditionem redegendi supererant. Quum huic rei sors occasionem praebuit. Nam P. Cornelio Rufino, & M. Curio Dentato cos. anno vrbis CDLXIIII Populus Romanus post Latinos, gẽtem Sabinorum aggressus est; qui immemores factae sub T. Tatio affinitatis, populum Romanum sub regibus, deinde eis exactis saepe lacesserant, triumphatique potius quam uicti fuerant, & postremo quodam contagio belli se Latinis adiunxerant. Eos M. Curius Dentatus cos. intra eũ tractũ qua Nar ambit, fontesq; Velini Hadriatico tenus mari igne ferroque uastauit. Qua uictoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset ne ipse posset existimare qui uicerat. Et Orosius: Cum Sabinis Curio Cons. bellum gestum est, ubi quot

quot millia hominum interfecta, quot capta sint, ipse consul ostendit, qui quum in senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini, & multitudinem capti populi referre uellet, numerum explicare non potuit. Et Frontinus libro I. M'. Curius aduersus Sabinos, qui ingenti exercitu conscripto relictis finibus suis nostros occupauerant, occultis itineribus manum misit, quae desolatos agros eorum, uicosque per diuersa incendit. Sabini ad arcendam domesticam uastitatem recesserunt, Curio contigit, & uacuo infestare hostium fines, & exercitum sine proelio auertere, sparsumque caedere. Ex quibus uerbis intelligimus Sabinos hoc anno omnino debellatos fuisse. Quod innuere uidetur Paterculus, qui hoc anno Sabinis ciuitatem datam sine suffragio scribit. Quare hoc anno in magistatu M'. Curium ter triumphasse omnes auctores sunt, de Samnitibus, Sabinis, et de Lucanis: ijs aliquot annis post ciuitatem cum suffragio datam scribit Velleius

Galli Senones, & Picenum in deditionem accepti

Multas Gallorum manus ut Insubres, Caenomanos, Boios, Gessatas, & nouissime Senonas, dulcedine frugum, maximeq; uini noua tum uoluptate captos, alpes transiisse, agrosq; ab Etruscis ante cultos possidisse, & eam Italiae partem tenuisse, quae postea Gallia Cisalpina appellata est, accurate a Liuio libro primo refertur. Ex quibus Insubres & Caenomani Transpadum; Boij, Gessatae, & Senones Cispadum loca obtinuerunt. In his Senones aduenarũ recentissimi eam partẽ Italiae Tuscis & vmbris antiquis incolis eripuerunt, quae inter amnes Rubiconem, & Aesim sita est, quorum praecipua ciuitas Sena fuit. Hi & vrbem Romam captam incenderunt, & multa post id tempus adiunctis Tuscis, vmbris, Latinis, & Samnitibus bella uario Marte, & periculosa gesserunt. De

his uictis post Camillum dictatorem T. Quinctius, C. Sulpicius, C. Poetelius, M. Popillius, Q. Fabius consules, & plerique alij Romanorum duces triumpharunt. Postremo anno vrbis CDLXXI. omnes eorum reliquias in Etruria ad lacum Vadimonis P. Cornelius Dolabella deleuit (quem ob eam potißimum caussam Maximi cognomen inuenisse opinor) ne quis extaret in ea gente, qui incensam a se Romam vrbem gloriaretur. Ita ut hodie nulla Senonum uestigia supersint. Haec Florus. Senonibus caesis eorum prouincia in ditionem Romanam uenit, quae mari, Tuscia & vmbria, amnibusque Rubicone & Aesi includebatur. Quo tempore etiam Italia quae Aesim fluuium non excedebat ad Rubiconem usque extensa est, Senonumque regio ut inquit Strabo, Vmbris attributa

Tusci debellati

Post Senones Tusci, cum quibus iam inde a Romuli tempore populus Romanus bellum gerere ceperat, perpetuoque temporum tractu gesserat, anno vrbis CDLXXIIII. Vulsiniensibus & Vulcientibus Etruscorum florentißimis populis uictis, per Ti. Coruncanium consulem Romano imperio adiecti sunt, atque ea parte imperiũ ad Arnum usque propagatum. Neque enim post id tempus cum Tuscis iustum bellum ullum gestum fuisse memoratur. Nam Vulsinij a seruis oppreßi. XV. anno post a M. Fuluio Flacco cos. in libertatem uendicati sunt. Iustum enim id bellum dici non potest, quod cum seruis, & non pro acquirendo, sed recuperando imperio gestum est

Samnites, Tarentini, Bruttij, & Lucani subacti

Cũ Samnitibus Campanorũ caussa populus Romanus primo bellũ suscepit, quod triumphorũ amplius XXX. materies annis

annis LXX. perdurauit. Sānitico bello uigēte, ijs contra Romanos Tarentini se coniunxerunt. Vnde bellū Tarentinū dictū. Quod unum quidem titulo & nomine, sed uictoria multiplex fuit. Hoc enim Lucanos, Apulos, Bruttios, Picentes, Sallentinos, & caput belli Tarentinos, idem totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhū clarißimum Graeciae regem una ueluti ruina pariter inuoluit, ut uno tempore & Italiam consumaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Hoc bellum paucis uerbis refert Florus in epitoma libri XII. Quum a Tarētinis claßis Romana direpta esset, II. viro qui praeerat claßi occiso, legati ad eos a senatu, ut de ijs iniurijs quererentur mißi, pulsati sunt; ob id bellum ijs indictum est. Samnites defecerunt. Aduersus eos & Lucanos, & Bruttios aliquot proelijs a C. Fabricio, Q. Marcio, Ti. Coruncanio, & L. Aemilio, C. Iunio, Q. Gurgite, M'. Curio, L. Cornelio, & C. Canina bene pugnatum est. Pyrrhus Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis in Italiam uenit. Curius Dentatus cos. Pyrrhum uicit, et Italia expulit. Postremo Tarentinis, Lucanis, Samnitibus, Bruttijsque a L. Papirio Cursore II. & Sp. Caruilio Maximo II. cos. uictis, pax data est. Quo anno bellum Samniticum et Tarentinum confectum est. Scribit enim Liuius libro XXIIII. Papirium & Caruilium consules aduersus Samnites, Bruttiosque, & Lucanum cum Tarentino populum declaratos esse. De Tarento a Papirio Cursore capto mentionem facit Frontinus libro III. Papirium & Caruilium consulem de ijs populis triumphasse fragmenta triumphalia Capitolina docent. Hac uictoria omnis fere Italia in populi Romani potestatem redacta est, uictis praesertim Tarentinis, Samnitibus, Bruttijs, Lucanis, & paulo ante quoque Etruscis, & Senonibus. Soli tantum Picentes, Sallentini, & vmbri subigendi supererarant. De triumpho

M. Curij de Pyrrho bello Tarentino acto sic scribit Florus: Nec enim ullus pulchrior in vrbem, aut speciosior triumphus intrauit, quum ante hunc diem, nihil nisi pecora volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma uidisset. Tum si captiuos aspiceres Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus. Si pompas aurum, signa, tabulae, Tarentinaeque deliciae, sed nihil libẽtius populus Romanus aspexit, quam illas belluas, quas timuerat cum turribus suis, quae non sine sensu captiuitatis submissis ceruicibus, uictores equos sequebantur

Picentes, Sallentini, & vmbri domiti

Omnis Italia pacem habebat, quis enim domitis Terentinis quid molire ausus esset? nisi quod ultro persequi socios hostium placuit. Domiti deinde Picentes qui cum reliquis Italicis rebellauerant, & caput gentis Asculum a consulibus P. Sempronio, & Ap. Claudio

Sallentini Picentibus additi caputque regionis Brundusiũ inclyto portu celebre a M. Atilio & L. Iulio cos. uexatum. Quos anno sequenti D. Iunius, & N. Fabius in potestatem redegerunt

Soli omnium Italicorum vmbri relicti fuerunt, ad quos arma Romana non pertinuerant, qui quum rebellassent ab ijsdẽ consulibus a quibus Sallentini Sassina capta, domiti sunt. Atque demum anno vrbis CDXXCVIII. Italia omnis a freto Siculo ad Rubiconem, & Arnum, Tuscosque extremos Liguribus confines in populi Romani ditionem deuenit. Quae omnis fere foederata sine magistratu Romano suis legibus libere uiuere permissa est. Quae quamquam omnis foederata esset, uarijs tamen conditionibus foedera adepti sunt. Quidam enim municipia cum suffragij iure facti, quibusdam ciuitas sine suffragio data, Latinis ius quodam quod ciuitati proximum

proximum fuit permissum, in aliquibus coloniae Latinae, uel ciuium Romanorum deductae, quidam stipendarij, quidam uectigales, quidam omnino liberi relicti fuerunt. Quae omnia accuratius paulo infra aperiam

Ceterum quum a Rubicone amne Polam Istriae usque, item a flumine Arno ad Varum amnem Italia postea per alpium radices prolata fuerit, quae ante prouinciae Ligures, Gallia, Veneti, Carni, Iapudes, & Istri fuerant, & omnes quae in ea, quae postea Italia appellata fuit, colonias, municipia, & praefecturas enumerare constituerim, conueniens esse existimaui ante singillatim demonstrare, qua nam ratione in potestatem populi Romani hae gentes uenerint, atque in prouinciarum formam redactae, postea Italiae attributi fuerint, deinde eas, quae in singulis coloniae fuerunt, digerere

Quo tempore Gallia Cisalpina prouincia facta fuerit

Bellum igitur Gallicum Cisalpinum initum est anno urbis DXXIX. C. Atilio, & L. Aemilio cos. Hoc lex C. Flaminij tribuni plebis excitauit, quam ille uel octauo, ut ait Polybius ante anno M. Lepido, & M. Poblicio cos. uel quinto, ut Cicero Q. Fabio Maximo II. & Sp. Caruilio cos. de agro Piceno, & Gallico, unde pulsi Senones a Dolabella fuerant, ueritim diuidendo, tulit. Nam quum reliqui Galli, ac maxime finitimi Boij Senonum casu perculsi rebus suis timerent, inita cum Insubribus societate, Gallos eos, qui trans Alpes ad Rhodanum accolunt, atque a mercede qua ducti militant Gessatae dicuntur, aduocarunt. Itaque quum reges eorum Congolitanus, & Aneroestus magnis inducti pecunijs cum ingentibus copijs, alpes in Italiam traiecissent, ac se cum Boijs & Insubribus coniunxissent (Veneti enim ac Caenomani a Romanis per legatos solicitati quieuerant) peditum ad quinquaginta

ginta millia, equitum ad uiginti adducentes in Etruriam inruperunt, octauo, ut scribit Polybius post agri Piceni diuisionẽ anno, L. Aimilio, C. Atilio cos. in quem etiam annum bellum Gallicum Cisalpinum a M. Verrio Flacco in tabulis Capitolinis collatum est. Romani autem Gallorum tumultu nuntiato maximas, si quando unquam alias copias compararunt. Tota etiam tum Italia enixe pro imperio Romano laborauit. Summa peditum Romanorum, ac sociorum fuit supra quingenta millia, equitum supra sexaginta, auctore Polybio. Itaque Plinius libro tertio L. Aemilio Paullo & C. Atilio Regulo cos. inquit: Italia nuntiato Gallico tumultu sola sine externis ullis auxilijs, atque etiam tunc sine Transpadanis equitum LXXX. millia, peditum DCC. armauit. Caenomanos autem & Venetos transpadanos intelligit, qui ex Gallis soli pro Romanis stabant. Quum harum igitur copiarum parte, L. Aimilius consul Ariminum, ut Gallorum transitum impediret cõtendit, alteram praetor in Etruriam, quod C. Atilius cos. alter iam in Sardiniam nauigaret, adduxit. Iam Clusium Galli peruenerant, praetor ad Fesulas collatis signis fugatus in collem editum se receperat, cuius quum obsidionem Galli pararent, Aemilius consul Apennino superato improuiso aduenit, is igitur Gallos cum praeda abeuntes ab una parte, ab altera Atilius iam ex Sardinia reuocatus adorti, ita pugnarunt, ut Gallorum quadraginta millia caeciderint, decem millia ceperint, Atilius in proelio, & rex Congolitanus occisus est. Aneroestus semetipsum in fuga occidit. Aemilius uastato Boiorũ agro Romam triumphans redijt, ac Capitolium armis, & torquibus Gallorum exornauit. ita Polybius, Florus, & Eutropius. Anno sequenti ex re bene gesta Romani in spem adducti Gallos Italia expellendi non quieuerunt. Q. enim Fuluium & T. Manlium consules in Galliam cum legionibus miserũt, qui prouin-

prouinciam ingreßi Boiorum gente deuicta, quum ad reliquos Gallos bellum transferrent imbrium ui, ac pestilentiae magnitudine deteriti sunt. Ita Polybius. Hos primum transpadum legiones Romanas duxisse tradit Orosius. Altero anno C. Flaminius & P. Furius consules Insubres transpadum insigni uictoria deuicerunt. Quarto eius belli anno Insubres accisis opibus suis pacem petentes M. Claudius Marcellus, & Cn. Cornelius consules eductis repente aduersus eos copijs, ad arma capienda inuitos compulerunt. Marcellus Gallorum Gessatarum exercitum rege illorum Virdumaro interfecto fudit, fugauit, & cepit, Acerras Gallorum oppidum occupauit. Ambo consules Mediolanum, quod Insubrum caput erat Gallis supremo proelio uictis, expugnarunt, quo facto Insubres desperatis rebus suis, se Romanis dediderunt, atque ita bellum confectum est. Marcellus in urbem reuersus de Gallis Insubribus triumphauit, spolia opima regis interfecti tertius rettulit. Ita Polybius, Plutarchus, & Eutropius. Hoc bello confecto Cisalpinam Galliam prouinciam primum factam fuisse a Marcello ex eo liquet, quod coloniae plures annis proximis eo deductae sint, et Romanis consulibus Gallia deinceps prouincia in annum decerni solita. Hoc ipso tempore Veneti, & Caenomani a legatis per Romanos solicitati quieuerunt, eisque socijs, & foederatis Galli oppreßi sunt. Bello Punico secundo confecto cum Insubribus, Comensibus, & Boijs rebellantes Coenomanos, aliquot duces Romani magnis cladibus affectos eos tandem in deditionem acceperunt, Galliamque omnem cisalpinam quietam habuerunt. Insubres Caenomanos, & Comenses Gallos transpadanos cum cispadanis saepe rebellantes L. Furius Purpureo praetor, & C. Cornelius Cethegus cos. uicerunt, & postremo M. Marcellus cos. eius qui primo Galliam prouinciam fecerat filius Castellis duodetriginta, in deditionem

deditionem acceptis, eos debellauit anno vrbis DLVIII. Boios, hi Galli cispadani sunt, qui saepißime cum transpadanis iam uictis rebellauerant, ijdem duces ceciderunt, eosque demum magnis cladibus afflictos P. Cornelius Scipio Nasica cos. domuit, anno DLXIII. deque ijs in magistratu triumphauit. Veneti diu in fide populi Romani permanserunt. Cum Carnis, Iapudibus, & Istris C. Claudius Pulcher consul anno vrbis DLXXVII. bellum primo suscepit, quod Aetolis contra Romanos subsidia tulerant, cum ijs uario Marte pugnantum, eos postremo domuit & in populi Romani ditionem C. Sempronius Tuditanus cos. ut auctor est Plinius redegit, anno DCXXV. De ijsque triumphauit

Quo tempore Ligures domiti fuerint

Bello Punico primo uix finito, statim Ligures, Galli, & Illyrij ad exercendam Romanam uirtutem noui hostes surrexere. L. Cornelio, & Q. Fuluio, anno urbis DXVII. Liguribus primum arma illata sunt: quod bellum intra Italiam latrocinia Ligurum excitarũt. De quibus sic scribit Florus: Ligures imis alpium iugis adhaerentes inter Varum & Macram flumen implicitos dumis siluestribus, maior aliquando labor erat inuenire, quam uincere. Tutum locis & fuga durum, atque uelox genus, ex occasione magis latrocinia quam bella faciebat, itaque quum diu multumque eliderent, saltu, uijs latebris Salyes, Deceates, Oxybij transalpini, citra uero Vagienni, Statyelli, Casmonates, Eburiates, Veleates, Iagauni, tandem Fuluius latebras eorum igni sepsit. Significat autem Florus uictoriam, quam Q. Fuluius Flaccus ex his rettulit. Victi autem hoc primum anno a consulibus sunt, eorumque XXIIII. millia interfecta, V. millia capta, & de ijs triumphatum. Eos deinde saepißime rebellantes plures Romani duces magnis cladibus per XXC. annos, ut Strabo, uel ut ego

obseruaui per CXXII. affecerunt, triumphi de ijs & finitimis populis Vocontijs, Contrubeis, & Gatiscis supra XVIII acti. Quos demum M. Aemilius Scaurus cos. anno DCXXXIX in deditionem accepit, latrocinia eorum coercuit, effecitque postremo ut publice permeantibus uia ad stadiorum XII. latitudinem laxaretur. Ac ut Strabo scribit, uniuersis fractis terrore incusso gubernandi formulas ijs Scaurus imposuit. Hic est ille Scaurus qui consul, censor, & princeps senatus fuit, atque de Liguribus & Gatisceis postremus omnium triumphauit, quique per Pisas & Lunam usque Sabatios, domitis Liguribus, uiam strauit Aemiliam, & hinc per Derthonam. Salassos et gentes alpinas Ap. Claudius pulcher cos. anno DCXI. bello uicit. Augustus postea Caesar ipsos nō quiescentes deleuit.

Italia ad Alpes producta, & in XI regiones diuisa.

Atque hac ratione uniuersa quae nunc appellatur Italia sexcentorum annorum interuallo Romanum iugum suscepit. Quae quum ante a supero mari Aesi ab infero uero Macra fluminibus terminaretur, uictis & deletis Gallis Senonibus, usque ad Rubiconem processit. Is enim posterior terminus Italiae fuit. Postremo triumuiri R. P. C. ne proconsul ullus cum exercitu intra alpes esset Galliam omnem Cisalpinam Italiae adiunxerunt, eamque usque ad alpium radices protulere. Eiusque termini a mari supero Istri, oppidum Pola, fluuiusq; Arsia, ab infero, omnis Varus, qui a Liguribus Galliam Narbonensem diuidit, facti. In mediterraneis uero alpium radices eius fines esse uoluerunt. Quam Caesar Augustus rerum potitus, quum Romani imperij nouam formam constitueret, in undecim regiones, ut libro tertio tradit Plinius distribuit. Quarum prima Latium uetus, nouumque, & Campania fuit. II. Picen-

Picentes III. Lucani, Bruttij, Sallentini, Apuli. IIII. Frentani, Marrucini, Peligni, Marsi, Vestini, Samnites, & Sabini V. Picenum VI. Vmbri VII. Etruria. VIII. Gallia cispadana. IX. Ligures. X. Venetia, Carni, Iapudes, Istriaque. XI. Gallia transpadana. In quibus regionibus quot coloniae, municipia, & praefecturae fuerint explicaturus, ut apertius singularum iura, leges, & discrimina cognoscantur, ex antiquitatis obseruatione pauca ante subijcere placet de ciuitatis Romanae, Latij, & Italiae iure

De iure ciuitatis Romanae.

Præstantissimum Romuli institutum, omnes ut principio uidimus auctores fuisse referunt, quod uictas gentes, non ut Athenienses olim & Lacedemones pro alienigenis arcuisset, sed eas in populi Romani amicitiam, & ciuitatem ipsam etiã adsciuerit uel Colonias Romanas deduxerit. Quod a sequẽtibus regibus, & consulibus studiosissime obseruatum, tanti imperij praecipua caussa fuit. Porro autem quemadmodum externae gentes uel uictae, uel sponte in Romani populi amicitiam, aut foedera, & ditionem admissae, uarij generis, ac conditionis pro earundem erga remp. meritis uel demeritis erant, ut aliae omnino liberae, aliae foederatae, aliae stipẽdiariae, aliae fundi populi, aliae Latinae, aliae ciuitatẽ Romanam adeptæ fuisse reperiuntur, ita uarij generis fuisse ciues Romanos obseruaui, ita ut alij essent ciues Romani pleno iure, idest cum iure suffragij, alij sine suffragio, alij municipes, alij coloni, alij ex praefecturis, alij uero sine ciuitatis iure nonnulla habuerint ciuitatis Romanae priuilegia.

De quibus omnibus uerba facturus a primo ciuis Romani perfecto iure exordium sumam. Nam qui ex nullo municipio, ex nulla colonia, praefecturaue, uel ex alia foederata ciuitate erant, sed uel in urbe, agroue urbis suburbano nati, uel ex ser-

uis Romanorum libertate, aut ex alijs gentibus externis speciali priuilegio in urbem uocati, & ciuitate donati essent, primum genus ciuis Romani constituebant. Ex his fuerunt, primi urbis cultores, eorum filij, & nepotes, post eos Sabini, qui sub T. Tatio, Tusci & Latini, qui sub Romulo, Albani & reliqui Latini, qui sub ceteris regibus, gens Claudia, & plerique alij populi, qui quum sub consulibus Romam commigrassent, & postremo omnium eorum serui, qui quum manumißi esset, ciuitatem Romanam cum suffragij iure adepti sunt. Hic autem ciuis Romanus, qui perfecto iure ciuis Romanus dicebatur, erat homo liber, serui enim ciues esse non poterant, qui comitijs curiatis in curia, centuriatis in centuria, & tributis in una XXXV. tribuum suffragium ferre posset. Inter multa enim horum ciuium Romanorum priuilegia illud supremum erat, ut essent in tribu, & centuria a censoribus relati, in qua & suffragium ferrent, & ijsdem suffragijs ad magistratus publicasque ceteras administrationes ac dignitates peruenirent, quod in Verrinas docet Asconius. Ceterum quum ius ciuitatis non una quadam in re consisteret, sed multis ac diuersis uelut praerogatiuis constaret, non omnibus omnia iura concedebantur, unde efficiebantur uariae conditionis ciues Romani. Ex his qui suffragij ius habebant, omnia etiam cetera priuilegia quae haec erant habebant. Ac primum quidem ciuibus Romanis post suffragij lationem, ius erat per leges Porciam & Semproniam, ut nec uirgis caedi nec uinculis coerceri, nec omnino capite plecti, nisi populi ipsius iudicio possent. Idcirco Cicero in Verrem: qui P. Gauium municipem Consanum uirgis caederat, exclamat, quum ait: Caedebatur uirgis in medio foro Messanae ciuis Romanus, o lex Porcia, lesesque Semproniae & cet. De ijs enim qui ciues non essent nil horum

rum cautum erat, poterantque a magistratibus non solum peregrini sed Latini etiam ipsi, quorum priuilegia maxime ad ciuitatem Romanam accedebant, non consulto populo seruili supplicio affici. Nam Salustius in Iugurthino, quemdam T. Turpilium Silanum commemorat, qui quum socium praefectus esset, tribunosque, & centuriones sub se haberet, condemnatus tamen, uerberatusq; capite poenas soluit. Nā is (inquit) ciuis ex Latio erat. Ceterum hoc priuilegium ciuibus omnibus Romanis tam his qui cum suffragio ciuitatem habebant, quam his qui sine eo erant commune fuisse ex eo mihi persuadeo, quod & municipes sine suffragio in legione ut tradit Festus, merebant; qui autem in legione militabant uirgis caedi non poterant. Tertium ciuium Romanorum priuilegium erat, quod solis ciuibus Romanis in legione Romana militare ius erat. Ideoq; soli ciues ad aerarium in beneficijs deferri ab Imperatoribus, & beneficiarij milites fieri poterant. Nam hoc fuisse proprium ciuium Romanorum eodem illo loco Cicero pro Archia ostēdit. Horū beneficiorū meminit ēt in epist. xx. lib. vi. epist. fam. Liberos porro in potestate habere propriū erat ius ciuis Romani, ut ait Iustinianus. 1. Inst. tt. de patria potestate. Erat postremo ius adoptionum, gentilitatis, & togae ferendae, quod proprium ciuium Romanorum erat. Atque haec omnia priuilegia non nisi ciuibus Romanis communia erant tam ijs qui urbem incolerēt, quam municipibus, & colonijs ciuium Romanorum. Municipia uero quibus sine suffragio data ciuitas fuisset illo uno suffragij iure priuabantur in reliquis conueniebant. Sextum autem ius quod omnibus Romanis ciuibus commune fuit, erat ut soli testamento ciuis Romani hereditatem capere possent, neq; enim ullus peregrinus poterat hereditatem ciuis Romani adire; & testamenta fiebant Romanis ciuibus praesentibus.

bus. Quod Cicero ostendit pro Archia poeta, ubi probat Archiam se pro ciue gesßisse hoc argumento, quod saepe adijsset hereditates ciuium Romanorum. Et pro Caecina: Aebutius Caecinae aduersarius, negat posse heredem Cesenniae esse Caecinam Volaterranum, quod ciuitas Volaterranis adempta esset a L. Sylla dictatore, ideoque ciuis Romanus non esset Caecina. Quum pro argumento accipiat Archiam se pro ciue gesßisse quia saepe testamenta legibus Romanis fecisset. Huius iuris partem Romani ciues cum Latinis cõmunicabant. Nam quamquam Latini omnino heredes esse non possent, legati tamen institui ex hereditate poterant, ut paulo post ostendam. Ius etiam alienandi per nexum propriũ fuisse ciuium Romanorum ex eo intelligi potest, quod omnes inter quos iuris huius solemnitas transigebatur ciues esse oportebat, ut ait Boetius in commentarijs Topicorum. Hoc priuilegium etiã Latinis cum ciuibus Romanis commune erat. Vtranque rem Cicero pro Caecina refert. Nam quum Aebutius Caecinae aduersarius negaret Caecinã Volaterranum ciuitate ijs adempta a L. Sulla, ciuem Romanum esse, & propterea hereditatem Cesenniae capere non potuisse, ei ita respondet Cicero. Sulla ipse ita tulit de ciuitate, ut non sustulerit horum nexa, atq; hereditates. Iubet enim eodem iure esse quo fuerint Ariminenses, quos quis ignorat XII. coloniarum fuisse, atq; (non a populo Romano ut in uulgatis codicibus, sed a C. R. ut in antiquis manuscriptis, idest) a ciuibus Romanis hereditates capere potuisse. Quum autem ex XXX. colonijs quaedam Latinae, quadam ciuium Romanorum uocentur, Liuius lib. XXIX. XII. colonias inobedientes Latinas appellat. Ex quibus uerbis illud intelligi potest. Latinos aliqua ratione ciuium Romanorum heredes esse potuisse, & comercia cum ciuibus Romanis per nexum habuisse. Quod idem re-

ferre uidetur Vlpianus titulo XIX. *Instit. quũ ait : Mancipatio locum habet inter ciues Romanos, et Latinos colonianos, Latinosq; Iunianos eosq; peregrinos, quibus cõmercium datum est. Commerciũ est emendi uendendiq; inuicem ius Sub hoc priuilegio cõtinentur omnia cõmerciorũ genera, ut nexa, stipulationes, mancipationes, sacramenti contentiones, in iure cessiones & alia, quibus perfecto iure possessio rei acquirebatur, uel quibus iure ciuium Romanorum dominus fiebat. Ius igitur cõmercij quod olim inter ciues Romanos tantum erat Latinis quoq; communicatum erat. Vnde Liuius lib.*VIII.*Ceteris Latinis populis connubia cõmerciaque & consilia inter se adempta. Erat postremo ius connubiorum olim ciuibus Romanis proprium, quia tantum ciues cum ciuibus matrimonium contrahere poterant, ita ut si pater aut mater peregrini essent non legitimae erant nuptiae. Lex enim erat ut nuptiæ tantum essent inter ciues Romanos, inter quos solos connubij ius erat. Filij ex eo matrimonio nati soli iusti sunt, & in potestate parentum, & hi succedunt parentibus. Hoc ius Latinis, & Campanis communicatum olim fuisse refert Liuius. Atque hæc erant omnia ciuibus Romanis qui urbem, agrumue colebant priuilegia, quorũ quaedam ijs tantũ erant propria, quaedam cum municipijs et Latinis communia, ut abunde demonstraui.*

De iure municipum cum suffragio

Parum uel nihil ab ijs ciuibus Romanis qui vrbem agrumue incolerent differebat ciuium Romanorum alterum genus, qui in municipijs, quibus cum suffragij latione ciuitas data erat commorabantur. Hi enim omnibus ciuium Romanorum priuilegijs potiebantur, uno ut existimo excepto, quod in curias Romanas descripti non erant, atque ob eam caussam Curiatis comitijs, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur.

debantur. Curiae enim tantum eorum qui urbem incolerent erant. Nam qui in municipijs uel colonijs ciues Romani habitabant, sua quaedam in suis urbibus sacra habebant, quae municipalia dicebantur, erantq; ijs perinde ac Romanis curiae. Quod uel inde apparet, quod Milo legitur ad prodendum flaminem Lanuuiũ profectus fuisse, pridie quã Clodium occidit, nec erat necesse sua sacra eos relinquere, qui ciuitate donabantur, nisi in urbem migrarent. Nam quos sub regibus migrasse Romam reperimus ut Sabinos, Tuscos, Latinos, & Albanos eos simul per curias Romanas descriptos fuisse ex Dionysio aperte intelligitur. Qui uero ad urbem non migrabant, suis sacris uacare opus erat, quæ (ut dixi) municipalia uocantur. De quibus sic scribit Festus: Municipalia sacra uocantur, quae ab initio habuerunt ante ciuitatem Romanam acceptam, quae obseruare eos uoluerunt pontifices, & eo more facere quod fecissent antiquitus. Ceterum quũ ciuium Romanorum qui extra urbem habitarent duo genera fuerint idest, municipes, & coloni, quid utrunque fuerit ex Gellio demonstrare non alienum ab hoc instituto erit. Is.n. libro XVI. cap. XIII. sic ait. Municipes sunt ciues Romani ex municipijs suo iure, & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarij participes, a quo munere capessendo appellati uidentur, nullis alijs necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, quũ nunquam populus eorum fundus factus esset. Sed coloniarum alia necessitudo est. Non.n. ueniunt extrinsecus in ciuitatem, nec suis radicibus nituntur, ut municipia, sed ex ciuitate quasi propagatae sunt, & iura institutaq; omnia populi Romani nõ sui arbitrij habent. Haec Gellius. Ita ut municipia cum ciuitatis quidem Romanae priuilegijs & iure, suas leges, suos magistratus, & sua tam publica quam priuata instituta retinerent,

nerent, ut cuique municipio antiquitus mos erat. Coloniae uero alia ratione, ut post ostendam remp. gerebant

De municipiis sine suffragio

Municipiorum autem duo erant genera, quaedã quae omnia ciuitatis priuilegia habebant, praeter suffragij lationem, quaedam quae ciuitatem ipsam cum suffragio obtinuerant. Primi omnium qui municipes facti sunt, sine suffragij latione fuerunt. Hi fuerunt Caerites. Hoc illis (inquit Gellius) concessum ut ciuitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negotijs tamen atq; oneribus uacarent, pro sacris bello Gallico receptis, custoditisq;. Hinc tabulae Caerites appellatae uersa uice, in quas censores referri iubebant quos notae caussa suffragio priuabant. Idem tradit Asconius. De his municipijs loquens Sex. Pompeius ita scribit. Municipes erant, qui quum ex alijs ciuitatibus Romam uenissent (hoc est ut ego interpretor ciuitate donati essent) eis non licebat magistratũ capere, sed tantum muneris partem. At Seruius aiebat initio fuisse qui ea conditione ciues Romani fuissent, ut semper remp. separatim a populo Romano haberent, qui aeque ciues Romani erant, & in legione merebant, sed dignitates nõ capiebant. Municipium id genus hominum dicitur, qui quũ Romam uenissent, neq; ciues Romani essent, participes tamẽ fuerunt omnium rerum ad munus fungendum, una cum Romanis ciuibus praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo. Quae autem eiusmodi municipia fuerint paulo post exponam. Hi omnia ciuitatis priuilegia praeter suffragij lationem, & magistratus capessendi potestatem habebãt. Municipes uero cum suffragij iure, omnia priuilegia ciuium Romanorum urbem incolentium habebant praeter curias, in quas quemadmodum qui Romae habitabant, distributi non erant, ac per hoc curiatis comitijs exclusi. De municipibus

cipibus sic scribit Vlpianus *libro* I. I. *Municipes aut natiuitas facit, aut manumißio, aut adoptio, & proprie quidem municipes appellantur muneris participes recepti in ciuitatẽ ut munera nobiscum facerent. Ceterum omnium municipiorum cum iure suffragij primum fuit* Tasculum. *Quae reliqua fuerint post aperiam*

De iure coloniarum

Quae autem coloniae fuerint ex Gellio *uidimus, quarum ut idem inquit conditio, quum magis quam municipiorum obnoxia, & minus libera esset, potior tamen & praestabilior existimabatur, propter amplitudinem maiestatemq; populi* Romani, *cuius coloniae quasi effigies paruae erant, & simul quia obscura oblitterataq; erant municipiorum iura, quibus uti per ignorantiam nequibant. Deducendarum uero coloniarum mos a* Romulo *institutus frequentißimus apud* Romanos *fuit. Nam hostibus lacescentibus uictis, agrique & regionis parte mulctatis, in agris de eis captis, quo imperium* Romanum *stabilirent, uel nouas* vrbes *condebãt, uel in antiquitus conditas, ueteribus incolis ex ijs pulsis, nouos ex vrbe ciues per* III. *viros ad id creatos eò deducebant, quot quot agro capto colendo sufficere possent, quem nouis colonis diuidebant. Hi statim in coloniam deducti nouã administrandae reip. rationẽ* Romanae *more cõstituebant. Nã ut* Romae *erat populus & senatus, sic hi nouos colonos in decuriones & plebem diuidebant; decuriones senatus, plebs populi* Romani *imaginem referebant, ex decurionibus singulis annis duo uel quattuor uiri creabantur iuxta coloniae magnitudinem uel paruitatem, qui* II. *viri uel.* IIII. I. D. *idest iuridicundo uocabantur. Hi consulum* Romanorũ *speciem repraesentabant. Creabantur insuper* Aedilis, *qui uiarum, aedificiorumpublicorum, annonae, & locandorum redditùum publicorum,*

item quaestor qui aerarij publici curam habebat, atq; hi erant praecipui coloniae magistratus: in ceteris omnibus more, legibus, & institutis Romanis uiuebant. Quarum coloniarũ duo genera erant ut tradit Asconius, quaedam ciuium Romanorum, & quaedam Latinae. Coloniae ciuium Romanorũ praeter sacra omnia iura habebant quae ciues Romani obtinebãt, quemadmodum & municipes cum suffragij iure. Coloniae uero Latinae erant quae ius Latij haberent. Quid autem ius Latij fuerit nunc exponam.

De iure Latij

Populus Romanus socijs nominis Latini, quod a Tiberis ostijs Circeios usq; se extendebat, antiquae cognationis iure multa tribuit priuilegia, quibus Latij continebatur, quorum antiquissimum fuit ut eo iure quod Latini a populo Romano habuissent, coloniae omnes uterentur, quae idcirco Latinae dictae sunt, quum colonias ciuium Romanorum deducere adhuc mos non esset, ad quarum postea discrimẽ quae deduci coeptae sunt, reliquae tam antiquae quam recentiores coloniae, quae ciuium Romanorum nõ essent, Latinae dictae sunt, Latij.n.ius proxime ad ciuitatem Romanam accedebat. Quod ut dixi multiplex fuit. Primo enim solis Latinis post ciues Romanos in comitijs, ferendis suffragijs si ab uno magistratuum inuitati essẽt, nec ab alio prohibiti potestas erat. Qui quũ in nulla tribu essent, sortitione opus erat, ut appareret in qua tribu suffragium ferrent. Hoc illis concessum fuisse in foedere, quod cum ijs ictum fuisse Cicero pro Balbo scribit Sp. Cassio et Postumo Cominio cos. anno vrbis CCLXI. liquet. De quo foedere Dionysius libro. VIII. ita loquentem Sp. Cassium introducit: Latinos Romanorum consanguineos, urbis tamen Romae dominationem & gloriam iniquo semper animo ferẽtes in amicitiam adduxi, concessa eis ciuitatis administrandae

parte, ut iam non aduersam sibi Romam *uocent sed patriam.* Et *paulo post* Sp. *Cassius quam plurimos potuit* Latinorũ & Hernicorum *euocauit ad suffragium ferendum, qui frequentes conuenerunt ut propemodum plena peregrinis esset ciuitas, quo a* virginio *animaduerso, iußit per compita proclamari, ut omnes peregrini* Roma *exirent, dato ad id perexiguo tempore.* Tum Caßius *contra edicto iußit eos omnes in* vrbe *manere, quibus concessa erat ciuitatis administrandae pars, id est suffragij ferendi ius, donec lex perlata esset.* Ex *quibus* Dionysii *uerbis intelligi potest, foedere concessam* Latinis *communem & parem cum* Romanis *reip. gerendae curam.* Ex Dionysii, *& his* Liuij *libro.* XXV.*verbis:* Testulis *datis tribuni populum summouerunt: sitellaque allata est, ut sortirentur ubi* Latini *suffragium ferrent: primum colligo.* Latinos *cum* Romanis *ferendi suffragij potestatem habuisse.* Neque *.n. sortiendum esset, ubi* Latini *suffragium ferrent si omnino suffragio exclusi fuissent.* Deinde *id illis beneficio tantum, permissu & liberalitate eorum magistratuum qui haberent comitia, licuisse.* Quod *ex* C. Gracchi *historia confirmatur.* In *qua legimus socios* Latinos, *vrbe exire iußos, ne tum* Romae *essent, quando legibus* Gracchi *ferendis tribus in suffragium uocarentur.* Quo *pertinet illud* Ciceronis *pro* Sextio: Nihil *acerbius socij* Latini *ferre soliti sunt, quam id quod perraro accidit, ex urbe exire a consulibus iuberi.* Neque *enim edicto consules tollere poterant, quod legibus contra cautum esset.* Itaque *si per leges* Latini *ius habuissent suffragij, nec consules suis edictis illos suffragio priuare potuissent, nec* Latinos *legum praesidio munitos suo iure cedere passus esset* C. Gracchus, *ut contra quã legibus licitum esset suffragio priuarentur socij, quos ipse euocasset.* Si *ergo id contra leges factum non est, a* C. Fannio *cõsule*

sule ut edicto iuberet Latinos vrbe exire, ne legibus Gracchi ferendis adessent, necessario efficitur Latinos in comitijs non habuisse ius suffragij, qui tamen Romanorum magistratuum benignitate admitti solebant, id tribuētium societati antiquae, & consanguinitati Latinorum, qui tum forte Romae essent, quum haberentur comitia. Eos autem omnibus comitiorum generibus admitti solere, quum beneficij hoc esset, non iuris, quod Latini admitterentur ad suffragium, nulla uidetur causa, cur ceteris comitijs ea benignitas adstricta esset, presertim quum Latinorum suffragium hoc modo in unam quandam tribum sorte contractum nullius prope momenti futurum esset, quum interim magno honori, id ducerent, quod suffragiū cum ciuibus dicerent. Quamquam uero non censerentur Romae Latini, sed in suis ciuitatibus, poterant tamen ad centurias se adiungere unius cuiusdam tribus cui sorte obtigissent, ut Latini in ea suffragium dicerent, ut cum primae classis centurijs hi suffragium ferrent, qui erant primi census apud Latinos, cum centurijs secundae classis, qui erant apud eos secundi census, & ita deinceps, aut uero in unam centuriam sorte ductam omnes Latini nulla habita ratione census conijci, quo modo in tributis comitijs in unam tribum conijcebantur. Sed quoniam hae probabiles potius coniecturae sunt, quam necessariae rationes, de his finem scribendi faciam. Antiquissimū igitur Latinorum ius erat, ut cum ciuibus Romanis ad suffragium ferendum admitterentur. Qui quoniam in nulla certa tribu erant, antequam ad suffragium tribus uocarentur sortitio fiebat in qua tribu suffragium dicturi essent. Alterum porro Latinorum ius erat, quod ciues Romani uiritim etiam fieri poterant: ciuitas enim eo iure alijs populis non patebat. Eam autem multis rationibus consequi poterant. Prima est cu ius meminit Appianus libro II. bellorum ciuilium: ubi ait:

Latinitatis

Latinitatis ius hoc fuisse, ut ciues Romani fierent, qui in Latinis colonijs magistratum gesßissent. Quamquam ergo Romani ciues amitterent ciuitatem, si in Latinam coloniam nomina dedissent, ut docet Cicero pro Caecina, et pro domo sua: hoc tamen iure poterant in ciuitatem redire si magistratum in ea colonia Latina gesßissent. Adijcit Cicero ibidem, quod qui ciues Romani in colonias Latinas proficiscebantur fieri non poterant Latini, qui non erāt auctores facti, nomenque dederant. Alia ratio erat de qua mētionem facit Liuius libro XLI Lex socijs nominis Latini qui stirpem ex se domi relinquissent, ac Romam ad habitandum uenissent, dabat ut ciues Romani fierent. Verba Liuij sunt haec: Mouerunt senatum & legationes socium nominis Latini, quae & censores & priores consules fatigauerant, tandem in senatum introductae. Summa quaerelarum erat, ciues suos Romae censos plerosque Romam commigrasse, quod si permittatur perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent. Genera autem fraudis duo mutandae uiritim ciuitatis inducta erant. Lex socijs nominis Latini qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat ut ciues Romani fierent. Ea lege male utendo, alij socijs, alij populo Romano iniuriam faciebant. Nam & ne stirpem domi relinquerent liberos suos quibus quibus Romanis in eam conditionem ut manumitterētur, mancipio dabant, libertinique ciues essent; & quibus stirpes deesset, quam relinquerent, ut ciues Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus iuris spretis promiscue sine lege, sine stirpe in ciuitatem Romanam per migrationem, & censum transibant. Haec ne postea fierent petebant legati, & ut redire in ciuitates iuberent socios. Deinde ut lege cauerent, ne quis quem ciuitatis mutandae caussa seruum faceret, neue alienaret, & si quis ita ciuis Romanus factus esset, ci-

uis non esset: haec impetrata a senatu. Tertia item ratio fuit per legem Seruiliam, qua Latinis ius erat ciuitatem assequi in locum eius quem accusando damnassent repetundarum. Hanc legem tulerat C. Seruilius Glaucia ut docet Asconius pro Scauro. Hac lege duo Latini Tiburtes apud Ciceronem pro Balbo ciuitatem adepti sunt, quum duos senatores Coelium, & Masonem accusassent, & damnassent repetundarum. Quod uero ea lege Latini assequerentur ciuitatem his uerbis eo loco ostendit Cicero. An accusatori maiores nostri maiora praemia, quam bellatori esse uoluerunt? Quod si acerbißima lege Seruilia principes uiri ac grauißimi & sapientißimi ciues hanc Latinis id est foederatis uiam ad ciuitatem populi iussu patere paßi sunt. Alias uero etiam leges fuisse, quibus Latinis praemij loco ciuitas proposita esset, paulo post idem Cicero indicat ijs uerbis: Num fundos igitur factos populos arbitramur, aut Seruilia lege, aut ceteris quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re praemium ciuitatis

Refertur ab Vlpiano in titulo III. *quoddam libertorum genus, qui Latini Iuniani appellabantur Latij ius lege Iunia Norbana sub Augusto adepti, quos ciuitatem Romanam, & ius Quiritium multis modis adipisci posse scribit. In his erant, beneficio principis, liberis, iteratione, militia, naue, aedificio pistrino, & si ter mulier enixa fuerit. Hi dum uiuerent, quam quam se quasi pro ciuibus gererent, tamē ius testamenti faciēdi non habebant, & dominus eorum morientium haereditatem capiebat, nisi prius ius ciuitatis uel Quiritium adepti essent. Ius autem Quiritium idem fere quod ius ciuium Romanorum esse existimo, ab Augusto excogitatum, quo antiquos ciues Romanos & nobiles, a nouis ciuibus libertinis, & peregrinis discerneret, qui ciuitate donati, ius quidem ciuitatis Romanae habebant, sed non ius Quiritium, quod erat pau-*

lo

lo excellentius, puta, tanto tributo non grauari, eadem priuilegia habere, quae uetustißimi ciues vrbem incolentes haberent. Nam post legem Iuliam qua Italiae omni ciuitas data est, & omnibus aequata suffragia, ut ciues Romani noui & inferioris gradus a uetustißimis priuilegijs, & dignitate discernerentur, his uocibus iure Quiritium, & ciuitate Romana, ab aliquo imperatorum distincti sunt. Ius ergo Quiritiũ erat aliquid dignius quam ciuitatem Romanam, nã quibusdam libertis ciuitatem Romanam apud Plinium in epistolis, a Traiano concedi legimus, ius uero Quiritium non. Item quibusdam ciuibus Romanis iam factis ius Quiritium addi. Quae tamen differentia ante Caesaris dictaturam non inueniri opinor, quum ciuis Romanus cum suffragio factus perfecto & optimo iure ciuis esset. Ceterum post Augusti tempora de his rebus uerba facere haud operaepretium esse existimo, quũ ea omnia, ut reliqua vrbis Romae instituta corrupta fuerint, & deformata. Atque haec sunt quae de iure Latij, populis & colonijs Latinis qui eodem iure utebantur inueni

De praefecturis

Erat & aliud ciuium genus, qui in Italiae praefecturis manebant, deteriori quam municipia & coloniae iure utentiũ, quorum discrimen a reliquis intelligetur, si quid essent praefecturae explicauero. Erant igitur praefecturae, oppida Italiae, in quibus qui habitabant nec suis legibus, ut municipes uiuebant, nec ullos de suo corpore magistratus creare poterant, ut coloni, sed a magistratibus Roma mißis regebantur, ijs legibus quas Romanus magistratus dixisset, qui quoniam praefectus uocabatur, idcirco praefecturae dicebantur. Huius generis erat Capua post bellum Punicum secũdum, ante coloniam eò a Caesare deductam, ut constat ex II. oratione in Rullum, et ex Liuio libro XXVI. ubi ita de Capua scribit.

bit. De vrbe agroque reliqua consultatio fuit, quibusdam delendam censentibus vrbem praeualidam, propinquam, inimicam. Ceterum praesens utilitas uicit. Nam propter agrũ, quem omni fertilitate terrae satis constabat primum in Italia esse, vrbs seruata est, ut esset aliqua aratorum sedes. Vrbi frequentandae multitudo incolorum libertinorumque, & institorum opificumque retenta. Ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Ceterum habitari tantum, tanquam vrbem Capuam, frequentarique placuit, nullum corpus ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. Sine consilio publico, sine imperio, multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore. Praefectum ad iura reddenda Roma quot annis missuros. Quibus igitur oppidis Italiae huius generis praefecti Roma mißi ius reddebant praefecturae dicebantur. De praefecturis sic scribit Sex. Pompeius: Praefecturae hae appellantur in Italia, in quibus & ius dicebatur, & nundinae agebantur, & erat quaedam earũ respublica, neque tamen magistratus suos habebant. In quas legibus praefecti mittebantur quot annis qui ius dicerẽt. Quarum genera fuere duo, alterum in quas solebant ire praefecti decem populi suffragio creati, & erant haec oppida: Capua, Cumae, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteoli, Acerrae, Suessula, Atella, Calatia. Alterum in quas praetor urbanus quotannis in eas praefectos ex legibus mittebat, ut Fundi, Formiae, Cerae, Venafrum, Allifas, Priuernum, Anagnia Frusino, Reate, Saturnia, Nursia, Arpinum, & alia cõplura. Praefecturae igitur deteriore quam coloniae conditione erant. Quae uero neque municipia, neque coloniae, neque praefecturae erant oppida, hae foederatae ciuitates uocabantur, ut Tibur, & Praeneste in Latio, Neapolis, & pleraeque aliae, quae suis legibus, & magistratibus uiuebant, diuersisque foede-

foederibus aut sponsione, aut pactione, uario iure amicitiam cum populo Romano contraxerant. Aliquae enim erant omnino liberae, aliquae uectigales, aliquae stipendiariae, aut plus uel minus grauatae, ut populo Romano usum fuisset. Atque Italia omnis in horum ciuium & oppidorum genera ante legem Iuliam, & bellum Marsicum diuisa fuit, nullum enim praeterea supererat ciuium uel oppidorum genus, quorum quaedam dicebantur fundi populi. Quod quidem nomen discriminis non est, quemadmodum liberorum & stipendiariorum, sed hi fundi populi dicebantur, auctore Cicerone, qui quotiescunque Romae lex aliqua fieret, quae de iure publico non esset, sed de rebus priuatis, ut de testamentis, uel de mancipijs, eam suscepissent tanquam propriam, tuncque eius legis fundus populus dicebatur, perinde ac si diceretur. Is populus eam legem tanquam propriam suscepit, hoc idem de municipijs dicit Gellius. Adijcit Cicero pro Balbo quod qui fundi populi facti non essent, ciuitatem non haberent, in qua re magna contentio Heracliensium, & Metapontinorum fuit. Haec igitur omnia quae de Italiae municipijs, colonijs, praefecturis, & oppidis foederatis, itemque uarij generis & iuris ciuibus Romanis dixi, tantum ante bellum Marsicum, & legem Iuliam locum habent, qua quum Italiae omni ciuitas data fuisset; omnes pari iure in ciuitatem accepti sunt. Hoc autem ex eo liquet quod omnes in comitijs centuriatis ius tempore Ciceronis haberent. Quod ipse ostendit in oratione post reditum ad Quirites, ubi de comitijs centuriatis quibus ab exilio reuocatus est loquens, ita scribit: Nullus in eorum redditu motus municipiorum, & coloniarum factus, at me in patriã ter suis decretis Italia cuncta reuocauit. Et pro Sestio: Nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, nulla Romae societas, nullum collegium, aut concilium, aut

aliquod omnino commune consilium, quod tum non honori ficentissime de mea salute decreuisset. Quod idem ex multis alijs eius locis pro Muraena, pro Sulla, & pro Plancio intel ligi potest. Nam quod Tranquillus in Caesare scribit. Ipsum quaestura finita colonias Latinas de ciuitate petenda agitantes adijsse, de Transpadanis intelligi debet, quibus bello Marsico, quum Italiae omni usque ad Rubiconē & Arnum, Item Galliae Cispadanae ciuitas lege Iulia data esset, a Pompeio Strabone, ut in officio continerentur, ius Latij datum fuerat. Quibus postea Caesar dictator factus additis ut existimo Insubribus, Liguribus, Venetis & Carnis, id est uniuersae Galliae Transpadanae ciuitatem Romanam dedit. Quum uero a III viris Italia ad Varum, & Arsiam fluuios Liguriae & Istriae promota fuisset ijs omnibus ius ciuitatis etiam datum est. Quamquam porro municipia, coloniae, & praefecturae omnes aequo iure ciuitatem adeptae essent, saepeque deinde omnia haec nomina confundantur, quum quae fuerant coloniae, & praefecturae a Ciceronae praesertim, & alijs illorū temporum scriptoribus municipia appellentur, retinuerunt tamen uetustatis memoria antiqua nomina, & ueterem reip. rationem non mutarunt. Haec itaque sunt, quae breuissime de iure ciuitatis Romanae in uetustis auctoribus collegi

De colonijs

Quum abunde supra quot coloniarum genera, quae earumdem iura, atque quod inter eas, municipia, & praefecturas discrimen fuerit demonstrauerim, nūc quo imperium Romanum, quod hoc libro discribendum suscepi, illustrius quantum in me est & clarius reddam, res ipsa postulare uidetur, ut coloniarum omnium seriem, quae a Romulo rege usque ad Imperatorem Caesarem Vespasianum Augustum intra Italiā, ex S.C. uel populi iussu deductae fuerint digerā, ita enim quod mihi

mihi ipsi constitui facile consequi potero

I. colonia Caenina Aboriginum

Prima omnium colonia a Romulo facta est bello primo Sabino Caenina Graeci generis non ignobilis urbs. Trecenti eò deducti ciues coloni fuerunt. Anno ab vrbe condita IIII *Dionysius libro* II

II. colonia Antemnae Aboriginum

Haec eodem anno quo Caenina bello primo Sabino finito colonia a Romulo deducta fuit. Vrbs fuerat Graecorum Aboriginum, qui Siculos expulerant, quemadmodum Caenina. Trecenti eò etiam ciues coloni deducti anno urbis conditae IIII. *Dionysius libro* II

III. Colonia Crustumerium Albanorum

Crustumerium quae antea colonia Albanorum fuerat eodem bello uicta a Romulo Romana colonia facta fuit, anno urbis IIII. *Dionysius libro* II. *&* III

IIII. colonia Medullia Latinorum

Medullia aliaeque vrbes Latinae audita Romuli uirtute se ipsae ei tradidere, suntq; hae coloniae Romanae factae anno urbis V. *Dionysius libro* II. *&* libro III. *Medullia olim colonia a Romulo deducta ad suos defecit sub Tullo Hostilio rege*

V. Colonia

Ex Dionysio. Cum Medullia deducta anno urbis V

VI. Colonia Cameria Albanorum

Romulus & Tatius reges quũ bello Camerinos uicissent, Cameriam, quae colonia Albanorum fuerat, coloniam Romanam detluxerunt, anno vrbis conditae V

VII. colonia Fidenae Albanorum

Romulus Fidenatibus insigni proelio superatis, urbeque eorum capta Fidenas coloniam Romanam fecit Idibus Aprilis

lis anno urbis XIII. duobus millibus & quingentis colonis eó deductis. Haec vrbs olim Albanorum colonia fuerat, deducta a maximo natu ex tribus fratribus Albanis, quorum alter Crustumeriam, alter Nomentum colonias fecerant. Dionysius libro II. & Plutarchus. Liuius uero libro IIII. A. Cornelio Cosso, T. Quinctio Penno cos. anno vrbis CCCXXVI. Fidenis colonorum additus numerus, agerque ijs bello interemptorum aßignatus. Biennio uero post, noui coloni a Fidenatibus occisi urbi excidium attulerunt

VIII. colonia Ostia

Anco Marcio rege silua Mesia Veientibus adempta, usq; ad mare imperium prolatum, & in ore Tiberis Ostia colonia condita, Dionysius libris I. & III. Liuius libro I. Itẽ libro XXVII. Ea die hi populi in senatum uenerunt, Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & a supero mari Senensis. Quum uacationes suas quisque populus recitaret, nullius quum in Italia hostis esset, praeter Antiatem Ostiensemq; uacatio obseruata est. Et earum Coloniarum iuniores iure iurando adacti, supra quadraginta non pernoctaturos se esse extra moenia suae coloniae, donec hostis in Italia esset. Idem libro XXXVI. Senatus decreuit uacationem rei naualis his colonis non esse. Ostia & Fregenae, & Castrum nouum, & Pyrgi, Antium, Tarracinae, Minturnae, & Sinnessa fuerunt. Florus ex Liuio libro LXXIX Ostiam coloniam Marius expugnauit, & crudeliter diripuit. De hac quoque colonia mentionem faciunt Eutropius libro I. Plinius libro III. cap. V. & antiquus lapis ita

DECVRIONI. SPLENDIDISSIMAE
COLONIAE OST

IX. colonia Latina Signia

Superbus Tarquinius colonias deduxit Signiam, & Circeios.

ceios. Illam casu dum milites castris hybernis retinet; Circeios ductus loci oportunitate. In qua Titum, in illa Sextum filios praefecit. Dionysius libro IIII. Et Liuius libro I. Tarquinius Superbus rex Signiam, Circeiosq; colonos misit praesidia vrbi futura, terra marique. Et libro II. Ap. Claudio, & P. Seruilio cos. anno vrbis CCLVIIII. Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorũ iterum deducta est. Sex. Iulius Frontinus in libro de colonijs: Signia muro ducta colonia a militibus & III. viris munita. Iter populo non debetur. Ager eius militibus Augusteis in nominibus est adsignatus. Haec una ex XIIX. colonijs bello Punico secundo populo Romano fidelibus fuit. Quum enim XXX. tum essent coloniae populi Romani, XII. ex his negauerunt esse unde milites pecuniamque darent. XIIX. uero coloniae, milites ex formula paratos esse, & si pluribus opus esset plures daturos, & quicquid aliud imperaret uelletque populus Romanus enixe facturos pollicitae sunt. Ne nunc quidem post tot saecula sileantur fraudenturue laude sua, Signini fuere, & Norbani, Saticulani, Brundusini, Fregellani, Lucerini, Venusini, Adriani, Firmani, & Ariminense, & ab altero mari Pontiani, Paestani, & Cossani; & mediterranei Beneuentani, Aesernini, Spoletani, Placentini, & Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum imperium populi Romani stetit: ita Liuius libro XXVII. De hac colonia Strabo libro V. & uetus haec inscriptio meminerunt

L. VOLVMNIO. L. F. POMP. IVLIANO
SEVERO . IIII . VIRO . COL . SIGN
PATRONO. COLONIAE . SVAE
SENATVS . POPVLVSQ. SIGNINVS

x. colonia Latina Circei

Huius coloniae praeter supra citata auctorum loca meminerunt Cicero libro III. de natura deorum: Circem (inquit) coloni nostri Circeienses religione colunt. Dionysius libro VIII. vbi Coriolani exulis Romani facta contra Romanos describit. item Liuius libris II. XXVII. & XXIX. & Plutarchus in Coriolano. Hae autem sunt sub regibus deductae coloniae

XI. colonia Ecetrae

Ap. Claudio & P. Seruilio cos. Anno vrbis CCLIX Volscis a Seruilio uictis in agrum de eis captum Ecetras colonos missos fuisse tradit libro VI. Dionysius, quos quum Aurunci pellere uoluissent, bellum Romanum in se conuerterunt

XII. colonia Velitrae

Bello Volsco anno sequenti, postquam Ecetrae colonia facta fuerat, A. Virginio T. Vetusio cos. Volscis deuictis Veliternus ager est ademptus, Velitras coloni ab vrbe missi, & colonia deducta. Ita Liuius libro II. Idem, T. Geganio & P. Minucio cos. Velitris auxere numerum colonorum Romani. Et Dionysius libro VII. Iisdem cos. iterum coloni missi III. viris creatis Velitras Volscorum vrbem. Frontinus de colonijs. Velitrae oppidum lege Sempronia fuerat deductũ, postea Claudius Caesar agrum eius limitibus Augusteis censitum militibus eum adsignari iussit

XIII. colonia Norba

T. Geganio P. Minucio cos. anno vrbis CCLXII. Norbam in montes nouam coloniam, quae arx in Pomptino esset miserunt. Et Dionysius libro VII. Norbam deducta colonia Latinorum vrbem non incelebrem. & Liuius iterum libro VII. Priuernates etiam Norbam atq; Setiam finitimas

colonias

colonias Romanas incursione subita depopulati sunt. Idem *de ea libro* XXVII. *scribit*

XIIII. colonia ciuium Romanorum Antium

Liuius libro III. *Ti. Aemilio* II. *&* Q. *Fabio cos. anno vrbis* CCXXCVI. *Antium coloniam deduxere* III. *viri T. Quinctius, A. Virginius, & P. Furius. Idem A.* CCXC. *A. Postumio Albo Sp. Furio cos. colonia Antium suspecta ad Aequos transiisse. Et libro* VIII. *L. Furio Camillo C. Maenio cos. anno* CDXVI. *Antium noua colonia missa, cum eo ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi coloni uellent. Naues inde longe abactae, interditumque mari Antiati populo est, & ciuitas data. Haec omnium prima ex Latina, ciuiũ Romanorum colonia facta est. Frontinus: Antium populus deduxit, iter populo non debetur. Ager eius in lacineis est adsignatus. Tranquillus in Nerone cap.* IX. *Antium coloniã deduxit adscriptis ueteranis e praetorio, additisque per domicilij translationem ditißimis primipilarium, ubi & portum operis sumptuosißimi fecit. Hoc anno vrbis* DCCCIIII. *Nerone* IIII. *& Cosso Cornelio cos. factum fuisse tradit libro* XV. *Tacitus, vbi ita eo anno ait: Veterani Terentũ, & Antium adscripti: Plinius lib.* III. *cap.* IIII. *In Latio (inquit) quondam Aphrodisium, nunc Antium colonia. Florus ex Liuio in epitoma libri* XXC. *C. Marius Antium, Ariciam, & Lauinium colonias deuastauit. De ipsa colonia Liuius libris* XXVI. *&* XXXVI. *meminit*

Colonia XV. Vitellia

Quo potißimum anno colonia in Aequos deducta fuerit Vitellia ab auctoribus non traditur. Ego eam domitis Aequis praesidij caussa circa annum vrbis CCXCV. *factam fuisse opinor, quo tempore, aliquot de uictis Aequis triumphi primum acti sunt. Huius coloniae Liuius libro* V. *L. Lucretio*

Flauo, & Ser. Sulpicio Camerino anno vrbis CCCLXI. ita meminit. Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Aequi expugnant. Vitelliam etiam coloniam Tranquillus in Vitellio capite primo commemorat

Colonia XVI. Latina Ardea

M. Fabio Vibulano, Postumo Aebutio Cornicine cos. Anno vrbis CCCXII. S. C. factum, ut quoniam ciuitas Ardeatium intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eò praesidij caussa aduersus Volscos scriberentur. Hoc palam relatum in tabulas, ut plebem tribunosque falleret, iudicij rescindendi consilium initum. Consenserant autem ut multo maiore parte Rutulorum colonorum, quam Romanorum scripta, nec ager ullus deuideretur, nisi is qui interceptus iudicio infami erat, nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis diuisus esset, gleba ulla agri aßignaretur. Sic ager ad Ardeates rediijt. Triumuiri ad coloniam Ardeam deducendam creati Agrippa Menenius, T. Cloelius Siculus, M. Aebutius Elua. ita Liuius libro IIII. Frontinus de colonijs, Ardea oppidum Imp. Hadrianus censuit. Iter populo non debetur, ager eius in lacineis est adsignatus. Liuius libro XXVII. Q. Fabio Maximo V. Q. Fuluio Flacco IIII. cos. XXX. (inquit) tum coloniae populi Romani erant. Ex his XII. quum omnium legationes Romae essent, negauerunt consulibus esse unde milites pecuniamque darent. Hae fuere Ardea, Nepet, Sutrium, Circeij, Alba, Carseoli, Suessa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna. Easdem lib. XXX. Liuius colonias Latinas uocat, quas ob id punitas fuisse refert acerbiore delectu, & cẽsu, tributoq; stipendij nomine indicto

Colonia XVII. Lauici

Liuius libro IIII. Anno vrbis CCCXXXVI. senatus frequens censuit, coloniam Lauicos deducendam, coloni ab vrbe mille

be mille & quingenti mißi, bina iugera acceperunt. Lauici oppidũ in Latio Praeneſte uerſus erat, a quo uia Lauicana, quod Cicero pro Planco municipium uocat. Hae uero ſunt coloniae omnes populi Romani deductae poſt reges exactos ante vrbem a Gallis Senonibus captam CXX. annorum interuallo, quas ut opinor Sex. Pompeius, priſcas Latinas colonias uocat, ut diſtinguerentur a nouis quae poſtea a populo deductae ſunt

Colonia XVIII. Satricum. C. R

Liuius libro VI. Anno vrbis CCCLXX. Largitor voluntarius repente ſenatus factus Satricum coloniam duo milia ciuium Romanorum deduci iußit, bina iugera, & ſemiſſes agri adſignati. Haec colonia in Latio fuit, ut idem Liuius tradit

Colonia XIX. Latina Sutrium, alias
Iulia Sutrina

Paterculus libro I. Poſt ſeptem annos quam Galli vrbem ceperunt (is fuit annus vrbis CCCLXXI) Sutrium deducta colonia eſt, & poſt annum Setia. Feſtus Sutrium municipium ſui iuris uocat. Frontinus: Colonia Sutrium ab oppidanis eſt deducta ante limites, & cet. Plinius libro III. cap. V. In regione VII. Tuſcia coloniae Ruſellana, Senenſis, Sutrina. De hac colonia Liuius libris XVII. & XXIX. & uetuſta haec epigrammata meminerunt

PONTIFICES. A. COLONIA
CONIVNC. IVLIA. SVTRINA
item
Q. FLAVIVS. Q. F. POLLINVS
PONT. COL. SVTRINAE

Colonia XX. Latina Setia, alias Setina

Haec Velleio auctore anno poſt Sutrium colonia facta eſt.

Frontinus. Setia muro ducta colonia, triumuirali lege est munita, iter populo debetur P. XXXV. *Ager eius in absoluto ex occupatione a militibus tenebatur. De hac Liuius libris* VII. XXVII. *&* XXIX. *mentionem facit*

Colonia XXI. Latina Nepet

Paterculus libro I. *Post septem annos quam Galli vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est, & post annum Setina, nouemque interiectis annis Nepet, is igitur fuit anno vrbis* CCCXXCI. *Frontinus de colonijs: Colonia Nepensis alias Nepis eadem lege seruatur, qua & ager Faliscorum. Nepet autem legendum esse ex Prisciano liquet. Hanc coloniam Liuius libris* XXV. *&* XXIX *commemorat, & Festus municipium sui iuris fuisse refert*

Colonia XXII. Latina Cales Ausonum

Liuius libro VIII. M. *Valerio Coruo* IIII. *&* M. *Atilio Regulo cos. Anno vrbis* CDXX. *Ti. Veturius, Sp. Postumius cos. designati, rettulerunt de colonia Cales deducenda. Factoque S.C. ut duo millia quingenti homines eò scriberentur* III. *viros coloniae deducendae, agroque diuidundo creauerunt K. Duilium, T. Quinctium, & M. Fabium. Paterculus lib.* I. *Sp. Postumio, Veturio Caluino cos. Cales deducta colonia. De ea Liuius libris* XXVII. *&* XXIX. *scribit. Hanc coloniam Cicero in Rullum municipium uocat*

Colonia XXIII. Anxur Tarracinae

Liuius libro VIII. L. *Aemilio Mamercino, C. Plautio Deciano cos. anno vrbis conditae* CDXXV. *Anxur trecenti in coloniam missi sunt, bina iugera agri acceperunt. Paterculus libro* I. *Insequentibus consulibus Sp. Postumio, & Philone Publilio censoribus Acerranis data ciuitas: & post triennium Tarracinas deducta colonia. De eadem Liuius libris* XXVII. *&* XXXVI. *& uetustae hae inscriptiones mentionem*

tionem faciunt

ROMAE. ET. AVGVSTO. CAESARI
DIVI. F. COLONIA. ANXVR

item

TI. IVLIO. TI. F. STEL. PAETINO
BASSIANO. PATRONO. COLON

Colonia XXIIII. Fregellae Volſcorum

Liuius libro VIII. P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula cos. anno vrbis CDXXVI. *Fregellas, Signiorum is ager, deinde Volſcorum fuerat, colonia deducta. De eadem libris* XXVII. *&* XXIX. *meminit*

Colonia XXV. Luceria Samnitium

Liuius libro IX. M. Poetelio Libone, C. Sulpicio Longo III. cos. Luceriam colonia deducta, duo millia & quingenti coloni miſſi: erat annus vrbis is CCCCXL. Paterculus libro I. eam decennio ante deductam fuiſſe ſcribit ſic: Poſt triennium Tarracinas deducta colonia, interpoſito quadriennio Luceria. Fuit is annus vrbis CDXXIX. Plinius libro III. cap. II. Dauniorum praeter ſupradicta coloniae Luceria, Venuſia. Polybius libro III. bello Punico ſecundo Hannibal Dauniam populatur, & in ea coloniam Romanam Luceriam. De eadem Liuius libris XXVII. & XXIX

Colonia XXVI. Latina Sueſſa Aurunca

Liuius libro IX. L. Papirio Curſore V. C. Iunio Bubulco II. Cos. anno CDXLI Sueſſa & Pontia coloniae deductae ſunt. Sueſſa Auruncorum fuerat. Paterculus libro I. Ac deinde interiecto triennio Sueſſa Aurunca, & Saticula. Frõtinus. Sueſſa, quae & Aurunca dicitur muro ducta, lege Sempronia eſt deducta. Iter populo non debetur, ager eius pro-

parte limitibus intercesiuis, & in lacineis est adsignatus. Plinius libro III. *cap.* I. *in regione prima Italiae ex descriptione Augusti coloniae Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum Hanc coloniam Cicero in Rullum municipium uocat. De hac Liuius libris* XXVII. & XXIX. & *uetusta haec epigrammata meminerunt*

IN. COLONIA. SVESSA
ET. ORDO. DECVRIONVM
ET. AVGVSTALIVM. ET
PLEBS. VNIVERSA

Colonia XXVII. Saticula

Paterculus libro I. *Interposito quadriennio Luceria, ac deinde interiecto triennio Suessa Aurunca, & Saticula. Anno vrbis* DDXLI. *Sex Pompeius: .... in Sati ...... in Samnio captum est, quò (postea coloniam) eam deduxerunt* III. *viri M. Valerius Coruus, Iunius Saeua, P. Fuluius Longus ex S. C. Kal. Ianuarijs L. Papirio cursore C. Iunio* II *cos. De eadem Liuius libro* XXVII. & XXIX

Colonia XXVIII. Pontia

Haec eodem anno quo Suessa, auctore Liuio, colonia deducta est. Qui ita ait: Suessa & Pontia coloniae deductae sunt. Volsci Pontias insulam sitam in conspectu littoris sui incoluerunt. De eadem meminit libris XXVII

Colonia XXIX. Latina Interamna

Paterculus libro I. *Interiecto triennio, Suessa Aurunca, & Saticula, Interamnaque post biennium. Liuius libro* X. *Interamnam & Casinum, ut deducerentur coloniae S. C. factum est. Sed triumuiros creauere, ac misere colonorum quattuor millia insequentes consules M. Valerius P. Decius: anno vrbis* CDLXLII. *Idem libro* X. *L. Postumio Megello, M.*

lo, M. Atilio Regulo cos. Samnites Interamnam coloniam Romanam, quae uia Latina est occupare conati. Fuit enim & aliud oppidum Interamna in umbria. De eadem Liuius libris XXVII. & XXIX & uetus haec inscriptio meminerunt

P. TVRCIO. P. F. STEL. SEVERO
II.VIRO.CVRAT. REIP.INTERAMNAT
LIRIN.EORVMDEM.PATRONO.COL
CASSINATES

Colonia xxx. Casſinum

Eodem anno quo Interamna, deducta colonia fuit Caßinum, ut tradit Liuius: quam Cicero pro Planco municipium uocat De qua in uetustis hisce inscriptionibus mentio est

CVRATORI. REIPVBL
COL. CASSINATIVM
item
L.LVCCEIO.L.F.PAL.VMMIDIO
SECVNDO.DECVR.PATRONO.COL

Colonia xxxi. L. Sora

Liuius libro x. L. Genucio, Ser. Cornelio cos. anno vrbis CDLI. Soram atque Albam coloniae deductae. Sora agri volsci fuerat, sed possederant Samnites, eò quattuor millia hominum missa. Paterculus libro I. Decem deinde hoc munere anni uacauerunt. Tunc Sora atque Alba deductae coloniae. Frontinus de colonijs: Sora muro ducta colonia, deducta iussu Caesaris Augusti, iter populo debetur pedum xv. Ager eius limitibus Augusteis ueteranis est adsignatus. Plinius libro III. cap. v. Regio ea a Tiberi prima Italiae seruatur ex inscriptione Augusti. Intus coloniae, Capua, Aquinum,

Suessa.

Suessa, venafrum, Sora, Theanum. De eadem Liuius libris XXVII. & XXIX. Soram Cicero pro Planco municipium nominat

Colonia XXXII. L. Alba

Liuius libro X. Sora & Alba coloniae deductae. Albae in Aequos sex millia colonorum scripta. Florus ex Liuio in epitoma libri LXXII. Aesernia & Alba coloniae ab Italicis obsessae sunt, de eadem Liuius libris XXVII. & XXIX

Colonia XXXIII. L. Carseoli

Liuius libro X. M. Liuio Dentre, C. Aemilio cos. anno vrbis CDLII. Marsorũ agrum ui tueri, in quem colonia Carseoli deducta erat, quattuor millibus hominum scriptis. Velleius libro I. Sora atque Alba deductae coloniae, & Carseoli post biennium. De eadem Liuius libris XXVII. & XXIX

Colonia XXXIIII. L. Narnia Nequinum

Liuius libro X. M. Fuluio Paetino, T. Manlio Torquato cos. aano vrbis CDLV. Nequinum in deditionem populi Romani uenit, colonia eò aduersus vmbros missa, a flumine Narnia appellata. Plutarchus in T. Quinctio. Colonias deduxit ante consulatum Narniam, & Consam. De eadem libris XXVII. & XXIX

Colonia XXXV. Sinuessa

Liuius libro X. Tum de praesidio regionis depopulatae a Samnitibus agitari coeptum. Itaque placuit, ut duae coloniae circa Vestinum, & Falernum agrum deducerentur. Vna ad ostium Lyris fluuij, quæ Minturnae appellata, altera in saltu Vestino, Falernũ contingente agrum, ubi Synope dicitur Græca urbs fuisse. Sinuessa deinde ab colonis Romanis apellata. Tribunis plebis negocium datum est, ut plebiscito iuberetur P. Sempronius prætor triumuiros in ea loca colonis deducendis,

dis creare. Nec qui nomina darent facile inueniebantur, quia in stationem se prope perpetuam in festae regionis nō in agros mitti rebantur. Hoc autem Ap. Claudio II. & L. Volumnio II. cos. factum est anno urbis CDLVIII. Eas uero non nisi anno sequenti deductas his uerbis refert Velleius. At Fabio V. & Decio Mure IIII. cos. quo anno Pyrrhus regnare coepit Sinuessam, Minturnasq; mißi coloni. De Colonia Sinuessa Liuius lib. XXVII. & XXXVI

Colonia XXXVI. Minturnae

Haec Liuio & Velleio auctoribus, eodem anno quo Sinuessa colonia deducta est. De qua sic scribit Frontinus: Minturnae muro ducta colonia, deducta a C. Caesare. Iter populo non debetur, eius ager pro parte in iugeribus est adsignatus, ceterum in absoluto est relictus. Plinius libro III. Colonia Minturnae Lyri amne diuisa, Glanico appellato, Oppidū Sinuessa extremum in adiecto Latio. De hac colonia Cicero pro Planco. Dionysius libro I. Liuius libris XXVII. & XXXVI. & Ptolomeus mintionem faciunt.

Colonia XXXVII. Venusia

Paterculus libro I. Sinuessam Minturasque coloni mißi. Post quadriennium Venusiam. Anno urbis CDLXIII. Liuius libro XXXI. P. Sulpicio Galba II. C. Aurelio Cotta cos Anno urbis DLIIII. III Viri creati ad supplēdū Venusinis colonorum numerum, quod bello Hannibalis attenuatae uires eius coloniae essent, C. Terentius Varro, T. Quinctius Flamininus, P. Cornelius Cn. F. Scipio. Hi colonos Venusiā adscripserunt. Plinius libro III. Cap. XI. Dauniorum praeter supradictas colonia Venusia. De eadem Liuius libro XXVII

Colonia XXXVIII. Sena

Florus ex Liuio Coloniae deductae sunt Castrū, Sena, Hadria.

dria. Anno CDLXV. Hoc ego magis factũ fuisse anno urbis CDLXXI. quo Senonibus a P. Dolabella ad internicionem caesis, hae in eorundem agris coloniae deductae sunt. Hanc autẽ in Senonum agro supero mari adiacente deductam fuisse sic ex Liuio libro XXVII. intelligitur: C. Claudio Nerone, M. Liuio Salinatore II cos. Colonos maritimos, qui sacrosanctã uacationem dicebantur habere, dare milites cogebant nullius obseruata. Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnẽsis, Sinuessanus, & a supero mari Senensis. De colonia Senensi mentionem facit Tacitus libro XXI

Colonia. XXXIX. Hadria

Haec eodem anno quo Sena deducta colonia fuit auctore Liuio, de qua idem etiam meminit libro XXVII

Colonia XL. Cossa, alias Consa

Paterculus libro I. Cossam & Paestum Fabio Dorsone, et Claudio Canina anno urbis CDXXCI. coloniae deductae. Florus ex Liuio in epitoma libri XIIII. coloniae deductae sunt Posidonia & Consa. Plinius libro III. cap. V. In regione VII. Etruriae ab eo tractu Vmbria, portusq; Telamon, Cossa Volcientium a populo Romano deducta. Victi enim aliquot annis antea fuerant Volcientes, & Vulsinienses, a Ti. Coruncanio, de quibus etiam triumphauit. Liuius libro XXXIII. L. Furio Purpureone M. Claudio Marcello cos. Cossanis postulantibus ut sibi colonorum numerus augeretur, mille adscribi iussi, dum ne quis in eorum numero esset, qui post L. Cornelium, & Ti Sempronium cos. hostis fuisset. Plutarchus in T. Quinctio refert, eũ adulescentẽ et Narniam et Cossam colonias deduxisse. Cossam Cicero in Verrem municipiũ uocat. De eadem Liuius libro XXVII. Haec nostra aetate Orbetellum dicitur

Colonia. XLI. Paestus, alias Posidonia

Paestus

Paestus quae et Poßidonia dicta est, eodem anno quo Cossa colonia deducta fuit, ut ex Velleio & Liuio uidimus. De ea etiam ita scribit Liuius libro XXVII. Et ab altero mari Pontiani, Paestani, & Cossani. Strabo libro V. Picentes ex Hadria Romani colonos in Poßidoniatem sinum deduxere, urbs Poßidonia Paestus dicta est, in medio sinu collocata ab Sybaritis, quos Lucani, Lucanos Romani expulere. Insalubris urbs ob amnem in paludes diffusum

Colonia. XLII. Ariminum

Florus ex Liuio libro XV. Coloniae deductæ Ariminum in Piceno, Beneuentum in Samnio. Paterculus libro I. P. Sempronio Sopho & Appio Caeci F. cos. anno CDXXCI. Ariminum & Beneuentum coloni mißi. Strabo libro V. Ariminum vmbrorum colonia, ut Rauenna, utraque Romanos habet inquilinos. Plinius libro III. cap. XV. Octaua regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In ora fluuius Crustumium, Ariminum colonia, cum amnibus Arimino, & Aprusa. Fluuius hinc Rubicon quondam finis Italiae. Eutropius libro II. P. Sempronio Sopho, & Ap. Claudio cos. Conditae a Romanis ciuitates Ariminum in Gallia, Beneuentum in Samnio. De eadem colonia Cicero pro Caecina, Liuius libros XXVII. & XXIX, & uetus hac inscriptio meminerunt

PATRONO. COL. AVG. ARIMIN

Colonia. XLIII. Beneuentum Concordia

Haec colonia eo anno quo Ariminum Liuio, Velleio, & Eutropio auctoribus, deducta est. De qua sic scribit Frontinus in libro de colonijs. Beneuentum muro ducta colonia, Concordia dicta, deduxit Nero Claudius Caesar, iter populo non debetur, ager eius lege III. uirali ueteranis est adsignatus. Caudinum alias Caudium oppidum muro ductum iter populo

pulo debetur pedum L. A Caesare Augusto coloniae Beneuentanae cum territorio suo est adiudicatum. Ager eius ueteranis fuerat adsignatus, postea mensuratus limitibus, et censitus. Sex. Pompeius: Beneuentum (inquit) colonia quū deduceretur, appellari coeptum est melioris ominis caussa, namque eam urbem antea Graeci incolentes Maleuētum appellarūt. Et Plinius libro III. cap. XI. Cetera intus in secunda regione Hirpinorum: colonia una Beneuentum auspicatius mutato nomine, quae quondam appellata Maleuentum. Polybius libro III. Hannibal Beneuentum coloniam diripuit. De eadem Liuius libris XXVII. & uetusta haec epigrammata meminerunt

IMP. CAESARI. AVGVSTO
ET. COLONIA I. BENEVENTANA I
Item
PATRONO. COLONIAE. BENEVENTANE

Colonia. XLIIII. Firmum

Hac eodem anno quo Castrum Velleio auctore initio primi belli Punici, deducta colonia est. De qua Liuius lib. XXVII. & uetus haec inscriptio meminerunt

T. APPATIO T. F. VEL. ALFINIO
PATRONO. COLONIAE.

Colonia XLV. Castrum Nouum

Florus ex Liuio in epitoma libri XI. Coloniae deductae sunt Castrum, Sena, Hadria. Hoc autem factum est anno urbis CDLXV. Paterculus libro I. longe post deductam scribit: ait enim. Initio primi belli Punici Firmum & Castrum colonis occupata. Is annus urbis fuit CDXXCIX. Liuius libro XXXVI. Senatus decreuit uacationem rei naualis non esse

esse colonis maritimis. Ostia, Fregenae, Castrũ nouum, Pyrgi. Vellei ut approbem sententiam potius quam Liuij facit, quod Tusci nondũ uicti erant, ut in his coloniae adhuc deducerẽtur

Colonia XLVI. Aesernia

Velleius libro I. Initio primi belli Punici Firmum & Castrum colonis occupata, & post annum Aesernia. ergo anno urbis CDXCI. Florus ex Liuio libro XVI. Colonia Aesernia deducta est. Frontinus de colonijs. Aesernia colonia deducta lege Iulia. Iter populo debetur pedum X. ager eius limitibus Augusteis est adsignatus. Florus in epitoma libri LXXII Aesernia, et Alba coloniae ab Italicis obsessae sunt. Idem libro LXXIII. Aesernia colonia cum M. Marcello in potestatẽ Samnitium uenit. De eadem Liuius libro XXVII

Colonia XLVII. Alsium

Paterculus libro I. post XXII. annos Aesulũ, & Alsium colonis occupata sunt. Liuius libro XXVII. Colonis maritimis uacatio obseruata non est. Ostiensis. Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & Senensis

Colonia XLVIII. Aesulum

Haec auctore Velleio eodem anno quo Alsium colonia deducta est. fuit is annus urbis conditae DVII

Colonia XLIX. Fregenae

Florus ex Liuio in epitoma libri XIX. Coloniae deductae sunt Fregenae, in agro Sallentino Brundusium. Paterculus libro I. Fregenas post biennium colonia deducta est. Liuius libro XXXVI. Senatus deuenit colonias maritimas uacationem rei naualis non habere Ostia, Fregenae, Castrum nouum, Pyrgi, & &c.

Colonia L. Brundusium

Paterculus. Fregenae post biennium, proximoque anno Torquato Sempronioq; cos. Brundusium. Anno urbis DX.

Florus:

Florus: Coloniae deductae sunt Fregenae, et in agro Sallentino Brundusium. De eadem Liuius libris XXVII. & XXIX.

Colonia LI. Latina Spoletium

Florus in epitoma libri XX. Vmbris uictis: Spoletium colonia deducta est. Paterculus libro I. Brundusium, et post triennium Spoletium coloniae deductae sunt. Quo anno Floralium ludorum factum est initium. Liuius libro XXII. Hannibal interim recto itinere per vmbriam, usque ad Spoletium uenit, inde repulsus, coniectans ex unius coloniae uiribus, quanta moles Romanae urbis esset. Et Cicero pro Balbo: Spoletinus T. Macrinus unus ex his, quos C. Marius ciuitate donasset dixit caussam ex colonia Latina, in primis firma & illustri. & paulo post, sed quum lege Appuleia coloniae non essent deductae, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos ciues Romanos facere posset. De eadem Liuius libro XXVII. & haec inscripitio meminerunt

M. IVNIVS. M. F. HOR. FLAVOS
PATRONO. COL. L. D. D. D

Colonia LII. Vibo Valentia

Paterculus: Torquato, Semproniоque cos. Brundusium, & post triennium Spoletium, postq; biennium deducta Valentia. Anno urbis DXV. Liuius libro XXXV. de eiusdem coloniae restitutione (ut puto loquens) ita ait: L. Quinctio, Cn. Domitio cos. anno urbis DLXVII. Vibonem colonia deducta est ex S.C. plebisq; scito, tria millia et septingenti pedites ierunt CCC. equites, III. Viri deduxerunt eos Q. Naeuius, M. Minucius, M. Furius Craßipes, quina dena iugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equitibus. Bruttiorum proxime fuerat ager, Bruttij ceperant de

Grae-

Graecis. Strabo libro VI. Post Cosentiam Hipponium est Locrorum aedificium, quod Bruttijs eripuere Romani, & Vibonem Valentiam appellauere

Colonia LIII. Latina Placentia

Q. Asconius Pedianus in Pisonianam. In annalibus eorum qui Punicum bellum secundum scripserunt, tradi uideo Placentiam coloniam deductā prid. Kal. Ianuarij, Ti. Sempronio Longo, & P. Cornelio Scipione patre Africani cos. primo anno eius belli, Vrbis DXXXVI. Sex millia hominum noui coloni deducti sunt, in quibus equites, deducendi fuit caussa, ut opponeretur Gallis qui eam partem Italiae tenebant. Deduxerunt III. uiri P. Cornelius Asina, P. Papirius, Maso, & Cn. Pompeius, alias Cn. Cornelius Scipio. EAMQVE. COLONIAM. LIII. DEDVCTAM. ESSE. INVENIMVS. Deducta est autem LATINA. Florus libro XX. in epitoma: Coloniae deductae sunt in agro de Gallis capto Placentia, & Cremona. Paterculus libro I. Sub aduentu in Italiam Hannibalis Cremona atque Placentia deductae coloniae. Polybius libro III. Sic scribit: P. Scipione, Ti. Sempronio cos. Cremonam trāspadū, & Placentiam citra Padum deduxere C. Lutatius uir consularis, alijque duo praetorij III. Viri, quos Boij fugarunt, et Mutinam compulere, deducta sunt sex millia ciuium intra trigesimum diem adesse iussa. Plut. in Hannibale: Romani Placentiam Cremonāq; colonos deduxere. Plinius libro III. cap. XV. In octaua regione Italiae, coloniae Parma & Placentia. De eadem Liuius libro XXXI. & Tacitus libro XIIX. mentionem faciunt. Hanc Cicero in Pisonem municipium, & Festus municipium sui iuris uocant

Colonia LIIII. Latina Cremona

Haec eodem anno quo Placentia Polybio, Liuio, Velleio,

& Plutarcho auctoribus deducta est. De qua sic scribit Cornelius Tacitus libro XIX. Hic exitus Cremonam habuit anno CCXXCVI. a primordio sui. Condita erat Ti. Sempronio, & Cornelio cos. ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum aduersus Gallos Transpadum agentes, & si qua alia uis per alpes irrueret. Igitur numero colonorum, oportunitate fluminum, ubere agri annexu, connubijsque gentium adoleuit, floruitque; bellis externis intacta, ciuilibus infelix. Liuius libro XXXI. Galli Placentiam inuaserant, & direpta vrbe traiecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt, uicinae vrbis audita clades, spacium colonis dedit ad claudendas portas. Duarum coloniarum alteram captam, alteram oppugnari. Idem libro XXXIII. Cremonensium, & Placentinorum colonorum turba, qui pileati sequebantur Cornelium Cethegum cōsulem triumphantem de Gallis Insubribus, & Coenomaneis. Et libro XXXVII. Cremona & Placentia colonis auctae. Plinius libro III. cap. XIX. In mediterraneo regionis X. Coloniae Cremona, Brixia Coenomanorū agro, venetorum Ateste. Ptolomeus libro III. C. I. Coenomanorum qui sub Venetia sunt, ciuitates Cremona colonia

Colonia LV. Puteoli ciuium Romanorum

Liuius libro XXXIIII. P. Africano maiore II. & Ti. Sempronio cos. anno DLX. coloniae ciuium Romanorum deductae sunt Puteolos, Vulturnum, Linternum. Triceni homines in singulas. Paterculus libro I. Eodem temporum tractu quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos, Salernumque, atque Buxentum missi coloni. Rursum Liuius libro XXXIIII. Puteolos, Salernumque, & Buxentum adscripti coloni; qui nomina dederant, quum ob id se pro ciuibus Romanis ferrent, senatus iudicauit, non esse eos ciues Romanos. Frontinus: Puteoli colonia Augusta, Augustus deduxit, iter

uno latere populo debetur P. XXX. Ager eius in iugeribus ueteranis, & tribunis legionarijs est adsignatus. Festus Puteolos unam ex his praefecturis aliquãdo fuisse dicit, in quas praefecti populi Romani suffragijs creati mittebantur. Tacitus libro XIIII. Vetus oppidum Puteoli ius coloniae, & cognomentum a Nerone adipiscitur. Strabo libro V. Puteoli Cumanorum emporium bello Hannibalis a Romanis incolis auctũ, nomen accepit a puteis uel a putore, antea Dycearchia dicebatur. Huius coloniae haec uetusta epigrammata meminerũt

AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVO. VIR
P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS
OPERVM. LEX. II
item
AEDIL. COLON. PVTEOLANORVM
item
DEO. MAGNO. GENIO. COLONIAE
PVTEOLANORVM

Colonia LVI. Salernum ciuium Romanorum

Liuius libro XXXIIII. P. Cornelio Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo cos. anno DLX. Coloniae ciuium Romanorum deductae sunt Puteolos, Vulturnum, Linternum triceni homines in singulas. Item Salernum, Buxentumque coloniae ciuium Romanorum deductae sunt, deduxere III. viri Ti. Sempronius Longus, qui tum cos. erat, M. Seruilius C. Minucius Thermus, ager diuisus est, qui Campanorum fuerat. Eadem Paterculus libro I. Strabo libro V. Romani Salernum custodiae gratia munierunt. De ea & Appianus libro I. bellorum ciuilium

Colonia LVII. Buxentum C. R

Eodem anno quo Puteolos Salernumque, & Buxentum colonia deducta, ut Liuius, & Paterculus tradunt. De eadem Liuius libro XXXIX. Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo cos. anno urbis DLXVIII. Triumuiri ad colonos scribendos Sypontum mari supero, Buxentum infero desertas colonias ab T. Maenio Pr. vrbis creati sunt L. Scribonius, M. Tuccius, Cn. Baebius Tamphilus

Colonia LVIII. Vulturnum C. R

Haec cum tribus suprascriptis colonia deducta est. De qua Frontinus sic scribit: Vulturnum muro ducta colonia, iussu imp. Caesaris est deducta, iter populo debetur pedum XX. ager eius in nominibus uillarum, & possessorum est adsignatus. Varro libro IIII. de lingua Latina. Nam & colonia nostra Vulturnum, & deus Tiberinus. Haec colonia inter eas praefecturas a Festo refertur, in quas praefecti a populo Romano creati mittebantur

Colonia LIX. Linternum C. R

Et haec cũ Vulturno & tribus reliquis, eodẽ anno colonia facta. De qua ita scribit Frontinus: Linternum muro ductũ, colonia ab Augusto deducta, iter populo debetur P. CXX. Ager eius in iugeribus ueteranis est adsignatus. Haec eodem iure praefectura aliquando fuisse a Festo refertur, quo Vulturnum

Colonia LX. Sipontum C. R

Liuius libro XXCIIII. Scipione Africano II. & Sempronio Longo cos. Sipontum, in agrum qui Hirpinorum fuerat, coloniam ciuium Romanorum III. viri D. Iunius Brutus, M. Baebius Tamphilus, & M. Heluius deduxerunt. Haec eodem Liuio auctore, deserta colonia cum Buxento restituta est

Colonia LXI. Tempſa C.R

Liuius: Eodem anno quo Sipontum: Tempſam, item Crotonem ciuium Romanorum coloniae deductae ſunt. Tempſanus ager de Bruttijs captus erat. Bruttij Graecos expulerant. Tempſam L. Cornelius Merula, & C. Salonius deduxerunt

Colonia LXII. Croton C.R

Liuius libro XXXIIII. Africano II. & Longo cos. anno DLX. Tempſam & Crotonem ciuium Romanorum coloniae deductae. Crotonem Graeci habebant III. viri CN. Octauius, L. Aemilius Paullus, C. Plaetorius Crotonem deduxerunt

Colonia LXIII. Pyrgi

Haec eodem anno colonia deducta eſt quo ſuperiores, de qua ſic ſcribit libro XXXVI. Liuius: P. Scipione Naſica M. Acilio Glabrione cos. ſenatus decreuit colonias maritimas uacationem rei naualis non habere. Oſtia, Fregenae, Caſtrum nouum, Pyrgi, Antium, Tarracinae, Minturnae, Sinueſſaque

Colonia LXIIII. Latina Bononia

Liuius libro XXXVII. M. Fuluio Nobiliore, & CN. Manlio Vulſone cos. anno DLXV. Ante diem III. Kal. Ianuarias, Bononiam Latina colonia, ex S. C. L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappo III. viri deduxerunt. Tria millia hominum ſunt deducta, equitibus ſeptuagena iugera, ceteris colonis quinquagena ſunt data. Ager captus de Gallis Boijs fuerat, Galli Tuſcos expulerãt. Paterculus libro I. CN. Manlio Vulſone, M. Fuluio Nobiliore cos. Bononia deducta colonia. Feſtus Bononiam municipium ſui iuris appellat. Plinius libro III. cap. XV. In regione VIII. quae determinatur Arimino, Pado, Apennino intus

coloniae Bononia Felſina uocitata, quum princeps Etruriae eſſet, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia; Pomponius Mela libro II. *cap.* II. *Vrbium quae procul a mari habitantur opulentiſsimae ſunt, ad ſiniſtram Patauium Antenoris, Mutina, & Bononia Romanae coloniae*

Colonia LXV. Piſaurum

Liuius libro XXXIX. *P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino cos. anno* DLXX. *coloniae duae Pollentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum deductae ſunt, ſena iugera in ſingulos data, diuiſerunt agros colonosque deduxerunt ijdem* III. *viri Q. Fabius Labeo, M. & Q. Fuluij Flaccus, &* Nobilior. *Paterculus libro* I. *Quadriennium poſt Bononiam Piſaurum ac potentia colaniae deductae. Plutarchus in* Antonio. *Prodigia ante bellum Actiacum fuere. Piſaurum vrbem non longe ab Hadria, in qua Antonius colonos deduxerat hiatu terrae abſortum perijſſe*

Colonia LXVI. Potentia alias Pollentia

Haec eodem anno cũ Piſauro colonia deducta eſt, ut Liuius & Velleius tradunt

Colonia LXVII. Mutina C. R

Liuius libro XXXIX. *Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello cos. anno* DLXXI. *Mutina & Parma coloniae Romanorum ciuium ſunt deductae. Bina millia hominum in agro, qui proxime Boiorum, ante Tuſcorum fuerat. Octogena iugera Parmae, quina Mutinae acceperunt. Deduxerũt* III. *viri M. Aemilius Lepidus, T. Aebutius Carus, L. Quinctius Criſpinus. De hac colonia Polybius libro* III. *Cicero Philippica* VII. *Plinius libro* III. *cap.* XV. *& Pomponius Mela libro* II. *cap.* II. *mentionem faciunt*

Colonia LXVIII. Parma C. R

Haec eodem anno quo Mutina colonia facta eſt, ut paulo ante

ante uidimus

Colonia LXIX. Saturnia C.R

Liuius libro XXXIX. Q. Labeone, & M. Marcello cos. Saturnia colonia ciuium Romanorum in agrum Caletranum est deducta, deduxerunt III. viri Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio, Ti. Sempronius Gracchus. Ptolomeus libro III. cap. I. Tuscorum mediterraneae Saturnia colonia. Hanc coloniã inter eas praefecturas Festus enumerat, in quas praefecti quotannis a praetore vrbis mitti solebant

Colonia LXX. Latina Aquileia

Liuius libro XXXIX. Q. Labeone & M. Marcello cos. illud agitabant in senatu, uti colonia Aquileia deduceretur, nec satis constabat, utrum Latinam an ciuium Romanorum deduci placeret. Postremo Latinam potius coloniam deducendam patres censuerunt III. viri creati sunt P. Scipio Nasica. C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. Et libro XL. P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo cos. anno vrbis DLXXIII. Aquileia colonia Latina in agro Gallorum est deducta, Tria millia peditum quinquagena iugera, Centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt. III. viri deduxerunt, qui supra. Velleius; Interiectoque triennio Aquileia, & Grauiscae. Plinius libro III. cap. XVIII. In X. regione Italiae Venetia Natiso cum Turro praefluentes Aquileiam coloniam, XII. milla passuum a mari sitam, Carnorum haec regio. Strabo libro V. & Ptolemeus libro III. cap. I. eius coloniae meminerunt

Colonia LXXI. Grauiscae

Liuius libro XL. P. Cornelio Cethego, M. Baebio Tamphilo cos. Colonia Grauiscae deducta est in agrum Etruscum de Tarquiniensibus quondam captum, quina iugera agri data III. viri deduxerunt C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pul-

cher, & C. Terentius Ister. Eiusdem meminit Velleius, & Frontinus sic: Colonia Grauiscæ ab Augusto deduci iussa est, nam ager in absoluto tenebatur, postea imperator Ti. Caesar iugerationis modum seruandi caussa lapidibus immensis reip. loca adsignauit

Colonia LXXII. Latina Pisae

Liuius libro XL. A. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone cos. anno DLXXIIII. Pisanis agrum pollicentibus quo Latina colonia deduceretur, gratiae ab senatu actae III. viri creati ad eam rem Q. Fabibus Buteo, M. & P. Popillij Laenates. Ptolemeus libro III. eius coloniae meminit. Festus Pisas municipium sui iuris fuisse scribit

Colonia LXXIII. Luca C. R

Liuius libro XLI. C. Claudio Pulchro, Ti. Sempronio Graccho cos. anno vrbis DLXXVII. Lucam colonia, ∞ ∞ ciuium Romanorum sunt deducta. III. viri deduxerunt P. Aelius, L. Aegilius, Cn. Sicinius. Quinquagena & singula iugera & semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat. Etruscorum antequam Ligurum fuerat. Paterculus. Et post quadriennium Luca colonia deducta. Plinius libro III. cap. V. In regione VII. Primū Etruriae oppidum Luna portu nobile, colonia Luca a mari recedens, quam Festus municipium sui iuris uocat

Colonia LXXIIII. Auximum

Paterculus libro I. Auximum mißi coloni in Picenum ante triennium, quam Caßius censor a Lupercali in Palatium uersus Theatrum facere instituit, cui in demoliendo eximia ciuitatis seueritas, & cos. Caepio restitere. Fuit is annus urbis DXCVII. Sex. Iulio Caesare, L. Aurelio Oreste cos. Huius coloniae multae antiquae inscriptiones meminere sic

III. VIR. IN. COL. AVXIM. BIS
Item
M. OPPIO. CAPITONI
PATRONO. COL. AVXIM

Colonia LXXV. Fabrateria

Paterculus libro I. Caßio Longino & Sextio Caluino cos. anno vrbis DCXXX. Fabrateria colonia deducta est. Frontinus de Colonijs: Fabrateria muro ducta. Iter populo non debetur. Ager eius iure ordinario est diuisus

Colonia LXXVI. Scylacium

Paterculus libro I. Caßio Longino & Sextio Caluino cos. anno DCXXX. Frabateria deducta colonia est. Et post annũ Scylacium, Mineruium, Traentum, Neptunia, Carthagoq; in Africa prima extra Italiam colonia condita est. De Dertona ambigitur

Colonia LXXVII. Mineruium

Eodem anno quo Scylacium auctore Velleio deducta colonia anno vrbis DCXXXI Q. Caecilio Metello Balearico, T. Quinctio Flaminino cos

Colonia LXXIII. Tarentum

Et haec cum Scylacio, & Mineruio colonia ut tradit Velleius deducta est. De qua Plutarchus in Gracchis ita scribit C. Gracchus tribunus plebis legem promulgauit ut Tarentũ, & Capua coloniae deducerẽtur Drusus uero eius collega ut XII. fierent, quod senatus probauit. Tacitus libro IIII. Nerone IIII. & Coßo Cornelio cos. Veterani Tarentum, & Antium adscripti. Non enim ut olim uniuersae legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & suis cuiusque ordinis militibus. Strabo libro VI. Tarentum (inquit) Romanorum colonia

Colonia

Colonia LXXIX. Neptunia

Cum Scylacio, Mineruio, & Tarento colonia, auctore Velleio deducta anno vrbis DCXXXI

Colonia. LXXX. Iulia Dertona

Et haec circa haec tempora ut tradit Paterculus, colonia facta est; de qua Plinius libro III. cap. V. Ab altero Apennini latere ad Padum amnem Italiae ditißimum omnia nobilibus oppidis nitent. Liburna, Dertona colonia, Iria. Haec regio ex descriptione Augusti IX. est. Vetus lapis

ORIVNDO EX. ITALIA. IVL. DERTONA

Colonia LXXXI. Nola

Anno vrbis DCXXXI. Q. Balearico & T. Quinctio Flaminino cos. quo C. Gracchus primum tribunatum geßit, XII. vt ait Plutarchus uel X. ut Appianus, lege Drusi tribuni plebis coloniae factae, in quarum singulas tria millia ciuium deducta, quibus deducendis ipse praeesse noluit sed alios praefecit. Adijcit Florus ex Liuio in epitoma libri LX. C. Gracchus tribunus plebis continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrarijs latis effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur, & una in solo dirutae Carthaginis, quo idē ipse III. vir creatus coloniā deduxit. Idē refert Appianus libro I. bellorum ciuilium. Quae autem fuerint ab auctoribus non produntur. Ego has fuisse opinor Scylacium, Mineruium, Tarentum, Neptuniam, Dertonam, quas Velleius scribit hoc anno deductas fuisse; item Nolam, Ariciam, Lauininm, Abellinum, Ferentinum, Tarquinios, & extra Italiam Carthaginem. Nam has omnes urbes paulo post colonias fuisse legimus, nec quando deductae fuerint apparet. Quae quū ante haec tempora factae non sint, reliquum est ut eas hoc anno legibus Sempronia, et Liuia deductas dicamus, quarū una fuit Nola. De qua scribit ex Liuio Florus in epitoma libri LXX.

III. L. Caesar consul male aduersus Samnites pugnauit. Nola colonia in potestatem Samnitium cum L. Postummio pr. uenit, qui interemptus est. Festus: Nolam municipium sui iuris fuisse tradit. Frontinus de coloniis: Nola muro ducta colonia Augusta, Vespasianus Augustus deduxit, iter populo debetur P. CXX. ager eius militibus Sullanis fuerat adsignatus, postea intercisiuis mensuris colonis ut familiae est adsignatus. Plinius libro III. cap. V. Regio ea a Tiberi prima Italiae seruatur ex descriptione Augusti: intus coloniae Capua, Aquinũ, Suessa, Venafrum, Sora, Theanũ, Nola. Antiquus lapis

T. TETTIENVS. T. F. FELIX
PATRON. COL. NOLANAE

Item

L. SICINIO. L. F. SER. VALENTI
PATRONO. MVNICIPI. CVRAT
REIP. NOLANORVM. S. P. Q. NOLANVS
D. P.

Colonia XXCII. Aricia C. R

Florus ex Liuio in epitoma libri XXX. Marius Antium, Ariciam, Lauinium colonias deuastauit. Aricia autem ex antiquo municipio colonia facta fuerat

Colonia XXCIII. Lauinium

Haec (ut puto) una ex XII. colonijs hoc anno deductis fuit, de qua bello Marsico meminit ex Liuio Florus libro XXX

Colonia XXCIIII. Abellinum

Abellinum (inquit Frontinus) muro ducta colonia lege Sempronia. Iter populo non debetur, ager eius ueteranis est adsignatus. Velleius libro II. de C. Sempronio Graccho loquẽs; C. Gracchus tribunatum ingressus longe maiora & acriora repetens, dabat ciuitatem omnibus Italis, extendebat eam paene usque ad alpes, diuidebat agros, uetabat quemquam ciuem

plus

plus quingentis iugeribus habere, noua constituebat portoria, nouis colonijs replebat prouincias, iudicia a senatu transferebat ad equites, frumentum dare instituerat. Ex quibus uerbis intelligo Abellinum & reliquas colonias quas Frontinus lege Sempronia deductas scribit, ex his XII. fuisse, quae hoc anno ab ipso, et Druso tribunis plebis deductae sunt

Colonia XXCV. Ferentinum

Frontinus in libro de colonijs: Ferētinensis colonia lege Sēpronia est adsignata, sed quod ante limitibus centuriatis fuerat adsignata, postea deficiētibus veteranis iuxta fidē possessionis est recēsita, numeris uncialibus termini sunt constituti. Liuius libro XXXIIII. Nouum ius eo anno a Frentinatibus tentatum, ut Latini qui in coloniā Romanā nomina dedissent ciues Romani essent. Sed hic de populis loquitur non de hac colonia

Colonia XXCVI. Tarquinij

Tarquinij colonia lege Sempronia est adsignata, cuius agri mensurā in trigono, varijs locis est contecta. Ita Frontinus de colonijs. Hāc coloniā Cicero pro Caecina municipiū appellat

Colonia XXCVII. Eporedia

Paterculus libro I. Narbo Marcius in Gallia M. Porcio, & Q. Marcio cos. anno vrbis DCXXXVI. deducta colonia est. Post tres et uiginti annos in Baciēnis Eporedia Mario VI. Valerioq; Flacco cos. anno vrbis DCLIIII. Neq; facile memoriae mandauerim, quae nisi militaris colonia post hoc tēpus deducta sit. Plinius libro III. cap. XVII. In regione XI. Trāspadana Augusta Praetoria iuxta geminas Alpium fauces Graias at Poeninas, his Poenos, Graijs Herculē transisse memorant. Oppidū Eporedia sibyllinis libris a populo Romano cōdi iussū. Eporedicas Galli bonorū equorū domitores uocāt

Colonia XXCVIII. Alba Pompeia

Anno ab vrbe condita DCLXIIII. L. Iulio Caesare, P. Ruti-

Rutilio cos. qui primus belli Marſici fuit, quum lege Iulia Latinis, Tuſcis, et vmbris primũ ipſo anno, deinde anno ſequenti Cn. Pompeio Strabone, & L. Porcio Catone cos. Gallis ciſpadanis ciuitas data fuiſſet, Trãſpadani indignati eorũ rationem in iure ciuitatis Romanae habitam non fuiſſe, tumultuari coeperunt. Quibus tumultibus ſedandis a ſenatu cura data eſt Põpeio conſuli. Is Gallis quidẽ ciſpadanis ciuitate donata, ut Trãſpadanos quietaret, eos iure Latij honorauit, aliquotq; tam citra, quã ultra Padum colonias deduxit. Citra Padum quidem colonias Romanas, ultra uero Latinas eas fecit. In his quae cis Padum fuerunt, Alba Pompeia ut opinor colonia fuit ab ipſo uocata, ut Laus Pompeia uls Padum. Neq; enim ullus praeter ea Pompeius in hiſce regionibus quid geßiſſe legitur. An colonias uero cis Padum deduxerit ut ueriſimile, ita obſcurum eſt

Colonia XXCIX. Auguſta Verona

Pedianus in Piſonianã ita ſcribit, ubi de Placẽtia loquitur: Neq; illud dici poteſt ſic eam coloniã eſſe deductã, quẽadmodũ poſt plures aetates Cn. Põpeius Strabo pater Cn. Pompeij magni Tranſpadanas colonias deduxerat. Põpeius enim nõ nouis colonis eas cõſtituit, ſed ueteribus incolis manẽtibus ius dedit Latij, ut poßẽt habere ius, quod ceterae Latinae coloniæ, ideſt ut gerẽdi magiſtratus gratia, ciuitatẽ Romanã adipiſcerẽtur. Porro duo genera earũ coloniarũ quae a populo Romano deductae ſunt, fuerunt* itaq; aliae Latinorũ eſſent* de ſe aũt etc. Hic locus mutilus eſt ut apparet, quẽ ego ſic reſtituerẽ: ut aliae ciuiũ Romanorũ, aliæ Latinorũ eſſent. Ex his Pediani uerbis illud, quod dixi, colligimus, deductis aliquot colonijs, ipſum Tranſpadanis ius Latij ciuitati Romanae proximũ dediſſe, poſtquam ciuitas reliquis Italicis populis (quos enumeraui) data eſſet a ſuperioribus conſulibus Iulio, & Rutilio. Porro autem inter Tranſpadanas Latinas colonias a Pompeio dedu-

ctas fuisse opinor (nullus enim de his aperte quod sciam scriptor tradit) Veronã & Ateste Venetorum, Brixiã, & Comum Coenomanorum, Laudẽ Pompei Insubrum. Nam Veneti, quamquam eos nunquam legamus a Romanis uictos, uel subactos, aut triumphatos, ex quo enim in amicitiam & foedus Romanum, bello Gallico Cisalpino auctore Strabone, uenerunt, diu in populi Rom. amicitia libere egere, postea tamen in consuetudinem parendi Romanis clementer prouocantibus, & ipsi uenerunt, omnibus praesertim circum finitimis nationibus, & gentibus, ut Insubribus, Coenomanis, Carnis, Iapudibus, Istris, & Boijs multis proelijs bello superatis, ac in ditionem populi Romani redactis. De his colonijs transpadanis meminit Tranquillus in Caesare, ubi eas colonias Latinas uocat sic: Decedens ergo ante tempus colonias Latinas de petenda ciuitate agitantes adijt. Et ad audendum aliquid concitasset, nisi consules conscriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipsum retinuissent. Veronam uero unam ex his colonis Latinis Trãspadanis a Pompeio Strabone deductis fuisse refert incertus auctor in Panegyrico ad Constantinum Imperatorem sic: Pugnacißimo praefecto; ut quam coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus euerteret, o miserabilem Veronensium calamitatem. & &c. Tacitus libro XIX. Quaesitum inde quae sedes bello legeretur, Verona potior uisa patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua preualebant, simul coloniam copijs ualidam auferre Vitellio in rem famamque uidebatur. Antiqua haec inscriptio Veronae eam coloniam Augustam uocat ita

COLONIA AVGVSTA. VERONA, NOVA. GALLIENIANA. VALERIANO. II. ET. LVCILLO COSS. MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI EX. DIE. III. NONARVM. APRILIVM. DEDICATI

CATI. PRID. NON. DECEMBRIS. IVBENTE SANCTISSIMO. GALLIENO. AVGVSTO. N. INSISTENTE. AVRELIO. MARCELLINO. V. P DVC. DVC. CVRANTE IVLIO. MARCELLINO

Deducta igitur fuit Latina colonia Verona cũ reliquis Trãspadanis Cn. Põpeio Strabone, et M. Porcio Catone cos. anno vrbis conditae DCLXV. *Cui postea, et reliquis colonijs Trãspadanis C. Caesar dictator creatus ciuitatem Romanam donauit. Non piguit autem in patriae discriptione diutius immorari*

Colonia XC. Ateste Venetorum

Haec proculdubio una ex Trãspadanis colonijs fuit a Cn. Pompeio cum Verona & reliquis deducta, de qua scribit Plinius libro III. *cap.* XIX. *In mediterraneo regionis* X. *Coloniae Cremona, Brixia Coenomanorum agro, Venetorum autem Ateste*

Colonia XCI. Brixia Coenomanorum

Haec & ipsa ab eodem Cn. Pompeio Strabone Latina colonia deducta est, atque postea cum reliquis colonijs Transpadanis a C. Caesare dictatore ciuitate donata. De cuius magistratibus Questore, Aedili, IIII. *viris uiri dicundo,* IIII. *viris quinquennalibus,* VI. *viris augustalibus multa mentio est in antiquis eius vrbis epigrammatibus, haud multo tempore ante effoßis*

Colonia XCII. Comum alias Nouocomum

Strabo libro V. *Comum mediocris colonia erat, sed Pompeius Strabo Magni pater colonos restituit; eã Rheti uastauerant. C. Scipio tria millia hominum addidit, Caesar quinque millia, ex quibus quingenti Graeci ciuitate donati. Hi Nouum Comum uocauere. Appianus libro* II. *Bellorum ciuilium Caesar Nouumcomum condidit in Alpibus, & qui illic magi-*

stratum

ſtratum geßiſſent ciues Romanos eſſe uoluit

Colonia XCIII. Laus Pompeia

Huius coloniae, quamquam nullus quod ſciam uetuſtus auctor mentionem faciat, proculdubio tamen a Cn. Strabone Latina colonia et ipſa tranſpadum deducta eſt, a quo & cognomen accepit

Colonia XCIV. Arretium

Haec colonia ante Ciceronis tempora, et forte a Sulla militaris deducta fuit, de qua idem Cicero pro L. Muraena ſic ſcribit: Catilinam circumfluente colonorum Arretinorum & Feſulanorum exercitu alacrem incedere. L. Florus libro LXXVII. L. Sulla ciuitatis ſtatum ordinauit: exinde colonias deduxit. Frontinus: Arretium muro ducta colonia lege III. virali iter populo non debetur, ager eius limitibus eſt adſignagnatus. Et alibi. Colonia Arretina lege Auguſta cenſita limitibus Gracchanis, qui recturas maritimas & montanas ſpectabant, poſtea per cardines decimano & duodecimano eſt adſignata, & numerus centuriarum manet. etc. Haec colonia in ueteri inſcriptione municipium dicitur ſic

L. AVSIMVS. L. F. PVB. FARRIANVS
C. C. MVNICIP. ARRETIN

Colonia XCV. Feſulae

Et haec ut exiſtimo a L. Sulla dictatore colonia deducta eſt, de qua Cicero pro Muraena meminit. Quandoquidem ex Liuio Florus eum in conſulatu colonias deduxiſſe ſcribit

Colonia XCVI. Bouilla

Bouilla lege Sullana eſt circundatum, iter populo non debetur, agrum eius ex occupatione milites ueterani tenuerunt in ſortem. Frontinus. Hanc Cicero Philipica II. appellat municipium

Colonia

Colonia XCVI. Sueſſula

Oppidum muro ductum, lege Sullana eſt deducta, iter populo non debetur, ager eius ueteranis militibus Sullanis in iugeribus eſt adſignatus. Frontinus. Haec uetus praefectura, et municipium ſine ſuffragij iure fuit

Colonia XCII. Pompei

De hac colonia Cicero pro Sulla ſic mentionem facit: Diſiunxit Pompeianos a colonis, ut hoc diſsidio ac diſcenſione facta, oppidum in ſua poteſtate eſſet, & Pompeianos haberet quum ab hoc illa colonia deducta ſit, & quum commoda colonorum a fortunis Pompeianorum P. R. fortuna diuiſerit, ita carus utriſque eſt Has autem quinque colonias a Sulla deductas fuiſſe opinor, quod is multas colonias militares feciſſe tradatur, atque hae ante Ciceronis aetatem iam coloniae factae fuerint. Florus libro LXXVII. L. Sulla cos. colonias deduxit. Et libro XXCIX: Sulla Nolam in Samnio recepit. XLVII. legiones in agros captos deduxit, et eos ijs diuiſit. Multisque municipijs, ut tradit Cicero pro Caecina, ciuitatem ademit

Colonia XCIIX. Capua Iulia Felix

Paterculus: Caeſar in conſulatu (is eum geſsit anno vrbis DCXCV. cum M. Bibulo) legem tulit, ut ager Campanus plebei diuideretur, ſuaſore legis Pompeio. Ita circiter XX. millia ciuium eò deducta, & ius his reſtitutum poſt annos circiter CLII. quam bello Punico a Romanis Capua in formam praefecturae redacta erat. Frontinus de colonijs. Capua muro ducta colonia Iulia Felix iuſſu Imp. Caeſaris a XX. viris eſt deducta. Iter populo debetur P. C. Ager eius lege Sullana fuerat adſignatus, poſtea Caeſar Auguſtus in iugeribus militi pro merito diuidi iuſsit. Calatia oppidum muro ducta, iter populo debetur P. LX. Coloniae Capuenſi cum territorio ſuo

a Sulla Felice adiudicata olim ob hostium pugnam. Cicero in Rullum II. Neque te P. Rulle omina illa M. Bruti atque auspicia a simili furore deterrent; nam et ipse qui deduxit, & qui magistratum Capuae ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorũ poenas pertulerunt: idẽ. Quũ uenissem Capuam coloniam deductam L. Considio, & Sex. Saltio, quem admodum ipsi loquebantur, praetoribus, nam quum ceteris in colonijs duumuiri appellentur, hi se praetores appellari uolebant. Et paulo post: Huc isti decemuiri quum numerũ colonorum ex lege Rulli deduxerunt, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerunt: quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam esse putatis? Idem Philippica II. Consuluisti me per litteras de Capua tu quidem, sed idem de Casilino respondissem, posses ne ubi colonia esset, eò coloniam nouam inde ducere? negaui in ea coloniam quae esset auspicato deductam, dum esset incolumis, coloniam nouam iure deduci, colonos nouos adscribi posse rescripsi. Plinius libro III. cap. V. Regio ea a Tiberi prima Italiae seruatur ex descriptione Augusti. Intus coloniae Capua, a Capi dicta, Aquinum, & cet

Colonia Bouianum Vetus

Et haec a Caesare ut puto iam dictatore, deducta est (nullus enim deinceps ita in eis digerendis temporis ordo accuratus seruari poterit) De qua sic scribit Frontinus: Bouianum oppidum lege Iulia milites deduxerunt sine colonis, iter populo amplius non debetur quam P. X. Ager eius per centurias & scamna est adsignatus. Plinius libro III. cap. XII. In regione IIII. Italiae Samnitium, quos Sabellos & Graeci Saunitas dixere, colonia Bouianum uetus, & alterum cognomine Vndecumanorum

Co

Colonia Veij

Veij colonia priusquam oppugnaretur. Ager eius militibus est adsignatus ex lege Iulia. Postea deficientibus his ad vrbanam ciuitatem adsociandos censuerat diuus Augustus, nam uarijs temporibus, & a diuis Imperatoribus agri sunt adsignati. Frontinus in libro de colonijs

Colonia Aufidena

Aufidena muro ducta colonia iter populo debetur P. X. milites eam lege Iulia sine colonis deduxerunt

Colonia Casilinum

Cicero Philippica II. in M. Antonium. Deduxisti coloniam Casilinum, quod Caesar ante deduxerat, omni auspiciorum iure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut uexillum uideres, & aratrum circumduceres, cuius quidē nomine portam Capuae paene perstrinxisti, ut florentis coloniae territoriū minueretur. Haec auctore Festo uetus praefectura fuit

Colonia Calatia

Et haec a C. Caesare deducta fuit, ut ex his Velleij uerbis intelligitur libro II. vbi de Augusto loquitur sic: Primumq; a Calatia mox, Casilino ueteranos exciuit paternos, quorum exemplum sequuti alij breui in formam iusti coiere exercitus

Colonia Lanuuium

Lanuuium colonia ex municipio uetere facta est a C. Caesare dictatore, ut tradit Frontinus sic: Lanuuium muro ductum, colonia deducta a diuo Iulio. Ager eius in limitibus Augusteis pro parte est adsignatus militibus ueteranis, & pro parte uirginum Vestalium lege Augustana fuit adsignatus. Sed postea Imp. Hadrianus colonis suis agrum adsignari iussit

Colonia Forum Iuli

Haec ut existimo a Caesare etiam deducta fuit, quod nomē ipsum declarat, de qua Ptolomeus libro III. cap. I. sic meminit; Carnorum mediterraneae coloniae, Forum Iulij, & cet

Colonia Iulia Hispella

Hanc quoque a Caesare deductam nomen ipsum indicat. Cuius uetus haec inscriptio meminit

C.ALFIVS.C. F. LEM. RVFVS
II.VIR.QVIN.COL.IVL.HISPELL

Haec etiam municipium dicitur, ut hic

GENIO. MVNICIPI. HISPEL. SACR

Colonia Pola, alias Pietas Iulia

Et hanc ex nomine a Caesare deductam opinor: de qua sic scribit Plinius libro tertio, cap.XIX. In decima regione oppida Istriae ciuium Romanorum Aegida, Parentium, colonia Pola, quae nunc Pietas Iulia, quondam a Colchis condita, abest a Tergeste centum millia passuum, mox oppidum Nesactiū. Hae autē sunt omnes coloniae militares, quas à Caesare dictatore deductas, uel inuenerim, uel coniectura consequi potuerim

Colonia Aquinum

Nunc eas colonias adijciam, quas a triumuiris R.P.C. Lepido, Antonio, & Caesare deductas fuisse inuenerim. Quarum prima ordine alphabetico est Aquinum, de qua ita scribit Frōtinus: Aquinum muro ducta Colonia, lege triumuirali deducta, iter populo debetur p.XXC. Ager eius perennis militibus est adsignatus. Plinius libro tertio, cap. quinto. In regione prima Italiae coloniae Capua, Aquinum, Suessa, &c. Tacitus libro decimoseptimo. Sub Othone: Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem. Haec colonia municipium uocatur a Cicerone in oratione pro Plancio. Nā

ante coloniam a triumuiris deductam, municipium lege (ut opinor) Iulia factum fuerat

Colonia Iunonia Falisca Etruscorum

Frontinus: Colonia Iunonia, quae appellatur Falisca a triumuiris est adsignata, & modus iugerationis est datus, in qua limites intercisiui sunt, directi lege agraria. Plinius libro III. cap. V. in regione VII. Tuscia, intus coloniae Falisca Argis orta, ut auctor est Cato, quae cognominatur Etruscorum, Lucus Feroniae, & cet.

Colonia Florentia

Frontinus. Florentina colonia deducta a triumuiris, adsignata lege Iulia centurijs Caesariana iugera CC. per cardines, & decumanos. Huius coloniae meminit Tacitus

Colonia Foedaturae

Colonia Foedaturae, ea lege qua ager Florentinus, in centurijs singulis iugera CC. termini lapidei, alij sextales, alij molares. Frontinus

Colonia Formiae

Frontinus: Formias oppidum triumuiri sine colonis deduxerunt. Iter populo non debetur. Ager eius in absoluto resedit, pro parte in lacineis est adsignatus. Finitur terminis siliceis, & Tiburtinis. Haec ante uetus municipium, & praefectura fuit

Colonia Telesia

Telesia muro ducta colonia, a triumuiris deducta. Iter populo debetur P. triginta. Ager eius limitibus Augusteis in nominibus est adsignatus. Frontinus

Colonia Tuder Fida

Tuder Fida colonia ea lege, qua & ager Florentinus in cẽturijs singulis iugera CC. Termini lapidei, alias saxei, alias molares. Frontinus. Et uetus lapis

IMPERIVM
PRO . SALVTE . COLONIAE
ET. ORDINIS . DECVRIONVM
ET . POPVLI . TVDERTIS

Colonia Venafrum

Frontinus: *Venafrum (inquit) oppidum triumuiri deduxerunt sine colonis, iter populo debetur p. xx. Ager eius in lacineis limitibus intercessiuis est adsignatus, sed summa montium iure templi deae ab Augusto sunt concessa.* Plinius libro III. cap. v. *In regione prima Italiae, intus coloniae, Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, &c. Venafrum uero una ex his antiquis praefecturis a Festo fuisse refertur, in quas praefectos quotannis praetor mittere solebat*

Colonia Volaterrae

Volaterrae colonia lege III. uirali est adsignata in centurias singulas iugera ducenta, decimanis cardinibus est adsignata, quam omnes ueterani, in portionibus diuisam pro parte habuerunt. Frontinus

Colonia Vlubra

Vlubra oppidum a III. uiris erat deductum, postea a Druso Caesare extructum, ager eius in omnibus est adsignatus: iter populo non debetur. Frontinus

Colonia Rhegium

Nunc colonias quas Augustus Caesar deduxit exponam, quarum forte prima fuit Rhegium, de qua Strabo libro V. sic scribit: Caesar Augustus fugato ex Sicilia Sex. Pōpeio, quum desertam vrbem Rhegium reperijsset, per multos ex classe eius ibidem fecit colonos. Haec in uetusta hac inscriptione municipium appellatur

TI.EFRVENVS.TI.F.SABINVS.TESTAMENTO
LEGAVIT. MVNICIPIBVS. RHEGINIS

Colonia Acerrae

Acerrae muro ducta colonia, diuus Augustus deduci iussit, iter populo debetur P. LXXX. Ager eius in iugeribus est adsignatus. Frontinus Haec colonia uetus municipium, & praefectura fuit

Colonia Alatrum

Alatrum muro ducta colonia, Augustus deduxit, iter populo non debetur, ager eius per centurias & strigas est adsignatus. Frontinus. Haec etiam municipium in antiquis inscriptionibus appellatur sic

C.IVLIO. AVG. L. HELENO. EX. DECRETO
DECVR. MVNICIPI. ALETRINATIS. ET
POLLICITATIONE.SEVIR. ET. MVNICIPVM
ET. INCOL. OB. MERITA. EIVS

Colonia Atella

Frontinus: Atella muro ducta colonia, deducta ab Augusto. Iter populo debetur P. CXX. Ager eius in iugeribus est adsignatus. Atella uetus ante tum municipium, tum praefectura fuit

Colonia Augusta Taurinorum

Hanc cum Augusta praetoria Salassorum ab Augusto Caesare deductam existimo, quando ipse, auctore Strabone, egregia contra Salassos uictoria potitus eorum prope nomen deleuerit. De quibus sic libro III. cap. XVII. scribit Plinius In Transpadana regione XI. coloniae ab alpium radicibus Augusta Taurinorum antiqua Ligurum stirpe, inde nauigabili

 Pado

Pado, dein Salassorũ Augusta praetoria, iuxta geminas alpiũ fauces Graias, atque Poeninas

Colonia Augusta Praetoria Salassorum

De hac praeter Pliniũ meminit Ptolomeus libro III. *cap.* I. *sic: Salassorum qui sub Insubribus sunt ciuitates, Augusta praetoria colonia*

Colonia Bouianum Vndecumanorum

Huc undecimam legionem post bella ciuilia ab Augusto de ductã coloniã fuisse innuere uidetur Plinius libro III. *cap.* III

Colonia Copiae, alias Thurii

Strabo libro VI. *Thurios Tarentini euerſere, Romani colonos paucos deduxere Copiasque coloniam appellauerunt. Hanc ab Augusto deductam opinor, post bellum Siculum*

Colonia Cortona

Dionysius qui sub Augusto uixit: Croton colonia Romanorum, Cortona nuper appellata est. Haec in Tuscia erat

Colonia Cumae

Cumae muro ducta colonia, ab Augusto deducta, iter populo debetur pedes LXXX. *Ager eius in iugeribus ueteranis pro merito est adsignatus iussu Claudi Caesaris. Frontinus. Vetus aliquando municipium, aliquando praefectura haec colonia fuit Festo & Liuio auctoribus*

Colonia Fanum Fortunae, alias Iulia Fanestris

Hanc Ab Augusto deductam nomen declarat, quando is Tranquillo auctore, duodetriginta colonias deduxerit. Plinius libro III. *cap.* XIIII: *In regione sexta colonia Fanũ Fortunae, Pisaurum. Pomponius Mela libro* II. *cap.* II. *A Pado ad Anconam, transitur Rauennam, Ariminum, Pisaurum, Fanestris colonia, flumen Metaurus, atque Aesis. Vetus lapis*

L. OP-

L.OPPIVS.SEX.F.L.N.BARBATVS
PROC. COL. FAN
item
II.VIR. Q.Q. CORP. DENDROPHOROR
COLON. FANESTRIS. D. D
item
Q. DIVINIVS. Q.F. APPIO
TABVLARIVS.CORPOR.DENDROPHOR
COL. IVL. FANESTRIS

Colonia Nuceria

Nuceria Constantina muro ducta colonia. Deducta iussu imp. Augusti, iter populo debetur P.LX. Ager eius limitibus Iulianis lege Augustana militibus est adsignatus, & alibi in absoluto resedit. Liuius libro XXVII. Nucerinos quaerentes ubi habitarent Nuceria deleta, Atellā, qūia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare iussis, transducti M. Marcello, & M. Laeuino cos. Ptolomeus libro III. cap.I. Vmbrorum qui sunt supra Tuscos Nuceria colonia, postea Picentinorum Nuceria colonia

Colonia Orientium

Orientium colonia lege Augusti censita est limitibus Gracchanis, qui recturas maritimas, & montanas spectant, postea per cardines, decumanos, & duodecumanos adsignata est. Frontinus

Colonia Priuernum

Priuernum oppidum muro ductum coloniam militibus deduxit imp. Caesar sine colonis. Iter populo debetur P.XXX Ager eius pro parte cultus iugeribus est adsignatus. Ceterū in lacineis uel in absoluto remansit. Frontinus. Priuernum uetus municipium & praefectura ante fuit, auctore Festo

Colonia Rauenna

Strabo libro v. Ariminum vmbrorum colonia, ut Rauenna, ſed utraque Romanos habet inquiiinos. Haec ab Auguſto inſtituta eſt, quum claſſem in eius portu inſtruxit, quae Hadriatico ſinu tuendo excubaret

Colonia Tergeſte

Haec ut ex hac antiqua Tergeſtina inſcriptione liquet IMP. CAESAR. COS. DESIG. TERT. III. VIR. R. P. C. ITER. MVRVM. TVRRESQVE. FECIT *ab Auguſto deducta eſt. De qua Plinius libro* III. *cap.* XVIII *In* X. *regione Italiae, Tergeſtinus ſinus, colonia Tergeſte* XXXIII. *mille paſſuum ab Aquileia. Ptolomeus libro* III. *cap.* I *Iſtriae poſt flexum intimi Hadriatici ſinus, Tergeſte colonia*

Colonia Theanum Sidicinum

Frontinus: Theanum quod & Sidicinum colonia deducta a Caeſare Auguſto, iter populo debetur P. XX CV. *Ager eius limitibus metricis omnibus eſt adſignatus. Plinius libro* III. *cap.* V. *In regione prima Italiae, coloniae Capua, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora, Theanum Sidicinum, & Nola. Hae autem ſunt coloniae quas pro conſtanti Auguſtum Caeſarem deduxiſſe inueni. Sequũtur hae tres praeterea coloniae a Nerone Claudio, fratre, & Druſo Caeſare filio Tiberij imperatoris factae, de quibus ſcribit Frontinus*

Colonia Atina

Atina muro ducta colonia; deduxit Nero Claudius, iter populo non debetur. Ager eius pro parte in lacineis, & ſtrigis eſt adſignatus. Frontinus

Colonia Anagnia

Haec ex municipio a Druſo Caeſare deducta colonia eſt. De qua ita ſcribit Fontinus: Anagnia muro ducta colonia

Druſi

Drusi Caesaris, populus dederat, iter populo non debetur, ager eius per strigas est adsignatus. Haec colonia municipiũ uetus, & praefectura ante fuerat

Colonia Calagna

Calagna muro ducta colonia iussu Drusi Caesaris populus deduxit, iter populo non debetur, ager eius ueteranis est adsignatus. Frontinus dẽ colonijs

Coloniae incerto tempore deductae

Colonia Abella

Abella municipiũ coloniae, uel familiae imp. Caesaris Vespasiani iussu acceperunt, postea in lacineis ager eius in iugeribus militi est adsignatus, iter populo debetur

Colonia Aesis

Huius coloniae non nisi in uetustis his epigrammatibus mẽtionem extare didici sic

PATRONO . COL . AESIS

item

PATRONO . COL. AVXIM

E|T . COL. AESIS

ET. MVNIC . NVMANAT

item

PLEBS . COLON. AESIS

Colonia Ancon alias Ancona

Plinius libro III. cap. XIII. Quarta regione Piceni Numana a Siculis condita. Ab eisdem colonia Ancon apposita promontorio Cumero in ipso flectentis se ore cubito. Vetus inscriptio

DECVRIONES. ET. PLEBS
COLONIAE. ANCONITANORVM

Colonia

Colonia Apulesium

Huius coloniae tantum uetus hic lapis meminit

P. AELIO. P. F. PAPIR. MARCELLO
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIAE. APVLESIVM

Colonia Asculum

Plinius libro XIII. *cap.* XIII. *In quinta regione Piceni Cupra oppidum, castellum Firmanorum, & supra id colonia, Asculum Piceni nobilissima. Asculum Cicero pro Sulla municipium uocat. Vetus epigramma*

DECVRIONES. ET. PLEBS
COLONIE. ASCVLANORVM

Colonia Asta

Ptolomeus libro III. *cap.* I. *In Liguria Asta colonia*

Colonia Brixillum

Plinius libro XIII. *cap.* XV. *In octaua regione coloniae Bononia, Brixillum, Mutina. De hoc oppido plura scribit Tacitus libris* XVII. *&* XIX *clade Othonis insigne*

Colonia Caedicia

Vetus epigramma tantum quod sciam, hanc coloniam commemorat ita

DVOVIR. MVLSVM. ET. CRVSTVM
COLONIS. SENVISSANIS. ET. CAEDICIANIS

Colonia Capis

Capis coloniae pro aestimo vbertatis, & naturae locorũ sunt agri adsignati, nam termini in uarijs locis sunt positi. Frontinus

Colonia

Colonia Concordia

Plinius libro III. *cap.* XIIX. *In decima regione Venetia, colonia Concordia. Ptolomeus lib.* III. *cap.*I. *Carnorum mediterraneae coloniae, Forum Iulij, Concordia, Aquileia*

Colonia Gabij

Lapis uetus extat Zagaroli, quod oppidum olim Gabios fuisse creditur sic exaratus:Hanc Cicero Philippica II. *municipium uocat*

CN. ARRIO. CN. F. PVB. AXIMIO
PATRNO. ORDIN. ET. COLON

Colonia Istonium

Huius coloniae mentio est in uetusta quadam, quam supra rettuli, inscriptione

Colonia Laurolauinium

Laurolauinium lege & consecratione ueteri manet. Ager eius ab Imperatoribus Vespasiano Traiano, & Hadriano in lacineis est adsignatus, iter populo non debetur. Frontinus de colonijs

Colonia Lucus Feroniae

Plinius libro III. *cap.* V. *In regione* VII. *intus coloniae Falisca Etruscorum, Lucus Feroniae, Rusellana, Senensis, Sutrina*

Colonia Lupia

Vetus inscriptio PATRONO.COL.LVPIENSIVM
PATRONO. MVNICIPI

Colonia Neapolis

Vetusta epigrammata

PATRONO.COLONIAE.NEAPOLITANAE

item

GENIO. COLONIAE. NEAP

item

item

ORDO ET. POPVLVS. NEAPOLITANVS

item

S. P. Q. NEAPOLITANVS. DD

L. BAEBIO. L. F. GAL. COMINIO

PATRONO. COLONIAE

Colonia Pampia

Vetus inſcriptio

CENAM. COLONIS

SENVISSANIS. ET. PAMPIIS

Colonia Praeneſte

A Gellius libro XVI. *cap.* XIII. *D. Hadrianus in oratione quam de Italicenſibus, unde ipſe ortus fuit, in ſenatu habuit, Praeneſtinos refert maximopere a Tiberio Imp. petiſſe, oraſſeque ut ex colonia in municipij ſtatum redigerentur, idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuiſſe, quod in eorum finibus ſub ipſo oppido, ex capitali morbo reualuiſſet. Feſtus Praeneſte municipium ſui iuris uocat. Vetus inſcriptio*

PATRONO. COLONIAE

PRAENESTINORVM

Colonia Regium Lepidi

Ptolomeus libro III. *cap.* I. *In Gallia Togata Regium Lepidi colonia*

Colonia Ruſellana

Plinius libro III. *cap.* V. *huius coloniae in Tuſcia mentionem facit*

Colonia Saepinum

Saepinum oppidum muro ductum, colonia ab imp. Nerono Claudio eſt deducta, iter populo debetur P. L. ager eius in

Augusteis centurijs est adsignatus. Frontinus

Colonia Salpis

Huius coloniae meminit Frontinus in libro de colonijs: Salpis muro ducta colonia & cet

Colonia Sena

Plinius libro III. cap. V. In regione VII. Etruriae colonia Falisca, lucus Feroniae, Rusellana, Senensis, Sutrina

Colonia Senuisa

Antiqua inscriptio

DVOVIR. MVLSVM. ET. CRVSTVM
COLONIS. SENVISSANIS
ET. CAEDICIANIS

Item

CAENAM. COLONIS
SENVISSANIS. ET. PAMPIIS

Colonia Tolentinum

Tolentini uetus inscriptio haec adhuc extat

MAVORTI. ET. GENIO. COLONIAE

item

T. FLAMINIO
PONTIFICI. TOLENTIN

Tolentinatium in Piceno meminit Plinius libro III

Colonia Verulae

Verulae oppidum muro ductum, ager eius limitibus Gracchanis in nominibus est adsignatus; ab imp. Nerua colonis est redditus. Frontinus in libro de Colonijs

Atque haec sunt omnium coloniarum ciuium Romanorum, Latinarum, & militarium nomina, quas a Romulo usque ad imperij excidium deductas fuisse intra Italiam apud ueteres auctores, uel inscriptiones inuenerim. Quarum pars maior ordine

ordine temporum seruato, digesta est. Has uero posteriores, quarum tempora inuenire non potui, unà ordine alphabetico subiunxi. Nunc quae antiqua municipia, uel praefecturae fuerint ante legem Iuliam, exponam

DE.MVNICIPIIS

Municipiorum (ut dixi) duo genera fuerunt, alterum quod ius ciuitatis sine suffragio habebat, alterum uero, cui cum suffragij latione ciuitas data est. Primi omnium municipes, & sine suffragij iure facti fuerunt Caerites, quibus pro sacris Romanis bello Gallico receptis, custoditisque concessum est ut ciuitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negocijs tamen, atque oneribus uocarent, ut tradit Gellius libro XVI. cap. XIII. Hinc tabulae Caerites appellatae, in quas censores referri iubebant, quos notae caussa suffragijs priuabant, ut Asconius in Verrineis prodidit. Caere autem municipium haud longe post vrbem a Gallis captam, annumque vrbis CCCLXIII. factum est

Municipium Caere

Caerites primos municipes & eos sine suffragij iure fuisse supra ex Asconio & Gellio demõstraui. Hoc municipiũ inter eas praefecturas refert Festus in quas praetor urbanus praefectos creare solebat. Huic municipio ante legẽ Iuliã ciuitatem cum suffragio datam fuisse Festus aperte innuere uidetur quum illud eo iure quo Aricini fuerunt donatum scribat, & Aricinos ex Liuio, ciues Romanos fuisse constet cum suffragij latione. Vetus lapis

IMP. CAESARI. DIVI. F. AVGVSTO
PONTIF. MAXIM. S. P. Q. CAERES

Item

L.VILLONIO . ASELLO . AVGVRI
CENS. MVNICIPES ET. INCOL

Item

Item

SOLI. SANCTISSIMO. C. AEMILIVS
C. F. SCAPT. PROCVLEIANVS
SECVNDVS. DECVRIO MVNICIP. CAER

Municipium Tuſculum

Primum omnium municipium cum ſuffragij latione fuit Tuſculum, cui quum (ut inquit Sex. Pompeius) primo ſine ſuffragio ciuitas data eſſet, poſt aliquot annos pleno iure ciues Romani Tuſculani facti ſunt. Eius rei ita meminit libro VI. *Liuius: Tantum fere uerborum a Tuſculanis in ſenatu factum. Pacem in praeſentia, nec ita multo poſt, ciuitatem impetrauerunt. Ab Tuſculo legiones deductae. Hoc autem factum eſt anno vrbis* CCCLXXIII. *Ciuitatem uero Romanam (ut opinor) ſine ſuffragij iure eos adeptos fuiſſe quadriennio poſt refert idem Liuius. Incenſos Latinos ea rabies impetus Tuſculum tulit, ob iram quod deſerto communi concilio Latinorum, non in ſocietatem, modo Romanam, ſed etiam in ciuitatem ſe dediſſent. Hoc factum eſt anno vrbis* CCCLXXVII. *Tuſculanos uero ſuffragij ius haud longe poſt primũ cõſulẽ e plebe creatum ex his Imp. Claudij uerbis apud Tacitum intelligo. Plebeij (inquit) magiſtratus poſt patricios, Latini poſt plebeios, ceterarum Italiae gentium poſt Latinos. Neque enim aequum uidebatur plebem Romanam magiſtratibus capiendis excluſam, alienigenas uero admiſſos fuiſſe. Eos uero ſuffragij iure a populo donatos, in tribum Papiriam, ut Liuius libro* VIII. *uel Popilliam, ut Valerius libro* IX. *cap.* X. *tradunt, a cenſoribus relatos fuiſſe conſtat. Adijcit libro* VIII. *Liuius poſt bellum Latinum, quo Latium omne domitum eſt. anno vrbis* CDXVI. *L. Furio, C. Maenio cos. Tuſculanis ciuitas ſeruata quam habebant, crimenque*

rebellionis a publica fraude in paucos auctores uersū. Ex Tusculo celebres familiae quae Romae summos honores adeptae sunt prodierunt, Porcij, & Coruncanij ut Cicero, & Tacitus tradunt, quamquam Tacitus Coruncanios non Tusculo, sed Cameria oriundos scribat. De municipio Tusculo meminit Cicero pro Plancio

Municipium Lanuuium

Anno vrbis conditae CDXVI. L. Furio Camillo C. Maenio cos. Reliquijs omnibus belli Latini extinctis, Latioque omni ab his cos. in deditionem populi Romani accepto, Camillus de Latinis populis ad senatum rettulit. Patresque hortatus est, ut hostes uictos more maiorū pro ciuibus haberent, eosque in ciuitatem, quo illos in perpetuum fideles haberent, acciperent. Principes senatus relationem consulis de summa rerum laudare, sed quum aliorum alia caussa esset, ita expediri posse consilium dicere, ut pro merito cuiusque statueretur, si de singulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de singulis, decretumq;. Lanuinis ciuitas data, sacraq; sua reddita, cū eo ut aedes lucusq; sospitae Iunonis cōmunis Lanuuinis municipibus cum populo Romano esset. Sex Pompeius: Seruius filius aiebat: Municipes initio fuisse, qui ea conditione ciues Romani fuissent, ut semper Remp. separatim a populo Romano haberent (idest qui suis legibus uiuerent) Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui aeque ciues Romani erant, & in legione merebant. Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam uenissent, neque ciues Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis ciuibus, praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo, sicut fuerunt quondam Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuini, Tusculani, qui post aliquot annos ciues Romani effecti sunt. De Lanuino municipio

nicipio mentionem facit Cicero pro Muraena, quod postea a Caesare dictatore ex municipio colonia facta est

Municipium Aricia

Suggerit Liuius libro VIII. Aricini, Nomentanique, & Pedani, eodem iure quo Lanuini in ciuitatem accepti. Et Velleius libro I. Deinde interpositis duobus & triginta annis Aricini in ciuitatem recepti. Sex Pompeius: Alio modo municipium dicitur quum id genus hominum definitur, quorum ciuitas uniuersa in ciuitatem Romanam uenerunt, ut Aricini Caerites, Anagnini. Aricia postmodum ex municipio colonia facta est exolescentibus (ut scribit Gellius) municipiorum iuribus, & priuilegijs. Eam enim Florus ex Liuio in epitoma libri LXXX. coloniam uocat. Ceterum quũ tam de municipiorum numero, quam de ijs qui cum suffragio ciuitatem adepti sunt, inter Liuium, Velleium, & Festum controuersia sit, ego hic Liuium sequi decreui, qui mea sententia, accuratius hanc rem tractauit. Ne uero Velleius & Festus, a Liuio dissentiant quantum a me fieri poterit, operam dabo, atque eorum repugnãtiam, si quae ulla tamen sit, tollere curabo. Quãquam non ignorem Festi locum ubi de municipijs loquitur corruptum esse, aliquotque uerba Festi ipsius, aliquot uero Epitomistae esse, quae inuicem inserta rem ipsa ualde obscuram reddunt. Ego tamen ex Festo non nisi municipiorum nomina excipere uolui, nam triplicem quam eorum distinctionem facit me satis non intelligere fateor. Ex Liuio enim & Gellio aperte colligitur duo potissimum municipiorum genera, quem admodum ego initio dixi, tantum fuisse

Municipium Nomentum

Aricini (inquit Liuius libro VIII) Nomentani, Pedani, eodem iure quo Lanuini in ciuitatem accepti, anno vrbis CDXVI. L. Furio, C. Maenio cos

Municipium Pedum

Pedani cum Nomentanis, & Aricinis, eodem iure quo Lanuini ciues Romani facti. Pedum autem Latij oppidum haud procul a Tibure fuit. Ceterum Lanuinos, Aricinos, Nomentanos, & Pedanos municipes hoc anno cum colonis Antiatibus ciuitate a populo Romano ex S. C. donatos censores, qui proxime creati sunt, Q. Publilius Philo, & Sp. Postumius in duas nouas tribus propter eos additas censuerunt Maeciam & Scaptiam. Quarum Maecia a castro Latij Maecio dicta est, de quo sic scribit libro VI. Liuius: Tertiam partem dictator Camillus ad Volscos duxit, nec procul ab Lauinio, ad Maecium (is locus dicitur) castra oppugnare est adortus. Scaptia uero a Latij vrbe Scaptia dicta est, de qua Plinius libro III. cap. V. meminit

Municipium Fundi

Eodem anno post bellum Latinum, L. Furio & C. Maenio cos. Fundanis Formianisque, quod per fines eorum tuta pacataq; fuisset uia, ciuitas sine suffragio data. Ita libro VIII Liuius. Paterculus uero. Interiecto triennio Fundani & Formiani in ciuitatem recepti, eo ipso anno quo Alexandria condita est. Addit idem Liuius libro XXXIIX. M. Valerio Messalla & C. Liuio Salinatore cos. anno vrbis DLXV. De Fundanis Formianisque municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappo, tribunus plebis promulgauit, ut ijs suffragij latio, (nam antea sine suffragio habuerant ciuitatem) esset. Huic rogationi quattuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, quum intercederent, edocti populi esse non senatus ius, suffragium quibus uellet impartiri, destiterunt incoepto. Rogatio perlata est ut Aemilia tribu Fundani, & Formiani; in Cornelia Arpinates ferrent, atque in his tribubus

bus tum primum ex Valerio plebiscito, a censoribus qui eo anno erant, T. Quinctio Flaminino, & M. Claudio Marcello censi sunt

Municipium Formiae

Idem ius quod municipes Fundani, habuerunt etiam ijs uicini Formiani. Longo tempore post Formiae a III. viris ex municipio colonia facta est. Municipia Fundos & Formias inter praefecturas eas refert Festus, in quas praetor vrbanus singulis annis praefectos ab vrbe mittebat

Municipium Cumae

Liuius libro VIII. L. Furio C. Maenio cos. Campanis equitibus honoris caussa, quia cum Latinis rebellare noluissent ciuitas sine suffragio data, Cumanos Suessulanosque eiusdem iuris conditionisque cuius Capuam esse placuit. Et libro XXIII. De CCC. equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendijs emeritis Romam uenerant, delatum ad populum ut ciues Romani essent, item uti municipes Cumani essent pridie quam populus Campanus a populo Romano defecisset. Idē libro XL. Cumanis petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur, & praeconibus Latine uendendi ius esset. Hoc municipium a Festo inter ea refertur, quibus postea ciuitas cum suffragio data est. Inter eas quoque praefecturas illud enumerat, in quas praefecti a populo mittebantur, quod postea Augustus Caesar coloniam militarem fecit. Cumis uetus lapis

PILVMO . . SANCTISSIMO
GENIO. MVNICIPI. SACRVM
P. IVBENTIVS. ANCHARIVS. II. VIR

Municipium Acerrae

Liuius libro VIII. Anno vrbis CDXXII. A Cornelio

II & Cn. Domitio cos. Census actus, nouique ciues censi, tribus propter eos additae Maecia, & Scaptia, addiderunt censores Q. Publilius Philo, Sp. Postumius. Romani facti Acerrani, lege ab L. Papirio praetore lata, qua ciuitas sine suffragio data. Et Velleius: Insequentibusque consulibus a Sp. Postumio, & Philone Publilio censoribus Acerranis data ciuitas. Hoc municipium a Festo inter ea refertur, quibus primo sine suffragio, post cum suffragij iure ciuitas data est. De qua re nihil Liuius scribit. Hanc Festus inter eas praefecturas etiam enumerat, in quas a populo praefecti mittebantur. Quam uel ex praefectura, uel ex antiquo municipio Augustus postea coloniam deduxit

Municipium Priuernum

Victis Priuernatibus; ex auctoritate patrum latum ad populum est, ut Piuernatibus ciuitas daretur. Hoc factum est auctore Liuio libro VIII. anno vrbis CDXXV. L. Aemilio Mamercino II. C. Plautio Deciano cos. Hoc municipium inter eas praefecturas refert Festus, in quas praetor vrbanus quotannis praefectos mittebat. Haec postea colonia facta est, vetus Lapis

C. ARRIO. C. F. COR. CLEMENTI
CVRATORI. MVNIC. PRIVERNATIS

Item

PATRONO. MVNICIPI. CVRATORI
REIP. DECVRIONES. ET. VI. VIRI. AVG
MVNICIP. PRIVERN. D D

Municipium Anagnia

Liuius libro IX. anno vrbis conditae CDXLVIII. Q. Marcio Tremulo, P. Cornelio Aruina cos. Hernicorum tribus populis Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt,

runt, quam ciuitatem, suae leges redditae, connubiumque inter ipsos quod aliquandiu soli Hernicorum habuerunt permissum. Anagninis, quique arma Romanis intulerant ciuitas sine suffragij latione data, concilia connubiaque adempta, & magistratibus, praeterquam sacrorum curatione, interdictũ. De municipio Anagnino meminit Cicero pro domo. An uero huic municipio ciuitas cum suffragio unquam data fuerit, ante legem Iuliam, incompertum. Festus quum inquit: Alio modo municipium diffinitur id genus hominum esse, quorum ciuitas uniuersa in ciuitatem Romanam uenerunt, ut Aricini, Cerites, Anagnini; aperte significare uidetur, Caere, & Anagniam suffragij ius quemadmodum Aricinos habuisse. Qui etiam Anagniã inter praefecturas enumerat, in quas praetoris vrbani auctoritate praefecti ibant. Frontinus uero eam a Druso Caesare coloniam deductam fuisse tradit, vetus lapis

M. RVBRIO. L. F. PROCVLO
PR. AED. Q. PONT. SALIO
MVNIC. ET. IN. COL

Municipium Arpinum

Liuius libro IX. L. Genucio, Ser. Cornelio cos. anno vrbis CDLI. Arpinatibus Trebulanisque ciuitas data Vt autem sine suffragio intelligi debeat, idem facit, qui libro XXXIIX. refert Arpinatibus ciuitatem cum suffragio datam fuisse. De municipio Arpino meminit Cicero pro Plancio, & de claris oratoribus. Festus Arpinum inter eas praefecturas enumerat, in quas praetor vrbanus singulis annis praefectos mittebat. Itemque inter ea municipia quae sui iuris erant. Atque haec sunt omnia municipia quibus ciuitatem cum suffragio datam fuisse apud Liuium inueni. Adijcit Velleius libro I. M'. Curio, & Cornelio Rufino cos. anno vrbis

CDLXIIII Sabinis sine suffragio data ciuitas. Sempronio uero Sopho & Appio Caeci filio cos. anno vrbis CDXXCVI. suffragij ferendi ius Sabinis datum. Quod si hoc uerum est, Sabini primi fuerunt quibus integrae prouinciae ciuitas data sit, quod tamen creditu difficile est. Nam ijs post legem Iuliam cum Latinis, vmbris, Tuscis, & Gallis Cispadanis datam fuisse existimo

Municipium Atella

Hoc municipium etiam a Festo refertur inter ea, quibus ciuitas postea cum suffragij iure data est. Et in libro decimoquarto, Id unum ex his praefecturis scribit, in quas praefecti populi suffragijs creati, mittebantur. Vtrunque enim esse potest, ut primo municipium, post bello Punico secundo, cum reliquis quas supra enumeraui, praefectura facta sit. Illud Augustus, ut pleraque alia coloniam deduxit

Equites Campani

Liuius libro octauo. Equitibus Campanis honoris caussa quia cum Latinis rebellare noluissent ciuitas sine suffragio data. Monumentoque ut esset, aeneam tabulam in aede Castoris, Romam fixerunt. Velleius: Sp. Postumio Veturio Caluino cos. Campanis data est ciuitas, partique Samnitium sine suffragio

Municipium Suessula

Suessulam & Trebulam, quãquam uetusta municipia, post omnia tamen collocaui, quod ijs ante legem Iuliam ciuitatem cum suffragio datam fuisse non inuenerim: quod eo honore, illa quae supra rettuli, affecta, uel aperte intelligatur, uel ex scriptorum uerbis eliciatur. De municipio porro Suessula Liuius libro VIII. Bello Latino finito: Cumanos, Suessulanosque eiusdem iuris, conditionisque cuius Capuam esse placuit. Hanc praefecturam refert Festus, ex his in qua populus Roma=

Romanus praefectos quotannis mittebat. Quod Sulla coloniam, ut supra uidimus militarem deduxit

Municipium Trebula

L. Genucio, Ser. Cornelio cos. Arpinatibus, Trebulanisq; ciuitas data. ita Liuius libro decimo. Eam autem sine suffragio ijs concessam fuisse, ex eo patet, quod multo tempore post Liuius refert Arpinates cum suffragio ciuitatem adeptos fuisse, de Trebulanis uero nullam mentionem facit

Alia quaedam municipia

Festus libro XI. Tertio municipium definitur, quum id genus hominum, qui ad ciuitatem Romanam ita uenerunt, ut municipia essent, ut sua cuiusque ciuitatis, & coloniae iura essent, ut Tiburtes, Praenestini, Pisani, Arpinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses. Ex his Tibur & Praeneste, quae ciuitates foederatae Latinae erant, & Arpinum municipium suis legibus relictae sunt, Pisae, Nola, Bononia, Placentia, Nepet, Sutrium, Luca coloniae deductae

Memorantur a Cicerone municipia aliquot praeter ea, quae dixi, quae haud dubie post legem Iuliam facta sunt, ut Asculum in oratione pro Sulla, Aquinum, Labici, Gabij, Bouillae in secunda Philippica; Larinum in oratione pro Cluentio; Ameria, pro Sex. Roscio; Tarquinij pro Caecina, & quaedam alia

Tacitus quoq; libro XVII. municipia Transpadana, Mediolanum, Nouariam, Vercellas, & Eporediam nominat

In uetustis epigrammatibus municipiorum Italicorum Segusini, Interamnatis, Nabartis, Casuentinorum, Vindenatium, Ocricolani, Surrentini, Rhegini, Tiburtis, Hidruntini, Saepinatis, Suessani, Fori Sempronij, Corani, Nolani, Aletrinatis, Allifani, Amerini, Blerani, Arretini, Clusini, Tifernatis, Maeuani

ae,et Maeuaniolae,Capaenatis,Vrbini,Saßinatis,Casſinatis, Hiſpelli,Foro Flaminij, Numanatis, Aſiſinatis, & aliorum multorumque frequens mentio eſt. Atque hactenus de municipijs

De praefecturis

Quae & quot genera praefecturarum eſſent ſupra docui. Illud tãtum ſcitu dignum ex praefecturis quaſdam fuiſſe,quæ ius ciuitatis,& ferendi ſuffragij haberent,quaſdam non,quẽadmodum de municipijs,& colonijs dixi.Sex.Pompeius libro decimoquarto, duas & uiginti praefecturas enumerat, in his decem fuiſſe ſcribit,in quas praefecti populi ſuffragijs creati mittebantur,ut hae Capua, Cumae, Caſilinum, Vulturnum, Linternum,Puteoli,Acerrae, Sueſſula, Atellae, & Calatia, duodecim uero,in quas urbanus praetor pro ſuo arbitrio præfectos mittebat. Hae fuerunt Fundi,Formiae, Caere, Venafrum,Allife,Pruernum, Anagnia, Fruſino,Reate, Saturnia, Nurſia,& Arpinum. Quae fere omnes, aut ex colonijs, & municipijs praefecturae factae ſunt,aut ex praefecturis,in colonias,& municipia redactae.Ex his Capua praefectura fuit a bello Punico ſecundo ad conſulatum C. Caeſaris, a quo colonia deducta eſt.Cumae,Acerrae,Sueſſula,Atella,Formiæ,Priuernum, & Anagnia,tum municipia,tum coloniae: Fundi uero Caere,& Arpinum municipia tantum aliquando fuere;Caſilinum,Vulturnum, Lenternum,Puteoli, & Saturnia coloniae. Calatia uero Venafrum, Allife,Fruſino,Reate, et Nurſia praefecturae,dum libertas, populi Romani ſtetit ſemper fuere.Nam quum poſt legem Iuliam,aequatis omnium ſuffragijs ciuitas Italiae omni data fuiſſet, municipiorum, coloniarum,& praefecturarum iura oblitterata ſunt,nominaq; haec confundi coepta, ut & colonia pro municipio, & municipium pro colonia,& praefectura,aliquando accepta ſunt.Ci

cero

cèro enim Placētiam in L. Pisonem; Soram, & Casinum pro Plancio; Calenum in Rullum; Suessam in ep. ad Atticum; Cossam in Verrem municipia uocat, quas colonias deductas fuisse ostendi. Ad haec praefecturae ipsae, & municipia, itemque ueteres coloniae, deductis militibus, coloniae omnes denuo a Sulla primum, deinde Caesare, triumuiris, & Augusto factae sunt, ut latius supra demonstraui. Praeter eas praefecturas, quas ex Festo digessi, Corae prefecturae Strabo libro quinto, Claudiae Plinius libro tertio, cap. quinto, Atinatis Cicero pro Plancio. Reatinae, idem de natura deorum mentionem faciunt

Cetera omnia (ut dixi) Italiae oppida, quae coloniae, municipia, & praefecturae non erant, foederatae ciuitates uocabantur, ut Tibur, Praeneste, Neapolis, & pleraque alia, hoc autē ante legem Iuliam, & bellum Marsicum intelligo, nam post ea tempora, omnes Italiae ciuitates, quibus ius suffragij datū erat, municipia appellari poterant. Atque hactenus de praefecturis

PROVINCIAE. POPVLI. ROMANI EXTRA. ITALIAM

Italia omni, accurate descripta, atque eiusdem colonijs, municipijs, & praefecturis enumeratis, nunc idem de alijs prouincijs faciundum esse uidetur, quas populus Romanus post Italiam in fidem acceptam, eius praecipue auxilio subiugauit. Quarum omnium Sicilia prima prouincia populi Romani statim post confectum bellum Punicum primum, hac ratione facta est

PRO-

PROVINCIA.SICILIA

Pro defensione Siculorum primum cum Poenis bellum susceptum est anno urbis CDXC.Ap. Claudio, & Q. Fuluio cos. Quod uario euentu per annos tres, & uiginti perductum est. Postremo A. Postumio, C.Lutatio cos.anno urbis DXII Romani reparata classe, quam aliquot annis ante naufragio amiserant, C.Lutatium consulem aduersus Poenos miserunt. Qui cum classe CCC. nauium in Siciliã transuectus est.Huic, quum iam Drepani portum, ceterasque quae circa Lilybaeum sunt stationes in potestatem redigisset, Anno claßis praefectus ad Hamilcarem Poenorum ducem nauigans, cum CCC & ipse nauibus occurrit, summo cõmisso proelio ad Aegates insulam, res Romana superior fuit. Anno uictus nauem auertit, & dux fugae primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus sui Africam petunt, alij Lilybaeum confugere. Naues Poenorũ submersae quinquaginta, captae LXX. reliquae Hieronesum refugerunt. Viui capti amplius decem millia hominum. Vel (ut Orosius tradit) Punicae naues captae sunt LXIII. CXXV. demersae XXII. millia hominum capta, caesa XIII. millia. Romanorũ autem XIII. naues demersae sunt. Lutatius deinde ad Erycinam ciuitatem, quam Poeni tenebant uenit, ibique duo millia Carthaginensium conserta pugna interfecit. Ita Polybius, Liuius, Florus, Eutropius, & Orosius. Anno uero sequenti Q. Lutatio, & A. Manlio cos. Victis ad Aegates insulam Carthaginiensibus pax his conditionibus data est: Poeni Sicilia, & omnibus insulis, quae inter Italiam & Africam sunt excedunto. Duo millia & CC. talenta in annos XX pẽdunto, in praesens mille. Captiuos Romanos sine pretio reddunto. Vtriusque populi socij. apud utrunque populũ, tuti sunto. Alterius socios neuter in amicitiam recipito. Neuter in alieno imperio imperato, neue milites conducito. Graues has leges

ges impositas Carthaginiēsibus Hamilcar Poenorum imperator moerens accepit. Quare Poeni Sicilia & Sardinia excessere, & se uectigales, ac stipendiarios fieri paßi sunt, anno eius belli uigesimo quarto in quo C. Lutatius pro consule, & Q. Valerius Falto propraetore celeberrimos de Penis egerũt triumphos. Eodem que anno bello Punico primo confecto Siciliam primam prouinciam populi Romani regno Hieronis Syracusani excepto fecit magna ex parte C. Catulus. Quod Cicero IIII. in Verrẽ refert, qui Siciliã, quod oĩum exterarũ nationũ principẽ se ad amicitiã, fidẽq; populi Romani applicuisset, eam primam omnium prouinciam appellatam esse prodit. Aliquot uero annis post captis Syracusis uniuersam in populi Romani potestatem redactam M. Claudius Marcellus bello Punico secundo, aut certe qui ei succeßit M. Valerius Laeuinus prouinciam fecit. Nam de Marcello Velleius ita tradit: Primus in Siciliam traiecit exercitum cos. Claudius, & prouinciam eam, post annos ferme LII. captis Syracusis fecit Claudius Marcellus. Quam ob rem is Papirij Masonis exemplum sequutus in monte Albano triumphum de Siculis git, urbemque ouans ingressus est, anno urbis DXLIII. Debellatum uero in Sicilia a Laeuino consule, potiusquam a Marcello, & Cicero in Verrem, & Liuius significant. Is anno urbis DXLIIII. cum M. Marcello cos. creatus, occupatis in Sicilia Agrigento, & alijs Siciliae oppidis, Poenisque expulsis, omnino Siciliam debellauit. Itaque Cicero in Verrem, trium Siculorum bellorum confectores nominans ait: Qui M. Laeuino, aut P. Rupilio, aut MV. Aquillio praetoribus in eam prouinciam successerunt. Vnde Sex. Rufus prima prouinciarũ (inquit) facta est Sicilia. Haec a praetoribus primo recta est, quorum primus fuit C. Flaminius creatus anno urbis DXXVII. P. Valerio, M. Atilio cos. ut scribit Solinus. Postea ab

Augusto (ut opinor) est commissa praesidibus, demum a consularibus administrata est. Quos Constantinus imperator constituit. Saepe enim in antiquis monumentis consularis Siciliae mentio est. Siculis ius Latij Caesar dictator, ciuitatem uero M. Antonius consul donauit, ut auctor est Cicero libro decimoquarto epistolarum ad Atticum. Haec in imperatoris occidentalis primum, deinde Gothorum regum, post imperatoris orientalis, usque ad Caroli magni tempora perdurauit, in quibus a Sarracenis occupata est. Quod qua ratione factum fuerit post exponam

PROVINCIAE. SARDINIA. ET CORSICA

T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo cos. anno urbis DXIX. Bellum cum Sardis initum. Carthaginienses enim, quum bellum reparare tentarent, Sardos qui ex conditione pacis Romanis parere debebãt ad bellum impulerunt. Quare quũ auctoribus Poenis rebellassent, missus contra eos T. Manlius cos. ipsos deuicit, de iisque triumphauit. ita Eutropius, & Orosius. Quod Liuius libro uigesimoprimo sic commemorat; Sardinia inter motum Africae fraude Romanorum stipendio etiam superimposito intercepta. Et Velleius: Sardinia inter primũ et secundũ bellũ Punicũ ductu T. Manlij cos. certũ recepit imperij iugum. Eam tamen non omnino a T. Manlio subactam fuisse indicant sequentes triumphi, nam anno sequenti Sp. Caruilius Maximus, & biennio post M. Pomponius Matho cõsules de Sardis triũpharunt, ut ex tabulis Capitolinis cõstat. Quum autem M. Pomponij ultimus actus sit de Sardis, hoc tempore triumphus, profecto Sardi ipsi a Pomponio consule pacati uidentur anno urbis DXXI. Hanc uero primam populi Romani prouinciam hoc tempore factam esse missis

ad eam componendam decem legatis, quod in faciendis prouincijs postea obseruatum est quidam opinantur, nam Sicilia quamquam ante uicta fuerit, tamen non nisi Syracusis a Marcello captis in prouinciae formam tota redacta est. Biennio post C. Papirio, & M. Pōponio cos. bellū cum Corsis gestū est, ut ex uerbis epitomae libri XX. & triumpho C. Papirij Masonis consulis apparet, quem de Corsis primus in monte Albano Verrio Flacco, Plinio, Valerio, & Festo auctoribus egit. Corsicam igitur uicit, & prouinciam fecit C. Papirius Maso consul, qui quum bene gesta rep. in Corsica, triumphū a senatu non impetraßet, ipse de sua sententia in monte Albano triumphauit primus anno urbis DXXIII. Huius prouinciae & Sardiniae administratio primum iuncta fuit. Vtrasque enim insulas semper unus rexit praetor, quorum primus fuit M. Valerius. Nam Florus & Pomponius auctores sunt, anno urbis DXXVII. quattuor primum praetores factos fuisse, ut duo ex his Vrbanus & peregrinus in urbe manerent, duos uero, ut in Siciliam, Sardiniamque nouas prouincias mitterentur. Hos uero fuisse M. Valerium, & C. Flaminium ostendit Solinus capite de Sicilia, quum inquit. Sardinia & Sicilia utraque insula in Romanam potestatem redacta ijsdem temporibus prouincia facta est: cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius praetores sortiti sunt. Sardiniae porro & Corsicae administrationem iunctam, atque eidē praetori traditam fuisse ex Rufo ostendi. Post Augusti tempora earundem administratione diuisa singulae a praesidibus rectae sunt. Sardi quum rebellassent a Ti. Graccho perdomiti sunt, totque captiuorum ab eo ducti, ut prouerbium fuerit celebratū Sardi uenales. Quum iterum Sardi rebellassent postremo a M. Metello domiti sunt, atque ab eo de eis triumphatum. Corsi quoque quum rebellassent a C. Cicereio praetore sub acti

sunt

sunt. Qui quum triumphum non impetrasset in monte Albano triumphauit anno vrbis DXXCII. Eas Sarraceni Romanis Imperatoribus eripuerunt, ab Hispanis nunc possidentur

HISPANIAE DVAE PROVINCIAE CITERIOR . ET . VLTERIOR

In Hispaniam primi omnium duxere exercitus cōtra Afros Cn. & P. Scipiones belli Punici secundi initio. Qui octauo eius belli anno a Poenis caesi sunt. Post eos eo P. Cornelius Scipio Africanus maior missus, multa prospere gessit, primusq; ibidem prouinciā fecit L. Veturio Q. Caecilio cos. anno vrbis DXLVIII. Qui Asdrubale & Magone acie ad Baetulam vrbem fugatis, atque inde ex tota Hispania pulsis, uindicatisq; armis Hispanijs, in Africam profectus amicitiam cum Syphace Maßylorum rege icto foedere, firmauit. Paulo post rebellantes Hispaniae populos ad deditionem compulit, foedereque cum Maßinißa Masaesulorum rege, & Gaditanis facto, prouincia L. Lentulo, & L. Manlio Acidino tradita, Romam reuersus est. Hinc Marcellinus libro XXV. Hispaniam primam continentis prouinciam factam esse scribit. Factam autem hac uictoria Scipionis Liuius, & Rufus & alij prodiderunt. Quae tamen non hoc anno sed anno DLVII. ordinata postea fuit, tum quum praetores duo, qui in eam quot annis mitterentur primum creati, atque ipsae terminatae Hispaniae sunt, auctore Liuio. Post Scipionem eam L. Cornelius Lentulus pro cos. obtinuit, qui rebus fortiter feliciterque gestis, ouans urbem ingressus est, anno vrbis DLIIII. Triennio post C. Cornelio Cethego Q. Minucio cos. Hispaniae tum primum terminatae sunt, atque in eas primum duo noui praetores,

tores, qui ad quattuor additi fuerant, missi, C. Sempronius Tuditanus in citerionem, & M. Heluius Blasio in ulteriorem. Blasio prouincia decedens ob res bene in Hispania cum Celtitiberis gestas, vrbem ouans iniuit. Verum quum tantum glisceret in Hispania bellum ut iam consulari, & duce, & exercitu opus esset, placuit patribus consules Hispaniam citeriorem sortiri, M. Cato consul sortitus est. Qui bello quod ab Emporijs orsus est, totam citeriorem Hispaniam, quae rebellauerat pacauit, atque pro consule ex ea triumphauit anno DLX post Catonis uictoriam Hispaniae uarie possessae, et ut ait Velleius, saepe amissae partibus: ita ut supra XXX. triũphi postea ex his relati memorentur. Certa ac stabilis esse populi Romani possessio, stipendiumque pendere non prius quam Augusto principe coeperunt. Qui quum Hispaniam omnem pacasset, eam constituit, atque in tres prouincias, Baeticam, Lusitaniam, & Tarraconensem, ut post ostendam, diuisit. Vnde ita scribit Sex. Rufus: Hispanis primum auxiliũ aduersus Afros per Scipionem tulimus. Rebellãtes Lusitanos in Hispania per D. Brutum qui Callaicus appellatus est, obtinuimus, & usque ad Gades & Oceanum peruenimus. De his Brutus anno vrbis DCXVIII. pro cos. triumphauit. Post ad Hispanos tumultuantes D. Silanus missus, eos uicit anno vrbis DCLIIII. Celtiberi in Hispania saepe rebellabant sed misso minore Scipione cum excidio Numantiae subacti sunt. Omnes paene Hispaniae occasione belli Sertoriani per Q. Metellum Pium, & Cn. Pompeium in deditionem acceptae sunt, de ijsque hi duces triumpharunt: postea prorogato imperio in quinquennium a Pompeio perdomitae sunt. Ad extremum quoque a Caesare Augusto Cantabri, et Astures qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Liuius libro XXVIII. de Hispania loquens: Itaque (inquit) Romanis prima inita

prouinciarum quae quidem continentis sunt, postrema omnium nostra demum aetate, ductu auspicioque Caesaris Augusti perdomita est. Et Velleius libro II. Hispaniae nunc ipsius Augusti prouincia, nunc Agrippae, quem usque in tertium cōsulatum, & mox collegium tribuniciae potestatis amicitia principis euexerat, multo uarioque Marte pacatae, in quas prouincias quum initio Scipione & Sempronio Longo cos. primo anno secundi belli Punici, Romani exercitus missi essent, ducibus P. & Cn. Scipionibus Africani patre & patruo, per annos CC. in his multo, mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis praetorijs, imperatorijsque exercitibus, saepe contumelia etiam non nunquam periculum Romano inferretur imperio. Illae enim prouinciae Scipiones consumpserunt, illae contumelioso XX. annorum bello duce Viriato maiores nostros exercuerunt, illae terrore Numantini belli populum Romanum concusserunt. In illis turpe Q. Pompeij foedus, turpiusque Mancini senatus cum ignominia dediti Imperatoris rescidit. Illa tot consulares, tot praetorios absumpsit duces, patrumque aetate in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium diiudicari non potuerit, Hispanis Romanis ne in armis plus esset roboris, & uter populus alteri pariturus foret. Has igitur prouincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras ad eam pacem perduxit Caesar Augustus, ut quae maximis bellis nunquam uacauerant, eae sub C. Antistio, ac deinde P. Silio legato, ceterisque postea etiam latrocinijs uacarent. & cet. Quum eam omnem (ut tradit Plutarchus in Scipione) Augustus in prouinciae formam redegisset. Vniuersae Hispaniae (ut refert Plinius libro III cap. III.) Imperator Vespasianus Augustus iactatus procellis reip. Latij ius tribuit, ciuitatē uero Antoninus Caracallus Seueri Augusti filius dedit

PRO-

PROVINCIA. ASIA

L. Quinctio, & Cn. Domitio cos. anno vrbis DLXII. Antiochus Magnus Syriae rex bellum Romanis intulit: regẽ mouere partim Thoas Aetoliae princeps, qui Aetolos populi Romani socios, haud satis dignis praemijs bello Macedonico confecto a Romanis affectos querebatur, partim Hannibal Poenus, qui in Africa uictus, & profugus, & pacis impatiens hostem populo Romano toto orbe quaerebat. Intulit autẽm nimia opum suarum fiducia adductus, specie Lysimachiae repetendae, quam a maioribus suis in Thracia conditam Romani poßidebant, statimque Graeciam ac insulas eius occupauit. Primus aduersus eum mißus est Mᵛ. Acilius Glabrio cos. Durauit hoc bellum annos tres. Primo anno Mᵛ. Glabrio cos. Antiochum bello uictum apud Thermopylas Graecia expulit, atque Aetolos diuicit. Altero anno L. Scipio Africani frater, quum in consulatu Asiam & bellum contra Antiochum regem obtinuisset, eò cum Africano fratre legato profectus, regem ipsum, Eumene Pergami rege adiuuante apud Sipylum montem ad Magnesiam acie uicit, ac bellum confecit, Asiaticusque appellatus est. Antiocho pacem petenti his conditionibus data est, ut Europa abstineret, Asiaque omni quae cis Taurum est decederet, pro impensis in bellum factis XV. millia talentorum Euboicorum traderet, mille talentũ per XII. annos penderet. Eumeni CCCC. talenta redderet. Cum Asiaticis autem ita pactum, ut cis Taurum montem quae intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerẽtur praeter Lyciam, Cariamque usque ad Maeandrum amnem, ea Rhodiorum essent. Liberae omnes ciuitates quae Attali stipendiariae fuissent, eaedem Eumeni uectigal penderent; quae uecti-

gales Antiochi fuissent eae liberae atque immunes essent, Eumeni Phrygia utraque, & Mysia restituta. Triumphauit L. Scipio ex Asia, & rege Antiocho anno vrbis DLXV. Post Eumenem, eam beneficio S. P. Q. R. possedit Attalus eius filius. Is anno vrbis DCXXI sine liberis moriens populum Romanum regni reliquit heredem. Verum Aristonicus Eumenis filius non iusto matrimonio ex pellice natus, post mortem Attali uelut paternum regnum inuasit Asiam, Crassum Mucianum consulem aduersus se missum cepit, & occidit. Quam rem ita tradit Florus in epitoma libri LIX. Aristonicus regis Eumenis filius Asiam occupauit, quum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet, aduersus eum P. Licinius Crassus cos. profectus, proelio uictus, & interemptus est. Crasso in Asiam consul Perperna successit. Qui Aristonico acie uicto, captoque bellum confecit. Ante tamen mortuus quam Romã rediret, triumphare non potuit. Perpernae M'. Aquillius consul successor fuit. Qui Asiatici belli reliquias finiuit. Cuius belli occasione Lydiam sedem antiquam regnorum Cariam, Ioniam, Mysiam, Hellespontum, ac Phrygiae partem in potestatem populi Romani deditione uenisse, Rufus & Iornandes produnt. Phrygiã uero ab Aquillio Mithradati regi Pontico pecunia accepta cõcessam, ipsum eo nomine Romae postulatũ senatũ Phrygiam liberam esse iussisse tradit Appiannus, libro I. bellorum ciuilium. Iustinus adijcit libro XXXVII. Phrygiam Mithradati patri, Ariarathis Cappadociae regis, qui in hoc bello caeciderat filijs, Lycaoniam & Ciliciam datas. Ceterum more maiorum in constituenda Asia, eaque in prouinciae formam redigenda, cum M'. Aquillio cos. decem legati missi sunt. Ita Strabo. Triumphauit post ex Asia. M'. Aquillius anno vrbis DCXXVIII. Hãc rem breuissime ita tradit Velleius: Asiam L. Scipio Africani frater

frater eripuit Antiocho, sed beneficio S. P. Q. R. mox ab Attalis possessam regibus M. Perperna capto Aristonico fecit tributariam. Et Sex. Rufus: Asia societate Attali regis nota Romanis est. Eamque Attali testamento relictam hereditario iure poßidemus. Ne quid tamen populus Romanus non uiribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho rege Syrorum maxime est uendicata. Eademque occasione, Lydia sedes antiqua regnorum, Caria, Hellespontus, ac Phrygia in potestatem populi Romani iuncta deditione uenerunt. Et Plinius libro XXXIII. Asia (inquit) primum deuicta, luxuriam misit in Italiam. Si quidem L. Scipio transtulit in triũpho argenti caelati pondo millia CCCCL. uasorum aureorũ pondo millia centum, anno vrbis DLXV. Eadem Asia domita multo etiam grauius afflixit mores, inutiliorque uictoria illa hereditas Attalo rege mortuo fuit. Tum enim haec emendi Romae in auctionibus regijs uerecundia exempta est, vrbis anno DCXXVI. medijs LVI. annis erudita ciuitate amare & non solum admirari opulentiam externam, immenso & Achaicae uictoriae momento ad interpellendos mores, quae & ipsa hoc interuallo anno vrbis DCVIII. Parthica signa, & tabulas pictas inuexit. Quam uero Asiae dispositionem fecerit Augustus, quum imperium constitueret infra aperiam. Haec prouincia modo a proconsulibus, modo a pro praetoribus administrata est

PROVINCIA AETOLIA

Quum Aetoli ab amicitia populi Romani defecissent, se Antiocho regi Syriae coniunxerunt. Qui bello Graeciae illato plures vrbes occupauerat. Itaque aduersus eum M'. Acilius Glabrio cõsul rege Philippo Macedonum adiuuãte, apud

Thermopylas prospere pugnauit, eumque uictum Graecia expulit, atque Aetolos deuicit. Eos postremo non quiescentes M. Fuluius Nobilior consul Ambracia Aetolorum vrbe nobilißima capta, ad pacis conditiones petendas compulit. Pacis conditiones fuerunt hae: Imperium maiestatemque populi Romani gens Aetolorum sine dolo malo conseruato. Ne quẽ exercitum qui aduersus socios amicosque eorum ducitur per fines suos transire sinito, neue ulla ope iuuato, hostes eosdem habeto, quos populus Romanus, armaque in eos ferto, bellumque pariter gerito, obsides XL. arbitratu consulis Romani dato, Cephalenia extra pacis leges esto. De pecuniae summa, quam perderent pensionibusque eius nihil ex eo, quod cum consule conuenerat mutatum. Fuluius postea Cephaleniam transgressus omnes ciuitates in deditionem sine proelio ullo accepit. Samij soli obsidione in potestatem uenerunt. Romam Nobilior reuersus nobilißimum de Aetolis & Cephalenia triumphum egit anno DLXVII

GALLI. ASIATICI. VICTI

Eodem anno Cn. Manlius M. Nobilioris collega ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, & foedus cum Antiocho scribendum missus, quum Ephesum in Asiam traiecisset, bellum Gallis Asiaticis, quod eos Antiochum auxilijs iuuisse diceret, mouit; atque ad singula eorum oppida Attalo rege ducente, arma circumtulit, Pisidasque, Gallograecos, Tolistobogios, Tectosagas, & Trocinos, qui Breno duce in Asiã transierant, quum soli citra Taurum montem non parerent adortus, bello sine S. C. aut iussu populi suscepto, in potestatem adduxit, & de ijs triumphauit. Rufus: Gallograeciam (inquit) id est Galatiam, sunt enim ut nomen resonat ex Gal

lis

lis Galatae, quod Antiocho contra Romanos auxilium praebuissent, Cn. Manlius inuasit. Mummius pro consule Galatas persequutus est, & confugientes partim in Olympum, partim in Megaram, de arduis eos in plana detrusit, & uictos in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Deiotarus tetrarches Romanis permittentibus tenuit: ad extremum sub Caesare Augusto Galatia in formam prouinciae redacta est, eam primus M. Lollius pro praetore administrauit

MACEDONIA PROVINCIA

P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Cotta cos. paucis post secundam pacem Carthaginensibus datam mensibus, cum Philippo Macedonum rege bellum initum, quod Philippicum siue Macedonicum primum dictum est. Vacuos enim pace Punica iam Romanos, & infensos Philippo, quum ob infidam aduersus Aetolos, aliosque regionis eiusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Hannibali Poenisq; preces Atheniensium, quos agro peruastato in urbem Philippus compulerat excitauerunt ad renouandum Philippo bellum, quod decem ferme ante annis incoeptum, triennio prius depositum erat, quum Aetoli & belli, & pacis caußae fuissent. Vt ergo cum Poenis pro Mamertinis socijs primum, deinde pro Saguntinis secundum bellum susceptum est, sic cum Philippo pro Atheniensibus. Hoc bellum a P. Sulpicio cos. inchoatum annos quattuor perdurauit. Nam T. Quinctius Flamininus consul aduersus Philippum missus cum eo ad Cinoscephalas acie uicto debellauit. Quo tempore L. Quinctius frater eius Acarnanes, Leucade vrbe quae caput est Acarnaniae, expugnata, in deditionem accepit. Legati a rege Philippo interim uenerunt, qui quaecunque senatus censuisset id re-

gem facturum esse dixerunt. Decem legati more maiorum quorum ex consi io T. Quinctius imperator leges pacis Philippo daret, decreti. Qui anno vrbis conditae DLVIII. ex decem legatorum sententia pacem Philippo, Graeciae omni liberta em dedit. Atque ita primum Macedonicum bellum cōfectum est. Porro autem quum Philippus aegre ferens se iussu Romanorum foedus ac pacem habere, Bastarnas sedibus suis exciuisset, eorum auxilijs fretus secundum bellum Romanis clam cōparauerat, in cuius belli apparatu mortuus est. Id a patre iam meditatum, ac comparatum Perses eius filius suscepit, quod Persicum & Macedonicum secundum uocatum est Perses enim quum regnum suscepisset, quasi hereditario sibi a patre relicto aduersus Romanos bello, ingenti pecunia comparata, multa praeter foedera gessit. Quare bellum ei a S. P. Q. R. indictum est, quod aduersus foedus cum Philippo patre ictum, & secum post mortem eius renouatum, socijs populi Romani arma intulisset, quodque belli parandi aduersus populum Romanum consilia inisset, & arma, milites, classemque eius rei caussa comparasset. Hoc bellum P. Licinio Crasso C. Cassio Longino inchoatum, quadriennio post L. Aemilius Paullus II consul creatus III. Nonas Septēbris collatis apud Pindā signis cōfecit Persem.n. XX. millibus peditū occisis, equitatu cum ipso rege integro fugiente, uicit, castris exuit, atq; oēs Macedoniae vrbes in deditionē XL. diebus accepit. Rex ab amicis desertus, postea apud templum Samothracum a Cn. Octauio classis praefecto captus est. Paullus Macedoniam tunc prouinciam non fecit, sed tum ex sententia X. legatorum quos ad componendam Macedoniam senatus de more misit, Macedonas omnes liberos esse iussit, & ut suis legibus uiuerent, suas urbes, & agros haberent, magistratus annuos crearent permisit, ueteris etiam stipendij, quod regibus

bus pependerant, dimidia parte releuauit, alteram dimidiam populo Romano pendere iußit, leges Macedoniae dedit tanta cum cura, ut non hostibus uictis, sed socijs benemeritis dare uideretur. Inde in Epirum cum traiecisset oppidorum quae Persen iuuerant circa LXX. muros diruit, praedam uendidit, atque de ea summa militi numerauit. Inde Romam ueniens per triduum ex Macedonia de rege Perse triumphauit anno vrbis conditae DXXCVII. Ceterum postremo hanc ob caussam Q. Metellus Macedonicus Macedoniam anno vrbis DCVII. prouinciã fecit. L.Marcio & M'. Manilio cos. Andriscus qui Philippi nomine sumpto, se Persis Macedoniae regis filium ingenti asseueratione mentiebatur, contracto exercitu totam Macedoniam aut uoluntate incolentium, aut armis occupauit. Thessalia quum & illam inuadere armis atque occupare uellet, per Romanos legatos auxilijs Achaeorum defensa est. Aduersus eum Q. Caecilius Metellus praetor missus XXV. millibus hominum occisis eum uicit, & in potestatem redegit, Macedoniam recepit, unde & Macedonicus dictus est. Hoc bellum Macedonicum tertium uocatum est, quo confecto Macedonia in prouinciae formam redacta est, ut tradit Florus

ILLYRICVM. ET. DALMATIA

Illyrij & Liburni qui sub extremis alpium radicibus inter Arsiam Lycumque flumina agunt, longißimeque per totum maris Hadriatici littus effusi sunt, muliere Teuta regnante, populationibus non contenti, & rapinis quas in mari agebant, alterum quoque ex legatis Romanis, qui mißi fuerant de acceptis iniurijs conquestum, occiderunt. Quare bellum ijs L. Postumio, & Cn. Fuluio cos. primum indictum est. Quos breui

ui cos. Apollonia capta debellarunt. Atque cum regina Teuta his conditionibus pax facta est, ut Teuta quotannis tributum penderet, ac omni fere Illyrio excederet, neque ei extra Lissum, nisi cum duobus ijsque inermibus lembis nauigare liceret. Quieuerunt Illyrij, usque ad bellum Persicum, uel Macedonicum secundum. In quo quum Perseus ultimo belli discrimine a Romanis urgeretur, Gentium Illyriorum regem ad belli societatem magnae pactione pecuniae per legatos attraxit. Aduersus quem L. Anicius Gallus praetor a Romanis missus, Illyricum omne gentis capite Scodra capta, intra triginta dies subegit, ac Gentium ipsum regem cepit. Illyriumque, & Dalmatiam eodem anno, quo Macedoniam Paullus, idem L. Anicius debellauit, & unam prouinciam fecit. Triumphauitque post Paullum aliquot diebus rege Illyriorum Gentio, cum fratre, coniuge, & liberis ante currum ducto. Quod bellum, ut (inquit Florus) ante finitum est, quam geri Romae nuntiaretur. Aduersus Dalmatas aliquot annis post rebellantes C. Marcius cos. primum parum prospere, postea feliciter pugnauit. Eandem uero gentem P. Scipio Nasica Corculum cos. anno DXCIX. Delminio urbe expugnata domuit, et de ijs triũphauit. Postremo eos etiam tumultuantes L. Caecilius Metellus Dalmaticus omnino subegit

AFRICA. PROVINCIA

In Africam pro defensione Siculorum Mamertinorum Romana primum transmissa sunt signa, primumque Punicũ bellum XXIIII. annorum interuallo gestum. Iterum cum Poenis pro Saguntinorum defensione bellum XIIX. annorum susceptum, quod a Poenis Hannibalis ductu gestum; eo uicto a Scipione Africano confectum est, paxque a P. Scipione his

his conditionibus Carthaginienſibus conceſſa eſt. Vt liberi ſuis legibus uiuerent, quas urbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuiſſent tenerent. Perfugas, & fugitiuos, & captiuos omnes, & naues roſtratas praeter decem triremes traderent, elephantosque quos haberent domitos, neque domarent alios. Bellum neque in Africa, neque extra Africam iniuſſu populi Romani gererent. Maſsiniſſae res redderẽt, foedusque cum eo facerent. Decem millia talentũ argenti deſcripta penſionibus aequis in annos L. ſoluerent, obſides centum arbitratu Scipionis darent. Ita Liuius, Appianus, & alij. Atque hac ratione ſecunda pax Punica fuit. Quae annis prope quinquaginta duobus perdurauit. Nam anno urbis DCV. L. Marcio, & M'. Manilio cos. bellum tertium non ſolum Poenis indictum, ſed etiam initum eſt, quod poſt intra quadriennium, Carthaginis ipſius excidio a P. Scipione Africano minore eſt terminatum. Belli cauſſae erant, quod contra foedus naues haberent, & extra fines exercitum duxiſſent, quodque ſocio populi Romani, & amico Maſsiniſſae arma intuliſſent, et quod filium eius Guluſſam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepiſſent. Bellum per quadriennium geſtum eſt. Quod poſtremo Carthagine a P. Scipione expugnata DCC. anno quam erat condita, confectum eſt, urbem per decem, & ſeptem dies arſiſſe omnes commemorant. Carthagine exciſa Scipio uictoriae nuntium Romam miſit, ſacrificia, & ludos fecit, transfugas omnes beſtijs obiecit, & praedam militibus omnem, praeter aurum, argentumque, & inſignes ſtatuas diſpertiuit. Romae Scipionis uictoria cognita gaudium ingens ortum, ſacrificia, ſupplicationes, & ludi dijs facti. Decem legati ex more in Africã miſſi, qui cum Scipione Africam prouinciam conſtituerent. His mandatum eſt, ut ſi quid supereſſet urbis diſturbarent, quae

ciui-

ciuitates rebus Poenorum studuissent, eorum oppida diruerent, quae pro Romanis stetissent, praemijs agrisque donarent, quibus rebus perfectis, Scipio Romam rediens nobilissimum triumphum egit, argenti quater millia quadringenta, et septuaginta millia pondo tulisse, tradit Plinius libro XXXIII Ita Carthagine, Africaque in potestatem redacta, Africani cognomen sibi, ut auus eius etiam fecerat, uendicauit. Hac uictoria Africae tributum impositum, & ut quotannis eò praetor mitteretur tradit Appianus. Velleius etiam, & Strabo ultimo Carthaginensium regionem tum in prouinciae formam redactam tradunt. Rufus: Ter Africa rebellauit, ad extremū deleta per Africanum Scipionem Carthagine, prouincia facta est. Africā autem prouinciam intelligo regionem uniuersam, quam Carthaginienses possederant. Nam Numidia, & ipsa pars Africae non nisi Iugurtha uicto, item Mauritania mortuo Ptolemeo a C. Caligula, & Cyrenaica, quae liberae gentes in Africa erant, ab Augusto prouinciae factae sunt. Africa prouincia a praetoribus primum, deinde anno DCXXXVI. a consulibus, post Augusti tempora a proconsulibus, postremo a consularibus administrata est

PROVINCIAE. ACHAIA. ET GRAECIA

Scipione Africano minore, C. Liuio Druso cos. anno urbis DCVI. Bellum in Achaia excitatum est, caussam huius belli tradit in epitoma Florus, quod legati populi Romani ab Achaeis pulsati sunt. Corinthum missi erant, ut eas ciuitates quae sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent. Qua de re plenius Iustinius libro XXXIIII. sic tradit: Quaerentibus (inquit) Romanis caussas belli aduersus Achaeos,

Achaeos, tunc solos ex uniuersa Graecia nimis potentes, tempestiue fortuna, quaerelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achaei propter mutuum odium populabantur. Spartanis a senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum, & ad iniuriam demendam in Graeciam missuros, sed legatis occulta mandata data sunt, ut corpus Achaeorum dissoluerent, singulasque urbes proprij iuris facerent. Igitur legatis omnibus ciuitatis principibus euocatis Corinthum, decretum senatus recitant, quid consilij habeant aperiunt: Expedire omnibus dicunt, ut singulae ciuitates leges suas, & sua iura habeant, quod ubi omnibus innotuit, ueluti in furorẽ uersi uniuersum peregrinum populum trucidant, legatos quoque ipsos Romanos uiolassent, nisi audito tumultu, trepidi fugissent. Florus Critolaum Achaeorum ducem dubium an manu, oratione certe legatos Romanos uiolasse ait. Pausanias Critolaum ducem ab ijs lectum, bellum contra Romanos suasisse scribit. Pythiam item, qui Thebis magistratum gerebat, Boeotos ad arma, quod a Metello praetore Macedoniae magna pecunia mulctati fuerant, concitasse. Quibus rebus Romam nuntiatis, Romanos Achaeis bellum indixisse. Quod a Q. Metello Macedoniae praetore inchoatum, anno sequenti L. Mummius consul, qui Metello successerat cum Corinthi excidio confecit. Florus. Cum Achaeis, qui in auxilium Boeotos, & Chalcidenses habebant, Q. Caecilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit. Quibus uictis eorum dux Critolaus ueneno sibi mortem consciuit. In cuius locum Diaeus Achaici motus primus auctor, ab Achaeis dux creatus, a L. Mummio consule uictus est, qui omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex S. C. diruit, quia ibi Romani legati uiolati essent. Thebae quoque, & Chalcis dirutae. Ipse abstinentißimum egit triumphum. Ita Florus. Corintho excisa, L.

Mummius omnibus Graecis arma ademit,& ex decem legatorum,quos senatus miserat sententia prouincia constituta est, tributum Graeciae impositum, concilia sublata, institutumq; ut eò quot annis praetor mitteretur, qui non Graeciae, sed Achaiae praefectus appellaretur, quod Graeciam Romani per Achaeos tum Graeciae principes, subegerunt.Hoc etiam bello Epirotas cum Achiuis, & Thessalis, & Macedonibus in prouinciae formam redactos produnt Iornandes,et Rufus ita: Graecis in nostram fidem confugientibus ad Achaiam accessimus. Athenienses aduersum Philippum Macedonum regem auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub amicis nostris Achaia fuit, ad extremum legatis Romanorum apud Corinthum uiolatis, per L.Mummium cõsulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est. Epirotae, qui aliquando cum rege Pyrrho in Italiam uenire praesumpserant uicti, atque Thessali simul cum Achiuorum,& Macedonum regionibus nobis accesserunt. Atque ita eodem anno Macedonia, Africa,& Achaia tres prouinciae factae. Prouinciam tamen Macedoniã postea cum Achaia coniunxit, eque duabus unam fecit rogatione perlata P.Clodius tribunus plebis, et utranque L.Pisoni,quasi praemium,quod in Cicerone eijciendo consensisset, dedit administrandam

PROVINCIA GALLIA NARBONENSIS

M.Plautio Ypsaeo,& M. Fuluio Flacco cos.anno urbis DCXXIIX. primum cum Gallis trans alpes dimicatum est. Salyes populi huius auctores belli fuerunt, quum Maßiliensiũ sociorum populi Romani fines inuasißent. Salybus accesserunt Aruerni,Ruteni,& Allobroges, quibus quadriennij spatio

tio subactis bellum finitum est, quod ab ijs Allobrogicum est appellatum, res aduersus eos prospere imperatores Romani gesserunt M. Fuluius Flaccus, anno urbis DCXXIX. C. Sextius Caluinus An. DCXXX. & DCXXXI. Cn. Domitius Ahenobarbus An. DCXXXII. & Q. Fabius Maximus Aimiliani filius, qui postea Allobrogicus dictus est, anno DCXXXIII. Florus: Prima trans Alpes arma nostra sensere Salyes, quum de incursionibus eorum fidißima, atque amicißima ciuitas quaereretur Maßilia. Allobroges deinde, et Auerni, quum aduersus eos similes Aeduorum querelae, opem & auxilium nostri flagitarent. Et in epitoma LX. Fuluius Flaccus primus omnium transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Maßiliensibus aduersus Salyos Gallos, qui fines Maßiliensium populabantur. Marcellinus libro decimoquinto: Gallorum regiones praecipuae, quae Italicis cõfines, primo tentatæ per Fuluium, quassatae per Sextium, ad ultimũ per Fabium Maximum domitae. Fuluio igitur Sextius, qui Salyos deleuit, succeßit. Sextio Ahenobarbus, qui Allobroges et Aruernos uicit, & de ijs triumphauit. Huic Q. Fabius Allobrogicus, qui Gallis Aruernis, Rutenis, & Allobrogibus ingenti proelio superatis, & hostium rege Bituito capto, bellũ confecit, ut his uerbis tradit Florus: Q. Fabius Maximus consul Paulli nepos aduersus Allobrogas, & Bituitum Aruernorum regem feliciter pugnauit. Ex Bituiti exercitu caesa millia hominum CXX. Allobroges in deditionem accepti. Eadem referunt Strabo libro quarto, Orosius, Plinius libro septimo. Appianus, Velleius, & Marcellinus. Addit Caesar libro primo de bello Gallico: Aruernos, & Rutenos a Fabio Maximo superatos, ijsque P. R. ignouisse, neque in prouinciam redegisse, neque stipendium imposuisse. Galliam uero Narbonensem hoc bello in prouinciae formam redactam, atque ut quotannis in

eam,

eam, ut praetores mitterentur, institutum, & Pomponius de origine iuris referre uidetur, & ex sequentium annorum historia patet, tum maxime ex Critognati Aruerni apud Caesarē oratione libro septimo, quum ait: Quod si ea, quae in longinquis regionibus geruntur ignoratis, respicite finitimā Galliam, quae in prouinciam redacta, iure, & legibus commutatis, securibus subiecta, perpetua praemitur seruitute. Post Allobrogicum aliquot Romani duces, de iisdem Gallis, & praesertim Alpinis tumultuantibus, & uictis triumpharunt. Postremo eam C. Marius ab impetu Cimbrorum egregie defendit, atque Cimbris caesis, pacem & quietem eius conseruauit. C. Pontinius Allobroges tumultuantes compescuit. Quam postremo prouinciam, quum C. Caesar obtinuisset, uniuersam Galliam nouem annorum interuallo in P. R. ditionem redegit

INSVLAE. BALEARES VICTAE

Q. Caecilio, & T. Quinctio cos. dum res cum Allobrogibus geruntur, bellum Balearicum exortum est. Cuius hanc causam exponit Florus: Baleares (inquit) insulae piratica rabie corruperant maria, ascendere etiam inconditas rates, & praeternauigantes subinde inopinato metu terruere. Sed quū uenientem ab alto Romanā classem prospexissent, praedam putantes ausi etiam occurrere, & primo impetu ingenti lapidum, saxorumque nimbo classem operuere, sed non diu, nam postquam cominus uentum est, expertique rostra et pila uenientia pecudum in morē clamore sublato petierunt littora fuga, dilapsique in proximos tumulos quaerendi fuerunt, ut uincerentur. Metelli Macedonici filij auspicio res gesta, Balearici ei cognomen imposuit. Strabo libro tertiodecimo. Quum

ex

ex Balearibus pauci quidam improbi, cum maris praedonibus conspirassent, uniuersos criminatus Metellus cognomento Balearicus inuasit, idemque colonias condidit. De his uictis et subactis triumphauit

PROVINCIA. THRACIA

M'. Acilio Balbo C. Catone cos. anno urbis DCXL. Bellum cum Thracibus Macedoniae finitimis, quod non in proximam modo prouinciam Macedoniam incurrerent, sed Thessaliam, atque Dalmatiam, usque ad Hadriaticum mare praedando peruenissent. Contra quos primus consul missus est C. Cato cum praetore T. Didio. Consul male aduersus Thracas, praetor bene pugnauit, & de ijs triumphauit. Hoc bellum multis annis continuatum est, de quo sic scribit Rufus: In Thracias Macedonici belli occasione transcursum est; saeuissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thracum regionibus Scordisci habitauerunt pariter crudele, & callidum genus. Saepe per eos caesus est Romanus exercitus. T. Didius uagantes Thracas repreßit, M. Liuius Drusus intra fines proprios continuit, M. Minucius Rufus in Hebri fluminis glacie uastauit, L. Sulla dictator Dardanos, atque alios Thracum populos Macedoniam incursantes proelio profligauit. Cn. Dolabella post Sullam contra Thraces res prospere geßit. Per Ap. Claudium proconsulem hi, qui Rhodopen, & Caucasum incolunt uicti sunt. Europae maritimas urbes ante Romana claßis obtinuit. Dardanos, & Moesos Curio proconsul subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque peruenit. M. Lucullus per Thracias cum Beßis primus pugnauit, ipsamque caput gentium Thraciam uicit. Hemimontanos uicinos subegit, Olympiadam, quae nunc Philippopo-

lis, & Muscadoniam, quae modo Hadrianopolis dicitur in ditionem nostram redegit, Caubilem cepit, supra Pontum positas ciuitates occupauit, Apolloniam, Galatiam, Parthenopolim, Tomos, Istrum, ad Danubium usque perueniens Romana Scythis arma monstrauit. Triumphauit uero procos. de Thracibus, Dardanis, & Beßis ex Macedonia

PROVINCIA . NVMIDIA

Anno urbis DCXLIII. P. Scipione L. Bestia cos. Bellũ contra Iugurtham Numidarum regem a populo Romano susceptum est, quod fratres Hiempsalem, & Adherbalem agitatus regni cupiditate, contra senatus denuntiationem occidisset. Primus in Numidiam cum exercitu missus L. Calpurnius Bestia, qui captus regis pecunia pacem cum eo flagitiosam fecit, quae a senatu improbata est: post Bestiam Sp. Postumius res in Africa male geßit. Deinde Q. Metellus consul aduersus Iugurtham missus exercitu ad pristinam disciplinam redacto, duobus proelijs Iugurtham fudit, Thalam oppidum diripuit, uniuersam Numidiam uastauit, ac regem ipsum per Mauros & Getulos fugientem insequutus, re paene confecta successorem accepit C. Marium consulem. Ipse Romam triumphans ingressus est Numidici cognomine auctus. C. Marius cõsul transportatis in Africam copijs Iugurtham qui bellum reparauerat aliquot leuibus proelijs primo fudit, fugauit, & armis exuit. Eum postremo cum Boccho Mauritaniae rege quem bello socium adsciuerat uicit. Bocchus in desperationem uersus Iugurthã uiuum Romanis prodidit. A quibus captus & in triumphum a C. Mario ductus, occisus est. Numidia quae eius regnum fuerat a C. Mario pro cos. anno DCXLIX. ex decem legatorum sententia prouinciae formã accepit,

accepit, atque in Africa duae prouinciae factae sunt, Africa ubi erat Carthago, & Numidia. Hanc rem Sex. Rufus ita tradit: Numidia ab amicis regibus tenebatur, sed Iugurthae ob necatos Adherbalem & Hiempsalem Micipsae regis filios bellum indictum est. Quo per Metellum consulem attrito, perque C. Marium capto in potestatem populi Romani Numidia uenit

PROVINCIA · CYRENEICA

Anno vrbis DCLX. C. Coelio & L. Domitio cos. Ptolemaeus Cyrenarum rex cui cognomen Appioni fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit, & eius regni ciuitate senatus liberas esse iußit. Cyrene autem Africae regio est Aegypto contermina. De hac re ita scribit Rufus: Cyrenas quũ ceteris ciuitatibus Libyae Pẽtapolis Ptolemaei antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Appionis regis arbitrio sumus assequuti. Libera haec regio diu fuit. Postremo eam in prouinciae formam redegit Augustus, Cretaeque administrationi coniunxit, ut Dio, & Strabo auctores sunt

PROVINCIA . CILICIA

Aduersus Cilices & Isauros, qui se piratis & maritimis praedonibus iunxerant, mareque omne, quod inter Cretam, atq; Cyrenas, Piraeum, et Achaiã, sinumq; Maliacũ est latrocinijs uexabant, P. Seruilius Vatia proconsul missus, eos Phaselide, Coryco, Olympo, Isauroque ipsa Ciliciae arce captis, subegit, atque Isauricus appellatus est. Hoc bello P. Seruilius Pamphiliã, Lyciam, Icariam, Isauriam, Phrygiae, & Ciliciae partem in prouinciae formam redegit, (nam Cilicia

post Mithradatico bello tota fere a Pompeio in potestatem re dacta est, primusq; omnium Romanorum ducum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Vnde Rufus ita scribit: Cilices, & Isauros qui se piratis & praedonibus maritimis iunxerant Seruilius proconsul ad praedonum bellū missus subegit, & uiam per Taurum montem primus instituit, Pamphiliam, Phrygiam, Icariam idem obtinuit, isque de Cilicibus & Isauris triumphauit, atque Isauricus cognominatus est. Triumphauit autem anno vrbis DCXXC. De hoc bello multa Eutropius, Orosius, Florus ex Liuio, & Marcellinus libro XIIII. qui sic loquitur: Cilicia & Isauria prouinciae bello quōdam piratico cateruis mixtae praedonum, a Seruilio procos. sub iugum missae, factae sunt uectigales. Iustinus libro XL. Creta Ciliciaque piratico bello perdomitae in formam prouinciae rediguntur. Et Iornandes: Seruilius proconsul bello piratico obtinuit Pamphiliam, Ciliciam; Pisidiā deuicit, fecitque prouincias

PROVINCIA BITHYNIA

Bithyniae rex Eumenes Romanorum socius, qui bello Macedonico secundo Romanis contra regem Persen subsidia tulit, filium Prusiam reliquit. Hic filium Nicomedem successorē regni habuit. Post quem alius Nicomedes Bithyniae rex fuit, amicitia Caesaris dictatoris notus, cognomine Philopator, Hic eodem tēpore quo P. Seruilius Isauros & Cilices domuit sine liberis moriens, ut antea Attalus Asiam, sic ipse Bithyniā populo Romano testamento reliquit. Cuius regnum in prouinciae formam redactum est, quae paulo post una cum Ponti parte in qua Mithradates regnauit, eo mortuo, una prouincia facta est, Bithyniaeque nomine appellata: utramque uero in prouin-

prouinciae formam redegit Cn. Pompeius Magnus proconsule Ponti rege Mithradate uicto, atque occiso. Altera porro Ponti pars Bosphorum uersus Pharnaci Mithradatis filio regi ceßit. Bithynis & Ponticis Pompeius leges, & iura constituit; de quibus Plinius meminit ad Traianum

PROVINCIA. CRETA

Primus in Cretam insulam bello Antiocheno Romanum exercitum deportauit Q. Fabius Labeo praetor, rebusque in ea prospere gestis naualem triumphum egit, longo tempore post, quum Cretenses praedonibus piratisque se adiunxissent, atque Mithradati studuisse a P. R. insimulati essent, aduersus eos primo missus est M. Antonius III. viri pater, qui Creta, ubi parum prospere pugnauerat, mortuus est. Post quem iterum aduersus Cretensesmissus est Q. Metellus consul, qui totam insulam igni ferroque uastauit. Gnossum, Lyctum, Eleuthram, Lappam & Cydoniam vrbes cepit, saeue in captiuos animaduertit, postremo uictis Lasthene, & Panare Cydoniae ducibus uictor rediit, nec quicquam amplius de tam famosa uictoria quam Cretici cognomen reportauit. Domitis igitur Cretensibus, liberae in id tempus insulae leges dedit. Nam anno sequenti X. legatis a senatu mißis creta in prouinciae formam redacta est. Vnde Velleius: Creta Metelli ductu longißimae libertatis fine mulctata est. Et Rufus: Creta per Metellum consulem prouincia facta est. Iustinus quoque libro XL. Creta & Cilicia bello piratico perdomitae, in prouinciae formam redactae sunt. Cretam postea cum Cyreneica unam prouinciam fecit Augustus

PROVINCIA. PONTVS

Pontus pars maior per Pompeium Magnum uicto Mithradate rege Ponti, prouinciae formam accepit. Nam altera pars sub Nerone, Polemone Ponti rege mortuo eandem fortunam est consequuta. Paphlagoniam Ponto finitimam prouinciam Pylaemenes rex amicus populi Romani ui tenuit, saepe a Mithradate pulsus ex regno, a Romanis est restitutus: quo mortuo postea Paphlagones prouincia facta. Bello hoc Mithradatis ea Ciliciae pars quae nondum imperio Romano subiecta erat, item Asia quae ad Pergamum est, Pontus. Bithynia, Phrygia, finitima Mysia, Lycaonia, Pamphilia, Galatia, Lydia, Caria, Ionia, Hellespontus, Lycia, Icaria, Pisidia, Armenia minor, atque ipsa Graecia partim recuperatae, partim tunc primum in potestatem populi Romani redactae, ut tradit Appianus. Quarum prouinciarũ dispositionem paulo post referam

PROVINCIA. SYRIA

Syria Pompeij Magni uirtute ultimo bello Mithradatico uicta leges accepit, prouinciarumque populi Romani numerũ auxit. Cn. enim Pompeius aduersus Mithradatem Ponti regẽ, qui diuturno bello populum Romanum Sulla & Lucullo ducibus fatigauerat, quamquam ante a Lucullo fractum, missus, ipsum saepe uicit, & in ultimas, & incognitas terras fugauit. Aliquot proelijs Tigranem Armeniorum regem, quod Mithradati auxilia contra Romanos praestitisset uictum in deditionem accepit, eique Cappadociam, Ciciliae partem, Armeniam minorem, & Mesopotamiam, ac Syriam cum Phoenice &

ce, & Sophene, quas regum Syriae stirpe deficiente, ui interceperat, usque ad Euphratem ademit, pecuniam ingentem imperauit, regnumque Armeniae maioris ei tātum concessit. Albanorum, Colchorum, & Iberiae reges proelio uictos obsidibus acceptis, dimisit liberos. Nouissime Mithradatem saepe deuictum ueneno sibi mortem asciscere coegit. Qui deinde in Syriam transgressus, Aretam Arabum regem qui Syros populatus erat in deditionem accepit; in Palestinam profectus Iudaeos debellauit, urbem Hierosolymam cepit, atque Hyrcano rege constituto in Pontum reuersus est, ubi vrbibus in fidem acceptis, in Asiam traiecit, quum Orientem omnem usque ad Euphratem debellasset. Ex regionibus uictis Pontum, Bithyniam, & Phrygiam; Asiam cum Lydia, Caria, Ionia, Hellespōto, & Mysia; item Ciliciam; Syriam quoq; ac Mesopotamiā, prouincias populi Romani quattuor, uel de nouo fecit, uel restituit. Regibus amicis & foederatis, ut Tigrani Armeniam maiorem, Pharnaci Mithradatis filio Bosphorum, Ariobarzani Cappadociam, Antiocho Comageno Seleuciam, Deiotaro atque alijs tetrarchis cum Armenia minore Galatiam, & Lycaoniam, Pylaemeni Paphlagoniam, Aristarcho Colchidem, Palestinam Hyrcano permisit. Rhodios, Pisidiam, & Lyciam suis legibus liberas reliquit. Deinde in vrbem reuersus ex Asia, Ponto; Cilicia, Paphlagonia, Cappadocia, Syria, Scythis, Iudaea, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, Armenia, pirateis, & regibus Mithradate, atque Tigrane nobilissimum triumphum per biduum III. & prid. kal. Octobris egit, Anno vrbis DCXCIII. cuius triumphi titulus hic fuit: Cn. Pompeius Magnus bello XXX. annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum uicies semel centenis LXXXIII ∞. depressis aut captis nauibus DCCCLXVI oppidis, castellis ∞ DXXXVIII. in fidē acceptis, terris a

Maeoti lacu ad Rubrũ mare subactis, uotũ merito Mineruae

PROVINCIA. CYPRVS

Insula Cyprus ultima stante Rep. in prouinciae formam more maiorum est redacta, misso in eam M. Catone quaestore, cum iure praetorio, lege P. Clodij tribuni plebis, Cn. Lẽtulo & L. Philippo cos. ut rege Ptolemaeo pulso, insulam prouinciam faceret, ac bona regis publicaret. Is in insulam quũ nauigasset, per Canidium quem praemiserat regi, qui sibi uim inferri non est passus, persuasit, ut sponte Cypro cederet, cuius morte percepta, quam rex ueneno hausto, ipse sibi Rhodi consciuerat, in Cyprum profectus, insula constituta regiam suppellectilem omnem, quae praeciosissima erat Romam cum magna senatus ac magistratuum occurrentium uoluptate ac plausu, per Tiberim deuexit. Qua de caussa senatus ei praeturam citra comitia decreuit, quem ille honorem repudiauit. Hanc rem ita memorat Rufus: Cyprus famosa diuitijs paupertatem populi Romani ut occuparet solicitauit. Eam rex foederatus Ptolemaeus regebat, sed tanta fuit penuria aerarij Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, ut lege lata per P. Clodiũ tribunus plebis Cyprus cõfiscari iuberetur, quo accepto nuntio rex Cyprius uenenum sumpsit, quo uitam potius quam diuitias amitteret. Cato Cyprias opes nauibus deuexit, ita ut ius eius insulae auarius magis quam iustius Romani sint assequuti. Et Velleius, Cyprus S.C. ministerio Catonis, regis morte facta prouincia est. Haec postea simul cum Cilicia tanquam una prouincia S.C. tradita est P. Lentulo proconsuli, quod haec uerba Ciceronis ad ipsum significant: Te posse perspicere qui Ciliciam Cyprumque teneas, quid efficere quid consequi possis Postea quaestores in eam missi cum iure praeto-

praetorio, quod ab eodem Cicerone dedicimus, qui ad C. Sextilium Rufum sic scribit: Tuae laudi conducere arbitror, quũ primus in eam insulam quaestor ueneris, ea instruere quae sequantur alij

PROVINCIA GALLIA TRANSALPINA

Bellum Gallicum Transalpinum, quod Caesar per nouem annos gessit L. Pisone A. Gabinio cos. susceptum est, non Gallorum magis culpa quam Caesaris, qui gloriae cupidus omnẽ belli occasionem arripuit. Is enim in consulatu quem anno ante gesserat, Crasso & Pompeio & L. Pisone cos. suffragantibus Illyricum, ac Galliam citeriorem cum tribus legionibus a populo, ulteriorem cum legione una in quinquennium a senatu obtinuerat. Qui in prouinciam profectus, efferis & fortissimis gentibus lacessitis, nouem annis quibus in imperio fuit omnem Galliam, quae a saltu Pyrenaeo alpibusq;, & in monte Gebenna, fluminibus Rheno, ac Rhodano continetur, patetq; circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, praeter socias, ac benemeritas ciuitates in prouinciae formam redegit, eique in singulos annos stipendij nomen imposuit. Germanos qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum fabricato ponte aggressus, maximis afficit cladibus. Aggressus est Britãnos, ignotos antea, superatisque pecunias, & obsides imperauit. Velleius: Gallias primum Domitio, & Fabio nepote Paulli, qui Allobrogicus appellatus est intratas cum exercitu, magna mox clade nostra saepe, & adfectauimus, & admisimus, sed fulgentissimum C. Caesaris opus in his conspicitur, quippe eius ductu auspicijsque infractae paene idem quod totus terrarum orbis ignauum conferunt stipendium. Et Rufus

sus: Ceterum Caesar cum decem legionibus Gallias per annos nouem subegit, cum Gallis ultra Rhenum positus conflixit, ab alpibus Britanniam usque transiuit, decimo anno Gallias, & Britannias tributarias fecit

Hae itaq: sunt regiones omnes, populi, regna, & gentes, quae ab vrbe condita usque ad annum eiusdem vrbis DCCV. consulatumque L. Lentuli, & M. Marcelli, in quo Caesar dictator primum creatus, libertatem oppressit, in ditionem populi Romani uenerunt. Quarum triplex conditio fuit. Etenim aut liberi populi suis legibus uiuere permissi; aut regna amicis, & foederatis regibus concessa; aut prouinciae populi Romani fuerunt, in quas quotãnis uel proconsules, uel pro praetores mitterentur. Prouinciarum enim quaedam consulares quaedam praetoriae erant, idest, quaedam a pro consulibus, quaedam a pro praetoribus regebantur. Verum ne quis erret, neutrum perpetuum fuit, non enim haec aut illa prouincia semper aut consularis, aut praetoria; sed ita nomen mutabat, ut uarie modo a consularibus, modo a praetorijs administrabatur. Quam potestatem non populus sed senatus habebat, ut quos uellet, in quas uellet mitteret administratione annua, quod lege Sempronia a C. Graccho tribuno plebis sancitum erat. Quam legem C. Caesar non obseruauit, cui prouinciae per quinquennium decretae sunt. Erat igitur eadem prouincia ex uoluntate senatus modo cõsularis, modo praetoria. Vt (exempli gratia) Macedonia, quam Cn. Dolabella, C. Curio, M. Lucullus, L. Torquatus, C. Antonius omnes consulares administrarunt, tum C. Octauius praetorius Augusti naturalis pater, rursus consularis L. Piso, & Pisone reuocato Q. Ancharius praetorius, idemque patet in ceteris. Nouissimis autem reip. temporibus paulo ante Pharsalicam pugnam, qua libertas populi Romani concidit,

dit, prouinciarum populi Romani administratio in XV. dioeceses diuisa erat, septē consulares, & octo praetorias: Quod ex Coelij epistola ad Ciceronem eo tempore scripta apparet, ubi sic scribit: Senatui placere in Ciliciam prouinciam, in que octo reliquas praetorias mitti. Regebantur porro octo prouinciae, quae in eo S. C. praetoriae uocantur a magistratibus octo praetorijs, Cypro excepta, quam quaestor, ut supra ostendi, cum iure praetorio administrabat. Verum postea inter praetorias numerata fuit. Prouinciae autem populi Romani, quas XV. fuisse ex ea Coelij epistola liquet, tum cōsulares, tum praetoriae, hae erant

Sardinia et Corsica prouinciae factae inter primum & secundum bellum Punicum a T. Manlio Torquato, & C. Papirio Masone

Sicilia, cuius partem prouinciam fecit bello Punico primo C. Lutatius Catulus, totam uero bello Punico secundo M. Valerius Laeuinus

Gallia Cisalpina prouincia facta a M. Claudio Marcello V. consule

Gallia Transalpina a Q. Fabio Maximo Allobrogico

Hispania citerior } Scipionis Africani uictoria prouinciae factae
Hispania ulterior }

Illyricum, Dalmatia, Istri, & Liburni in prouinciae formam redacti uictoria L. Anicij Galli

Africa, & Numidia prouinciae factae a Scipione Africano minore, & C. Mario VII. cos

Macedonia, Achaia, Thracia, Graecia, Aetolia, Thessalia Boeotia, Acarnania, Epirus prouinciae factae Q. Metelli Macedonici, L. Mummij Achaici, M. Terentij Luculli, & M. Fuluij Nobilioris uictorijs; omnes enim hae prouinciae lege P. Clodij ab eo qui Macedoniae praeerat, regebantur

Asia,

Asia, Lydia, Ionia, Caria, Hellespontus, Mysia, & Phrygiae pars, prouinciae factae M. Perpernae, & M. Aquillij uictorijs

Pontus, & Bithynia, & Propontidis pars, a Cn. Pompeio Magno prouinciae factae

Cilicia, Pamphiliae, Lycaoniae, & Phrygiae pars, uictorijs P. Seruilij Isaurici, & Cn. Pompei Magni. Phrygiam in duas iurisdictiones dispertitam fuisse, ut una pars Ciliciae, altera tribuerentur Asiae, itemque Pamphiliae, & Lycaoniæ partem sub regibus, partem sub Ciliciae procos. fuisse. Cicero & Dio auctores sunt

Suria omnis usque ad Euphratē, & Mesopotamiae pars in prouinciam a Cn. Pompeio Magno redactae

Creta insula Q. Metelli Cretici uictoria prouincia facta

Cyprus insula a M. Catone in prouinciae formam composita

Quod autem esset annuū uectigal, quod populus Romanus ex his omnibus prouincijs, tam ante, quam post bellum Mithradaticum capiebat, quantumque id Cn. Pompeius, primū, deinde libertate sublata sequentes Romani imperatores auxerint, usque ad Traiani Augusti principatum, sub quo imperiū Romanum, ad summum quod peruenire potuerit, auctum, sensim deinceps labare coepit, haud multo post, commodius ex instituto exponam

Harum prouinciarum hae consulares hoc tempore erant

Hispania citerior Hispania vlterior	a Cn. Pompeio pro cos. per legatos administratae

Gallia

Gallia Cisalpina Gallia Transalpina Illyricum,& Dalmatia	quas unus C. Caesar procos.obtinebat
Cilicia &c. a M.Cicerone pro cos Suria &c. a M.Bibulo pro cos	administratae

Hae vero VIII. praetoriae prouinciae erant

Sicilia
Sardinia, & Corsica
Africa, & Numidia
Macedonia,Achaia,Graecia, &c
Asia,Lydia,Caria,Ionia,Mysia, &c
Pontus, & Bithynia
Creta insula
Cyprus insula

Hoc tempore socij, vel foederati reges erant

Ptolemaeus Aegypti Iuba Mauritaniae Pharnaces Bosphori,& Ponti Ariobarzanes Cappadociae Tigranes Armeniae maioris Antiochus Comagenae Deiotarus, & tres alij Armeniae minoris,Galatiae,& Pamphiliæ Pylaemenes Paphlagoniae Aristarchus Colchidis Hircanus Iudaeae Palestinae	Ex Dione, Cicerone, Rufo, & Strabone

Liberi vero populi erant

Rhodij. Tranquillus in Vespasiano
Cyreneici in Africa. Liuius, & Dio
Pisidae & Lycij } in Asia. Cicero in epistolis ad Atticum

Haec porro est Romanae ditionis prouinciarum ab Hispania ulteriore extrema ad occidentem prouincia, usque ad Euphratem, qui terminus ad orientem imperij fuit, descriptio. Quod populi Romani extremo libertatis tempore imperium erat. In quas omnes prouincias ibant, uel consulares cum duodecim fascibus, uel praetorij cum sex, totidem utrique quot in urbe habebant: interdum etiam praetorios cum iure consulari, et duodecim fascibus senatus in prouincias mittebat, ut Q. Ciceron in Asiam. De quo Tranquillus in Augusto: Extant (inquit) Ciceronis epistolae, quibus Quinctum fratrem parum secunda fama proconsulatum Asiae administrantem hortatur & monet, imitetur in promerendis socijs uicinum suum Octauium, ubi proconsulatum uocat hominis praetorij administrationem. Eadem ratione titulus est Q. Metello Celeri pro cos. in duabus epistolis. Qui tamen consulatum non gesserat, sed ex praetura in Galliam Cisalpinam profectus erat. Item alibi: Cum prouinciam Asiam proconsulari imperio obtineres, & cet. de homine praetorio loquitur. Primis temporibus quum prouinciae tuendae armis essent, & in discrimine uersarentur exibant in eas inito statim magistratu consules, & praetores; uel ut quaeque cuique sorte obtigerat, uel etiam quandoque consulibus inter ipsos comparantibus, sic enim loquebantur quum inter eos de duabus consularibus prouincijs conuenisset,

ſet, nam inter praetores comparandi conſuetudinem non fuiſſe opinor, quod ſi bellum produceretur, imperium in iiſdem prouincijs proconſulibus, aut propraetoribus a ſenatu prorogabatur in annum, & aliquando in biennium. Donec C. Gracchus tribunus plebis Tiberij frater legem tulit, ut conſulares prouinciae quotannis per ſenatum decernerentur, & imperiũ conſulare, non niſi annuum eſſet. Poſt conſtitutas uero quaeſtiones perpetuas, quod Cicero anno urbis DCV. factum fuiſſe tradit L. Marcio Cenſorino, M'. Manilio cos. praeturae iuriſdictionis forma paulo etiam mutata eſt, nam quum ſex praetores eſſent, duo tantum urbanus & peregrinus in urbe manebant, reliqui quattuor inito magiſtratu ſtatim in prouincias quas ſingulis ſors dederat ibant, in quibus annũ praeturae explerent: poſt conſtitutas uero quaeſtiones perpetuas omnes deinceps ſex praetores toto magiſtratus ſui tempore in urbe retenti. Ex his duo more ueteri ius dicebant urbanus, & peregrinus, reliqui quattuor publica iudicia exercebant, de quibus non uidebatur extra ordinem quaerendum eſſe, ut repetundarum, ambitus, maieſtatis, & peculatus. Poſtremo L. Sulla dictator aucto perpetuarum quaeſtionum numero, ut de falſo, de periurio, & de iniurijs, & quattuor tantum praetores publicis iudicijs praeeſſent, duos alios praetores adiecit, ut ex Cicerone intelligitur, atque ita coeperunt octo praetores Romae eſſe, quorum duo urbanus, & peregrinus priuatis potiſſimum iudicijs, reliqui publicis quaeſtionibus præerant; annua praeturae in urbe adminiſtratione finita, tũ pro praetoribus in prouincias quas ſenatus praetorias eſſe decreuerat exibant. Quorum adminiſtratio Corneiia lege tantum annua erat. L. enim Sulla dictator lege cauit, ne quis plus anno prouinciae praeeſſet, qui uiderit opinor in rep. diuturnis imperijs aſſueſcere, tutum non eſſe. Itaque Galliarum decen-

nis illa Caesaris administratio libertatis exitium fuit. Huius legis meminit Cicero in epistola ad Appium. Post Sullam Caesar dictator legem tulit, ne praetoriae prouinciae plusquam annum, nec plusquam biennium consulares obtinerentur, tulit autem hanc legem uicto Pompeio, quum ipse iam per decem annos Galliam contra C. Gracchi, & L. Sullae leges obtinuisset, consequutus id quod nemo ante, & S.C. & lege. Legis uero, quae rectoribus prouinciarum imperium dabant, duae fuerunt. Curiata dabat imperium populus, ut Liuius indicat libro nono, Cornelia senatus. Nam quum S.C. factum esset, ut prouincias magistratus sortirentur, aut compararent inter se, tum si ij uel sine lege curiata in prouincias proficiscerentur imperium habere dicebantur, donec in urbem reuertissent. Quod in epistola Ciceronis ad Lentulũ intelligi potest. Quod autem in agraria II. scriptum est: Rem militarem sine curiata lege attingere non licere, id intelligi debet, de ijs magistratibus qui sumptu publico ibant in prouincias, quibus publica pecunia opus esset alendis militibus, belloque gerendo, his enim imperium dabatur lege curiata, quo rem militarem attingere possent, uerum quum bellum gerendum non esset, neque milites in prouinciam iam pacatam educendi, id solo S.C. fieri, & sine lege curiata in prouinciam ire poterãt. Hic autem status reip. & administrandarum prouinciarum ratio libertatis tempore, ante remp. a Caesare occupatam fuit. Nam ab Augusto Caesare post bella ciuilia confecta, reip. longe diuersa forma, ut mox referam, constituta est

PROVINCIAE . A . CAESARE DICTATORE. FACTAE

Bello ciuili ad ad Pharsalum gesto, in quo caesa optimatum factione,

factione, Caesar qui uictoriam obtinuerat, rerum potitus est, ipse postea fugientem Pompeium Alexandriam est persequutus. Quem ut occisum deprachendit, cum Ptolemaeo Aegypti rege, a quo sibi quoque insidias tendi uidebat, bellum difficillimum gessit. Regnum Aegypti uictor Cleopatrae fratrique eius minori permisit, ueritus prouinciam facere, ne quandoque uiolentiorem praesidem nacta, nouarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, & inde in Pontum transijt, urgentibus de Pharnace nuntijs. Hic enim Mithradatis magni filius, quum a Pompeio bello Mithradatico Bosphori Cimerij rex constitutus esset, captato tempore quo Romani inter se armis contendebant, patrij recuperandi regni cupidus, Colchida & Armeniam, Cappadociae, & Ponti partem occupauit, Cn. Domitium Caluinum a Caesare ad eius opprimendos conatus missum, profligauit; qua uictoria ferox expugnata Amiso reliquam Ponti partem inuasit. Hunc Caesar intra quintum quam adfuerat diem, quattuor quibus in conspectum uenit horis, ad Zeliam una profligauit acie, qui cum in Bosphorũ profugeret, ab Asandro Bosphorani tumultus auctore occisus est, quo factum est, ut merito Caesar gloriatus sit, se ita cũ Pharnace pugnasse, ut eadem hora uenerit, uiderit, & uicerit. Atque hac uictoria Bosphorus, Ponti & Bithyniae prouincijs adiunctus est

MAVRITANIA. PROVINCIA

Mauritanias duas Sitifensem & Caesariensem Bocchus rex & populi Romani amicus, quo auctore Iugurtha Numidarum rex in potestatẽ Romanam uenerat, diu obtinuit. Boccho successit Iuba, qui bello ciuili quum se Pompeianis partibus addixisset, proelio a Caesare in Africa uictus, se ipse inter

fecit. Itaque subacta omni Africa, Mauritaniae quoque a Caesare prouincia factae sunt. Iubae filius Iuba alter admodũ puer Romam a Caesare in triumphum est ductus. Is fuit qui postea scripsit historiam, quam saepe Plinius citat, singulari ingenio & doctrina praeditus, & Augusti liberalitate demum ad regnum paternũ remissus. Is successorem Ptolemaeum ex Antonij et Cleopatrae filia natũ habuit, quo a Caligula interfecto, Mauritania in duas est prouincias redacta, ut infra aperiam

PROVINCIAE. PANNONIA MOESIA. ET. CET

L. Sempronio & L. Scribonio cos. anno vrbis DCCXX uicto in Sicilia Sex. Pompeio, Lepido III. uirali potestate exuto, quum M. Antonius in Aegypto cum Cleopatra luxuriaretur, Caesar Octauianus qui occidentem tenebat, bellum in Illyrico quod Dalmaticum a Tranquillo, Illyricum in Fastis municipalibus Petri Appiani appellatur, adhuc adulescens gerere coepit, quod multis annis cum Noricis, Pannonijs, Rhetis, Illyrijs, Dalmatis, Iapygibus, Liburnis, Tauriscis, Moesis, Thracibus, Vindelicis, Getis, Bastarnis, Germanis, & ceteris quae ad Danubium & Rhenum erant gentibus, partim suo, partim Agrippae, Vibij, Asinij Pollionis, M. Crassi, L. Pisonis, L. Lentuli, Neronis Drusi, & Ti. Caesaris ductu gessit. Harum gentium pleraeque bellorum ciuilium tempore in Romanas prouincias incursiones fecerant. Quo bello domuit partim ductu, partim auspicijs suis Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni, item Rhetias, & Vindelicos, Moesos, ac Thracas. Coercuit Dacorum & Sarmatarum incursiones, tribus eorum ducibus cum magnis copijs caesis, Germanos citra Albim fluuium submouit, ex quibus Vbios et Sicambros

dedentes se transduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit. Alias item nationes male quietas ad obsequium redegit, nec ulli genti sine iustis & necessarijs caußis bellum intulit. Ita Tranquillus. Florus libro CXXXII. C. Caesar in Illyrico Dalmatas domuit. Rufus uero: Alpes Rhetiae, Noricus, Pannoniae, Moesiae, & omnis ora Danubij, Pontus omnis, Armenia minor ab Augusto in prouinciam redactae sunt. Item alibi: Dardanos & Moestos Curio pro cos. subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium, usque peruenit: sub Iulio & Octauiano Caesaribus per Alpes Iulias iter factum est. Alpinis omnibus uictis, Noricorum prouinciae accesserunt. Bathone Pannoniorum rege subacto, in ditionē Romanorum Pannoniae uenerūt. Amantinis inter Sauum & Drauum prostratis, regio Sauensis, ac secūdorum loca Pannoniorum obtenta sunt, Marcomani & Quadi de locis Valeriae quae sunt inter Danubium, & Drauum pulsi sunt, & limes inter barbaros & Romanos ab Augusto per Vindelicium, Noricum, Pannoniam, & Moesiam est constitutus

PROVINCIA AEGYPTVS

Antonio et Cleopatra Aegyptiorū regina ad Actium proelio uictis, & interemptis, Aegyptum quam ad id tempus socij & foederati reges tenuerant, Caesar Augustus in prouinciae formam redegit, quam ut feraciorem habilioremque annonae urbicae redderet, fossas omnes in quas Nilus exaestuat oblimatas longa uetustate, militari opera detersit. & Velleius: Augustus praeter Hispanias aliasque gentes quarum titulis forum eius praenitet, paene idem Aegypto stipendiaria facta, quantum pater eius ex Gallia in aerarium redditum contulit. Et Rufus: Aegyptus omnis sub amicis regibus fuerat,

sed uicta cum Antonio Cleopatra prouinciae formam Caesaris Augusti temporibus accepit, & primus apud Alexandrinos Cornelius Gallus administrauit. Eam Caesar equitibus Romanis non senatoribus regendã tradidit, cuius praeses praefectus, & Iuridicus Aegypti appellabatur

PROVINCIAE. HISPANIAE ET ALPES

Post bellum Actiacum Antonio deuicto, Caesar Augustus Cantabricum bellum gessit, in quo partim ductu, partim auspicijs suis Cãtabriam, Asturicam, Aquitaniam, Salassos gentem alpinã, Alpes maritimas a Liguribus Comatis cultas, multis ferisque nationibus frequentes domuit, & prouincias Romanas fecit. Vnde Rufus: In Hispania ad extremum a Caesare Augusto Cantabri, & Astures, qui freti montibus imperij immunes adhuc resistebant, deleti sunt. Quo tempore quum ille conuentum Narbonae ageret, census a tribus Gallijs Aquitania, Lugdunensi, & Belgica, quas pater Caesar dictator subegerat actus. Velleius: Post bella ciuilia Dalmatia rebellis ad certam confessionem pacata est imperij, Alpes multis ferisque nationibus celebres perdomitae, Hispaniae nunc ipsius praesentia, nunc Agrippae multo uarioque Marte pacatae

AFRICA. DOMITA

Haec in Europa a Caesare gesta. In Africa autem tumultuatum magis quam bellatum. Caesar enim Musulamios, atque Getulas accolas Syrtium, Cosso duce compescuit, unde illi Getulici cognomen. Marmaridas atque Garamantas Furnio subigendos dedit. Ita Florus. Bellatum autem diu hoc tempore in

re in Africa fuisse, indicant T. Statilij Tauri, L. Autronij, L. Sempronij Atratini, L. Cornelij Balbi ex Africa triumphi in tabulis Capitolinis exarati

PROVINCIAE. IN ORIENTE. FACTAE

Tanta uirtutis & moderationis Augusti Caesaris fama fuit, ut is Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam, populique Romani ultro per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam uendicanti facile cesserunt, & signa militaria quae M. Crasso, & M. Antonio ademerant reposcenti reddiderunt, obsidesque insuper obtulerunt, denique pluribus quondam de regno concertantibus, nō nisi ab ipso electum comprobauerūt. Velleius: Diuus Augustus praeter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum eius praenitet, paene idem facta Aegypto stipendiaria, quantum pater eius Gallia in aerarium redditū contulit. At Caesar quam certam Hispanis parendi confeßionem extorserat, tam parem Illyrijs, Dalmatisque extorsit: Rhetiam autem, ac Vindelicos, & Noricos, Pannoniamque, & Scordiscos nouas imperio Romano subiunxit prouincias, et ut has armis, ita auctoritate Cappadociam fecit stipendiariam. & cet. Idem Augustus Pylaemene rege Paphlagoniam, item Aminta rege mortuis Galatiam, & Lycaoniam, Pamphiliamque ditionis regiae ad id tempus, item Pysidas quoq; & Lycios liberas gentes in prouinciae formam redegit, ut auctor est Dio. Cyrenem quae antea libera fuerat, cum Creta prouincia coniunxit. His tot tantisque rebus gestis, imperio constituto, pace terra marique parta, Ianum geminum bis ante clausum, ipse tertius clausit. Rebus itaque sic compositis, omnibusq; pro-

uincijs in certam formam redactis, Augustus cognominatus est, & mensis Sextilis in honorem eius est appellatus

PROVINCIAE. AB. AVGVSTO ADDITAE

Astures, & Cantabri in Hispania prouinciae Hispaniae additi
Aquitania Gallijs prouincia addita
Pannonia, Noricū, Vindelicia, Rhetia prouincia una
Moesia, Thracia, & Dardani prouincia una
Pamphilia, Lycaonia, Galatia, Pysidia, Lycia prouincia una
Armenia minor usque ad Euphratem Suriae addita
Aegyptus, & Arabiae pars prouincia una
Cyreneica Cretae prouinciae addita
Paphlagonia Bithyniae addita
Illyrici, & Dalmatiae pars Danubium uersus una prouincia facta
Getuli, & Garamantes Africae additi
Salassi, Alpes Maritimae, & gentes Alpinae prouincia una

Hae autem sunt gentes quae ab Augusto uictae, uel regibus mortuis, populi Romani prouinciae factae fuerunt, quibus ceteris quae reip. tempore factae fuerant additis, in duas partes eas omnes diuisit, ut aliae essent senatus populique Romani, aliae Caesaris, quod cur fecerit, & quae senatus, uel Caesaris prouinciae fuerint, nunc exponam

PRO-

PROVINCIAE S.P.Q.R. ET IMP. CAESARIS. AVG

Anno vrbis conditae DCCXXVII. imp. Caesare Augusto VII. *& M. Agrippa* III. *cos. Quum Caesar Augustus ex S. P. Q. R. uoluntate imperium singulare, quod minus ante legitimum uidebatur, sibi uni stabilisset, ut ipse popularis uideretur, tyrannidisque suspicionem a se amoueret, nequaquam totius imperij curam sibi uni depoposcit, sed prouinciarum omnium populi Romani quas supra rettuli, administrationem, una cum senatu & populo cõmunicauit, quae enim pacatae erant, & imbelles, atque a terminis Romani imperij longe aberant, militumque praesidijs non indigebant, populo tradidit. Eas uero prouincias, quae militaribus copijs instructae essent, ut exercitus omnes in potestate sua haberet, sibi retinuit administrandas, tanquam eas quoque pacaturus, pacatasque populo redditurus. Prouinciae autem quas senatui populoq; Romano tradidit administrãdas hae fuerunt, sic noua diuisione, & administratione in XII. dioeceses ab ipso distinctae*

Africa, Numidia, & Lybia proconsularis
Asia cis Halim, & montem Taurum, in qua Lydia, Ionia, Caria, Mysia, Phrygia; & Hellespontus proconsularis
Hispania Baetica praetoria
Gallia Narbonensis praetoria
Sicilia praetoria
Sardinia, & Corsica praetoria
Illyricum, & Epiri pars praetoria

Macedonia, & Graeciae pars praetoria
Achaia, Thessalia, Boeotia, Acarnania, Epeirique pars praetoria
Creta, Cyreneica, & Lybiae pars praetoria
Cyprus praetoria
Bithynia, Paphlagonia, Propótidis, & Ponti pars praetoria

Hae porro fuerunt XII. *prouinciae in quas* S. P. Q. R *more ueteri suos rectores mittebat, quorum qui Africae & Asiae praeerant, hi semper proconsules appellati sunt, quamquam consulatum non gessissent; qui reliquis decem, praetores. Caesar uero suas prouincias ita diuisit, ut in quasdam mitteret legatos propraetoribus, hi proconsulum locum obtinebant, atque legionibus praeerant; in quasdam uero pro procuratores, qui pro praetoria dignitate eas prouincias in quibus tantum momenti non erat, administrarent. Ceterum omnes uno communi uocabulo rectores appellabantur. Caesaris autem prouinciae in* XIIII. *dioeceses distinctae fuerunt hae*

Hispania Lusitania
Hispania Tarraconensis
Gallia Aquitania
Gallia Lugdunensis, alias Celtica
Gallia Belgica, & Germania
Pannonia, Noricum, Vindelicia, & Rhetia
Moesia in qua Dardani, Thraces, & Daci
Dalmatia, & Illyrici pars
Alpes maritimae
Cilicia, Isauria, & Lycaonia
Galatia, Pamphylia, & Pysidia. Lycios enim liberos reliquit

Suria, Armenia minor, Meſopotamia,& oriens omnis uſque ad Euphratem
Aegyptus,& Arabiae pars
Italia omnis a freto Siculo ad Alpes

Reges omnes ſocij & foederati, in his erant praecipui

Iuba Mauritaniae
. . . . . . Hiberiae
. . . . . . Albanorum
Rhaemetalces Thracum
Herodes Paleſtinae . . . . Reges
Aretas Arabum
Antiochus Comagenae
Archelaus Cappadociae
Philopator Cilicum,& alii multi

Has omnes prouincias ualidiſsimis legionibus, quarum ſeriem mox enumerabo muniuit, atque in eas legatos ſuos, procuratoresque mittebat. Vt autem omnem de ſe monarchiae ſuſpicionem eximeret, poteſtatem reip. conſtituendae, & harum prouinciarum ordinandarum in decennium tantum aſſumpſit, hoc enim temporis ſpatio ſe remp. conſtituturum affirmauit, addens ſi citius res compoſuiſſet, citius etiam imperium redditurum. Decennio tranſacto, quum adhuc res cōpoſitae non eſſent, tum in quinquennium, ac deinde in alterū quinquennium, poſt in decennium, poſt etiam in tertium decennium, & petiit & impetrauit. Ita ut ſucceſsione quinquenniorum, & decenniorum perpetuo imperium adminiſtrauerit

De legionibus populi Romani

Quamdiu libera urbs Roma egit, atque a Senatu P.Q.R belli duces eligebantur, fuere in armis semper Italiae populi, quibus Graecis & barbaris subactis, terrae sibi marisque imperium pepererunt. Neque enim ulla orbis terrarum pars, aut caeli tractus fuit, quò non uires suas Romanorum arma protulerint. Postea uero quam Caesar Augustus bellis ciuilibus confectis, rerum potitus est, & laborem Italicis omnibus ademit, & arma detraxit. Militum uero legiones multas legit, easque certis auctoramentis habuit mercenarias, quae Romanum a barbaris tuerentur imperium: tum fluuiorum magnitudine, atque fossarum, montibusque asperrimis, desertisque locis, atque imperuijs circumseptos imperij limites communiuit. Ex his praecipuum robur Rhenum iuxta commune in Germanos, Gallosque subsidium octo legiones erant, in duos exercitus superiorem, inferioremque distinctae. Hispaniae recens perdomitae tribus habebantur, Africa per unam legionem, Aegyptus per duas tenebantur. De hinc initio a Suria, usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur quattuor legionibus coercitum. Thraciam, ripamq; Danubij legiones septem tres in Pannonia, duae in Moesia, totidemque in Dalmatia locatae tuebantur: quae positu regionis a tergo illis, ac si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur, quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanae, tres uigilum, nouem praetoriae cohortes, Etruria ferme, Vmbriaque delectae, aut uetere Latio, & colonis antiquitus Romanis. Italiam utroque mari duae classes Misenum apud & Rauennam, proximumque Galliae littus rostratae naues praesidebant, quas Actiaca uictoria ca

ptas

ptas Augustus in oppidum Foroiulienſe miſerat ualido cum remige. At apud idonea prouinciarum ſociae triremes, alaeq; & auxilia cohortum. ita Tacitus libro quarto. Quibus uerbis, quae fuerit imperij Romani forma ab Augusto conſtituta intelligi poteſt. Porro autem quum Romanas legiones, quae imperio tuendo ab Auguſto, & ceteris imperatoribus inſtitutae ſunt, earundemque ſtationes enumerare decreuerim, non alienum ab hac tractatione erit, pauca quaedam de legione, eius partibus, inſtitutione, et uarietate diſputare. Legio igitur erat certorum militum manus, in quas populi Romani exercitus diuidi ſolebant, Varrone libro quarto de lingua Latina auctore, a delectu militum dicta, quod legerentur milites in delectu, ideſt milites legionis uiritim eligi ſolerent. Nonius Marcellus. Legionum, inquit, proprietatem a delectu militum, Varro libro tertio dictam interpretatur. Tū appellatus eſt delectus, & ab electione legio. Hanc primus omnium trium milliū militum fecit Romulus, quod ſingulae tribus Tatientium, Ramnium, et Lucerū millia ſingula militum mittebant. Qui omnibus praeerat rex, qui ſingulis millibus militum tribuni. Varro enim: Tribuni (inquit) militum dicti, quod terni ex tribus tribubus olim ad exercitum mittebantur. Legioni addita eſt trecentorum equitum turma, quae olim terma dicebatur, uerum E. in V. abijt, quod ter centum equites ex tribus tribubus fiebant: Turmae decuriones praeerant, ut legioni tribuni. Haec etiam Ala dicebatur, quod equites alarum uice pedites tegerent, nam in equitum ordinibus circum legiones, dextra, ſiniſtraque tanquā alae in auium corporibus locabātur, dicebatur is, qui alae praeerat praefectus. Romuli igitur prima legio non niſi trecentorum equitum, & trium millium peditum fuit. Adijcit Plutarchus: Ipſum poſt Sabinos in ciuitatem acceptos legionem duplicaſſe, atque eam ſex mille peditum.

tum & sexcentorum equitum fecisse In qua re *ipsum lapsum fuisse opinor; longo enim tempore post* Romulum, C. Marius *primus omnium legionẽ fecit sex millium peditum, ante enim non nisi quattuor, uel quinque millium fieri solere tradit* Polybius. Romulum *crediderim ego legionem ad quattuor milliũ hominum numerum auxisse, unde & quadrata dicta est, cuius usus fere semper, usque ad* C. Marium Romae *fuit, aucto*re Sex. Pompeio. *Ceterum quum* Romulus *ipse, deinde ceteri reges, postremo consules legionum numerum auxissent, posterioribus tamen temporibus non plures quam quattuor legiones fieri solebant, quarum binas singuli consules, ad bellũ profecturi sortiebantur.* Hae *singulae modo quatternum millium, & ducentorum peditum, modo quinque millium, si quando maius aliquod uidebatur periculum imminere.* Trecentique equites *in singulas legiones describebantur.* Vnde Liuius *libro tricesimoseptimo:* Romana *acies unius prope formae fuit, & hominum, & armorum genere.* Duae *legiones* Romanae, duae *sociũ, &* Latini *nominis erant, quina millia, & quadragenos singula habebant. &c.* Merere *autem in legione nemo poterat, qui ciuis* Romanus *non esset, atque in unam quinq; classium a censoribus relatus; nam socij nominis* Latini, *extra legionem militabant, quorum subsidia auxilia uocabantur, capite censi uero, & reliqui tenuioris fortunae homines, militia immunes erant.* Singulis *legionibus, sex tribuni militum praeerant populi suffragijs creati.* Quod *quando acciderit, nunc aperiam.* Quum *enim ab initio exercitus populi* Romani, *non nisi tria millia peditum haberet, tres tantum tribuni militum sufficiebant, post auctis* Romani *imperij opibus, tribuni sex primum, & postea plures quam sex, & diuersi generis esse coeperunt.* Nam *(ut tradit* Pedianus*) actione* II. *in* Verrem: Tribunorum *militum duo erant genera, primum eorum, qui*

Ru=

Rufuli dicebantur, hi in exercitu creari solebant, & comitia torum, qui Romae comitijs designabantur. De utrisque Liuius libro septimo sic scribit: Et quum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos uocant imperatores ipsi faciebant) T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est, secundum in sex locis tenuit. Ex quibus uerbis apparet Q. Seruilio II. & L. Genucio II cos anno urbis CCCXCII tribunos militum, qui ad sex aucti fuerant, populi suffragijs creari ad legiones coeptos. Deinde plura tribunorum militum genera fuisse, & eos non omnes populi suffragij creatos, & hi qui creabantur, eo primum anno fieri coeptos. Post tribunorum militum numerus auctus, XVI. que facti, C. Iunio Bubulco III. Q. Aemilio Barbula II. cos. Quam rem Liuius libro nono, ita tradit: Et duo imperia eo anno dari coepta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia; unum, ut tribuni militum XVI. in quattuor legiones a populo crearentur, quae antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia; tulere eam rogationem tribuni L. Atilius & C. Marcius; alterum, ut duumuiros nauales idem populus iuberet. Tribuni autem militum populi suffragijs creati singuli mille uiris praeerāt, quum tum exercitus Romanus ex quattuor tantum legionibus, legio uero non nisi quattuor millium peditum esset. Post quum legiones ipsae ad quinque millia, & amplius militum augeri coepissent, uigintiquattuor tribuni a populo creari coepti, sexque per singulas legiones distributi. Ex quibus quattuordecim annua stipendia ad minus quinque; reliqui decem saltem decem fecissent. Hic tribunorum militum numerus usque ad C. Marij tempus permansit. Legiones porro ipsae (ut dixi) non nisi ex ciuibus Romanis legebantur, qui aetate militari essent, ea erat

rat a XVII. ad XLVII. annum. Hi XX. annua stipendia merere solebãt, equites uero decem. Omnibus autem, qui ad honores euehi uolebant militare ante opus erat. Vrbanum namque magistratum nemini capere fas erat, priusquã decem annua stipendia perfecisset. Militum porro legionariorũ quattuor genera erant. Iuniores enim uel tenuioris fortunae homines pilanos; his adultiores hastatos; aetate uero ac robore praestantes, principes; natu maximos triarios uocabant. De quibus Varro libro IIII. sic scribit. Hastati dicti, qui primi hastis pugnabant; pilani, qui pilis; principes, qui a principio gladijs; triarij, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur. In unaquaque autem legione triarij DC. principes ∞CC. totidem hastati, reliqui pilani uelitesue erant numero mille. Quod si maiore numero constaret legio, proportione diuisionem faciebant, triarijs exceptis, quorũ idem semper erat numerus. Horum, ut uarij ordinis erant, ita etiam uaria armorum genera. In ipsis porro legionibus singula militum genera uelitibus exceptis in tot centurias diuisa erant, singulis uero centurijs primarij centuriones praeerant. Hae in triarijs appellabantur primum pilum, secundum pilum, tertium pilum, & sic deinceps. In principibus primus princeps, secundus princeps, & cetera, in hastatis primus hastatus, secundus hastatus, ut in alijs. Duces uero centuriarum appellabantur primi pili centurio, primi principis centurio, & primi hastati centurio. Velites uero in has centurias pro rata parte distribuebantur. Hae centuriae erant plus, uel minus, quantus erat legionis numerus. Hinc in antiquis lapidibus saepe centurionum primi pili mentio est, item Cicero ad Brutum: Nasennius (inquit) octauum principem, idest octauam centuriam principum duxit, Metello Imperatore. Signa legionum erant, auctore Plinio, aquilae, lupi, minotauri, equi, aprique, quo=

quorum simulachra longis hastis a signiferis portata singulos ordines anteibant. Paucis ante C. Marium annis sola aquila in aciem portari coepta erat, reliqua in castris relinquebantur, C. Marius secundo consulatu suo, reliquis signis in totum abdicatis, aquilam legionibus proprie dicauit. Idem Marius (ut tradit Sex. Pompeius) sex millium, & ducentorum hominum, primus conscripsit legionem, quum ante quattuor millium fuisset, unde etiam appellabatur quadrata. Quo tempore tunc primum nouam legionum diuisionem, quae postea in usu fuit factam fuisse existimo, quam tradit Vegetius. Legio enim in decē cohortes diuisa est, cohors autem erat proprie peditum manus, ut turma equitum, a cohortando dicta, quod tribunus eā, ut sequatur cohortari soleret, seu quod ipsa se mutuo frequenter ad pugnā hortaretur. Varro libro quarto de lingua Latina: Cohors dicta, quod ut in uilla, ex pluribus tectis coniungitur, ac quidam fit unum, sic haec ex manipulis copulatur cohors, quae in uilla dicta, quod circa eo loca pecus coerceretur. Legio uero in decem cohortes diuisa est a C. Mario primum, ut opinor, neque enim ante Marij tempora ulla cohortium in legione, neque apud Polybium, neque apud alios mentio est. Harum prima reliquas & numero militum, & dignitate antecedebat. Viros requirebat genere, litteris, animi magnitudinis praestantes, huic tribunus praeerat robore, moribus, & rei militaris scientia praeditus. Nam & reliquae cohortes, prout imperatori placebat a tribunis, siue praefectis regebantur. Prima cohors mille centum quinque peditibus, & equitibus loricatis centum quadraginta duobus constabat, ideoque cohors milliaria appellabatur. A prima cohorte auspicari aciem mos erat. Haec aquilam praecipuum legionis signum, imperatorumque imagines custodiebat: Secūda cohors DLV. pedites, equites uero LXVI. tertia pedites, & equites,

totidem. Quarta cohors eundem peditum, & equitum numerum habebat, sed in tertia cohorte ualidiores milites constituebantur, quia in media acie consistebat. Quinta eodem numero strennuos milites desiderabat, quia sicut prima in dextro, ita quincta in sinistro cornu constituebantur. Quippe cohortes quinque primam aciem instruebant. Reliquae quinque cohortes eundem militum numerum habebant, quem secunda, sed robustiores etiam in sexta collocabantur, quia in secunda acie post aquilam locum sortiebatur. Octaua in secunda acie medium locum tenebat, decima in sinistro cornu consistebat, sic legio decem cohortibus firmabatur, habebatque peditum sex millia ducētos, & equitum septingentos triginta. Vt autē legio in decem cohortes, sic cohors in quinquaginta manipulos, & manipulus rursum in uigintiquinque milites diuidebatur. Hunc autem fuisse ordinem earum legionum, quae ad tutelam Romani imperij, ab Augusto institutae sunt, ex Tacito aperte intelligitur. Quo tempore, is qui pluribus legionibus praeerat, legatus consularis saepißime a Tacito, in antiquis uero epigrammatibus, legatus propraetore eius prouinciae, in qua legiones erant, exempli caussa, Moesiae, Dalmatiae, uel Germaniae, appellatur. Qui singulis legionibus praeerant, legati legionis; qui cohorti tribunus, uel praefectus; qui cētum militibus centurio; qui ducētis ducenarius; qui manipulis manipularius, uocabātur. Vniuersi exercitus signum, uel uexillum ante Hadriani tempora imago Caesaris, uel Augusti dicebatur, postea uero Labarum uocitari coeptum est, legionis aquila, cohortium signa speciali quodam significato, manipulorum uexillum. Is qui locandis castris curam habebat praefectus castrorum uocabatur, hi uero qui caedēdorum lignorum ad palos faciendos, & ferramentorum curam habebant praefecti dendrophororum, & fabrum talis legionis dicebantur.

tur. Erant in una quaque legione praeter hos tubicines, euocatores, medici, & alij eiusmodi ministri, quorum uocabulorũ frequẽtißima mẽtio est in antiquis epigrammatibus, & in omni Taciti historia. Instituendi, exauctorandi, locandi, mutandique legiones, arbitrium, summumque ius penes Romanum principem tantum erat. Is eas ex una prouincia in aliam, pro ut necessitas exigebat migrare iubebat, exauctorabat, ex duobus unam coniungebat, earumdem rectores ipse unus constituebat. Hae legiones & nomina, & plura cognomina a uarijs euentibus indita habuerunt. Ab ordine quo una quaeque earum in aliquo loco primo constituta fuerat nomina sumebant, ut prima, secunda, tertia, decima, & uicesima; sic milites primani, secundani, tertiani, decimani, & uicesimani appellabantur. Et quoniam plerunq; usu uenit, ut duae uel tres uarijs in locis constitutae omnes primae, uel secundae, uel tertiae appellatae fuerint, (una quidem prima in Germania, ex octo, quas supra dixi; altera uero prima ex septẽ in Pannonia, alia autẽ prima ex quattuor in Suria erat) cognominibus inter se se distingui coeperũt, ut una quidem esset prima Adiutrix, alia prima Mineruia, alia uero prima Parthica, nam haec cognomina ad imperatorum arbitrium plerunque sumere solebant; uel ab eorumdem nominibus qui eas instituerunt, ut Augusta, Claudiana, Galbiana, Flauia, Vlpia, Traiana, Antoniniana; uel a prouincijs deuictis ut Parthica, Scythica, Gallica, Arabica, Macedonica, Hispaniensis; uel a locis in quibus primo institutae manserunt, ut Italica, Fretensis, Cyreneica, aut a nominibus Deorum quibus imperatores earumdem auctores addicti erant, ut Mineruia, Apollinaris, Veneria; aut postremo ab alijs euentibus ut Gemina, Adiutrix, Marcia, Victrix, Ferrata, Fulminatrix, Alauda, Rapax, Primigenia, & alia eiusmodi. Illud uero animaduersione dignum, propter

crebras & frequentes legionum mutationes, saepe earundem nomina confusa uideri, atque in eodem imperij limite aliquando duas uel tres legiones esse, quae primae, aut secundae uocentur. Nam quum primum institutae fuerunt, non nisi una prima, uel secunda, uel tertia, eodem in loco erat. vt uero eodē in loco plures primae, uel secundae legiones essent, frequēs earumdē migratio caussa fuit. Primus autē omnium (ut dixi) Augustus Caesar pace populo Romano terra marique parta, imperij limites uersus barbaras nationes statuit flumina, aut mōtes, quae ualidißimis legionibus, quibus incursiones barbarorum in Romanas prouincias prohiberet, muniuit. Horum praecipui amnes Rhenus, Danubius, & praerupti, asperrimique montes a Septentrione, Euphrates ab oriente, Arabum, & Africae solitudines ab occidente, & meridie fuerunt. Quae autem, aut quot legiones, & quibus limitibus, ab Augusto primum factae, deinde aucto imperio a ceteris Romanis principibus additae fuerint, atque quibus nominibus, cognominibusque ornatae essent, ex Tacito potißimum, & Dione, multisque antiquis epigrammatibus exceptas, exponam. Ab Augusto autem qui primus eiusmodi legiones instituit initium sumam

LEGIONES. XXV. A. CAESARE. AVGVSTO per Romanum orbem constitutae

In Hispania legiones III

Legio III. Gallica

Legio VI. Ferrata R. F. C

Legio X. Fretensis

In Germania inferiore legiones IIII

Legio prima . . . . .

Legio

Legio V. Macedonica
Legio XIX . . . . . .
Legio XX. Valeria uictrix
In Germania superiore legiones IIII
Legio II. Augusta
Legio XIIJ. Gemina pia fidelis
Legio XIIII. Gemina Martia uictrix
Legio XVI. . . . .
In Dalmatia legiones II
Legio II. Adiutrix pia fidelis
Legio VII. Gemina pia felix
In Pannonia legiones III
Legio VIII Augusta
Legio IX. Hispaniensis
Legio XV. Apollinaris
In Moesia legiones II
Legio VII. . . . . . .
Legio XI. . . . .
In Suria legiones IIII
Legio IIII. Scythica
Legio VI. Victrix
Legio X. Gemina pia fidelis
Legio XII. Fulminatrix
In Aegypto legiones II
Legio III. Cyreneica
Legio XXII. Primigenia pia fidelis
In Africa legio una
Legio III. Augusta
Mari supero
Classis Rauennas

Mari Infero

Classis Misenas

Classis Actiaca in Gallia Narbonensi, apud ForumIulij

Romae

Cohortes vrbanae III

Cohortes uigilum III

Cohortes praetoriae IX

PROVINCIA. CAPPADOCIA

Duae tantum sub Ti. Caesare prouinciae Romanae factae sunt Cappadocia Archelao in vrbe, & Comagene Antiocho regibus mortuis. De Cappadocia sic scribit Tranquillus cap. XXXVII. Reges infestos suspectosque comminationibus magis, & querelis quam ui repreßit. Quosdam per blanditias, atque per promissa extractos, ad se non remisit, ut Marabodum Germanum, Rhascypolim Thracem, & Archelaũ Cappadocem, cuius etiam regnum in prouinciae formam redegit. Rufus: Cappadoces primo societatem nostram sub Ariarathe rege per legatos petierunt, cuius deficiente stirpe lectus Ariobarzanes rex Cappadocum, qui a Mithradate pulsus, Romanorum armis est restitutus. Semper in auxilium Romanũ fuere Cappadoces. Postremo iterum tertia deficiente prole sub imp. Caesare Augusto Archelaus fauente Antonio rex factus est, quem Tiberius imperio potitus Romã blande quum euocasset, non remisit, ibique diu detentus occubuit. Cuius regnum in prouinciae formam redactum est. Tacitus libro II C. Coelio L. Pomponio cos. Rex Archelaus quinquagesimũ annum Cappadocia potiebatur inuisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem, nullo officio coluisset. Nec id Archelaus per super-

ſuperbiam omiſerat, ſed ab intimis Auguſti monitus, quia florente C. Caeſare, miſſoque ad res orientis, intuta Tiberij amicitia credebatur. Vt uerſa Caeſarum ſobole, imperium adeptus eſt, elicit Archelaum matris litteris, quae non diſsimulatis filij offenſionibus, clementiam offerebat, ſi ad precandũ ueniret. Ille ignarus doli, uel ſi intelligere crederetur uim metuens, in vrbem properat, exceptusque immiti a principe, & mox accuſatus in ſenatu, non ob crimina quae fingebantur, ſed angore, ſimul feſſus ſenio, & quia regibus aequa, ne dum infima inſolita ſunt, finem uitae ſponte an fato impleuit. Regnum in prouinciam redactum eſt, fructibusque eius leuari poſſe centeſimae uectigal profeſſus Caeſar, ducenteſimam in poſterum ſtatuit. Idem paulo poſt: Ti. Caeſare III Germanico II. cos. Cappadoces in formam prouinciae redacti, Q. Veranium legatum accepere, & quaedam ex regijs tributis diminuta, quo mitius Romanum imperium ſperaretur. Poſtea Veſpaſianus imperio potitus Cappadociae propter aſsiduos barbarorum incurſus, legiones addidit, conſularemque rectorem impoſuit pro equite Romano. Tranquillus

PROVINCIA. COMAGENE

C. Coelio L. Pomponio cos. Antiocho Comagenorum, & Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabãtur nationes, pleriſq; Romanũ alijs imperium regium cupientibus. Idẽ paulo poſt: Tiberio III Germanico Caeſare II cos. Comagenis Q. Seruaeus praeponitur tũ primũ ad ius praetoris trãslatis. Comagenem autem nõ omnem prouinciam a Tiberio factam, uel a ſequentium aliquo principum ditioni regiae reſtitutam indicat Tranquillus in Veſpaſiano, quum ait: Tarcheam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiae uſque ad id tempus, in

prouinciarum formam redegit

PROVINCIAE. MAVRITANIAE DVAE. TINGINTANA. ET CAESARIENSIS

Quum C. Caligula Ptolemaeum regis Iubae filium consobrinum suum (erat enim & is M. Antonij e Selene filia nepos) interfecisset, Muritaniam quae regnum eius fuerat in prouinciae formam redegit, atque in duas prouincias diuisit Tingintanam, & Caesariensem, ut auctores sunt Tacitus, Plinius libro v. cap. I. Dio libro LVIII. & in Caligula Tranquillus. Claudius postea imp. primus Romanorum principum Mauritanis per Suetonium Paullinum bellum intulit, omnibusque ijs regionibus usque ad Africae solitudines subactis, multas in ijs colonias, quas mox referam deduxit

PROVINCIA. BRITANNIA

Ti. Claudius Caesar Augustus rerum potitus, quum expeditionem unam, eamque modicam in Mauritanos suscepisset, decretis sibi a senatu ornamentis triumphalibus, leuiorem maiestate principis titulum ratus, uelletque iusti triumphi decus, vnde acquireret Britanniam potissimum elegit, neque tentatam ulli post Iulium Caesarem, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Pedestri uero itinere Gessoriacum usque confecto, inde transmisit, ac sine ullo proelio, aut sanguine, inter paucissimos dies parte insulae in deditionem accepta, sexto quam profectus erat mense, Romam redijt, triumphauitque magno apparatu. Tranquillus. In qua, quum eam in prouinciae formam redegisset, aliquotque eò colonias militares

res deduxiſſet, tres legiones addidit propter barbarorum in extrema inſulae parte commemorantium incurſiones. Ex Plinio, & Dione libro LVIII. Tacitus uero in uita Iulij Agricolae: Primus omnium Romanorum (inquit) D. Iulius cum exercitu Britanniam ingreſſus, quamquam proſpera pugna terruit incolas, ac littore potitus ſit, poteſt uideri oſtendiſſe poſteris non tradidiſſe. Claudius auctor operis, tranſuectis legionibus auxilijsque, & aſſumpto in partem rerum Veſpaſiano, domitae gentes, capti reges, & monſtratus fatis Veſpaſianus. Conſularium primus A. Plantius praepoſitus, ac ſubinde Oſtorius Scapula, uterque bello egregius, redactaque paulatim in formam prouinciae proxima pars Britanniae, additae inſuper ueteranorum coloniae. Quaedam ciuitates Cogiduno regi donatae. Is ad noſtram uſque memoriam fidiſſimus manſit, uetere, ac iam pridem recepta populi Romani conſuetudine, ut haberet inſtrumenta ſeruitutis & reges

PROVINCIA. PONTVS

Nero Imperator augendi propagandique imperij, neque uoluntate ulla, neque ſpe motus unquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitauit, nec niſi uerecundia, ne obtrectare parentis gloriae uideretur, deſtitit. Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in prouinciae formam redegit. Tranquillus

PROVINCIA ALPES. COTTIAE

Eutropius libro VII. cap. VI. Duo tantũ regna ſub Nerone prouinciae factae ſunt, Pontus Polemoniacus concedente rege Polemone, & Alpes Cottiae rege defuncto. Idem in

Aureliani uita tradit Fl. Vopiscus. Alpibus ijs & maritimis ius Latij dedit idem Nero ut tradit Tacitus libro XIII

Hae sunt prouinciae additae inter Augusti, & Vespasiani principatum. Quibus explicatis, nunc quae aut quot legiones Ser. Galba Augusto II. & T. Vinio cos. primo imperij Vespasiani anno erant exponam, multae enim & frequentes legionum mutationes, post Augusti excessum ad haec usq; tempora in Romano imperio factae fuerant. Quas breuissimae ante ex Tacito potissimum exceptas aperiam

Mutationes legionum ab excessu Augusti ad initium imperij Imperatoris Caesaris Vespasiani Augusti

Legionis I. . . . . . quae in Germania inferiore erat, pars in Italiam uenit bello ciuili Vitelliano contra Othonem primum, deinde Vespasianum; a quo quum uicta esset per Illyricum dispersa est. Reliqua eius pars sub legionis I. . . . nomine ex Gallijs a Vitellio suppleta remãsit in Germania, in castris apud Bonam. Ex Cornelio Tacito libris I. XVII & sequentibus

Legio II. Adiutrix quae in Germania erat, in Suriam a Nerone (ut opinor) translata est. De hac meminit Spartianus in Hadriano ita: Quare a Traiano abductus a patria, & pro filio habitus, nec multo post decemuir stlitibus iudicandis datus, atque inde tribunus secundae Adiutricis legionis creatus.

Vetus inscriptio Romae, ad S. Sebastianum

D . M
P. AELIO . MVCIANO
SPEC. LEG. II
ADIVT
VITALIANVS ET. VITALIS
AVVNCVLI

Legio

Legio II. Augusta, quae in Germania superiore ab Augusto constituta fuerat, in Britanniam a Claudio translata est. Eius uexillarij bello ciuili Vitellio adhaeserunt. . Qui a Vespasiano uicti, per Illyricum dispersi sunt. Huius Dio meminit libro LV. ubi legiones ab Augusto institutas commemorat. Cuius, & multarum praeterea quas enumerabo legionum, mentio est in uetustis marmoreis inscriptionibus ita

L.ANNIO.FABIANO.III.VIRO . CAPITALI
TRIB.MIL.LEG.II.AVG. QVAEST. VRBAN

Legio III. Augusta in Africa Numidia ab Augusto collocata, exauctorata a Galba, a Vitellio restituta. De hac Dio libro LV. & Claudianus de bello Gildonico ita meminit.

Dictaque ab Augusto legio &c

Romae in musaeo Carpensi vetus inscriptio

C.SALLIO.MATERN.BVCINATORI . LEG . V
ALAVDAE . C. SALLIO . ARCINIO . CAESAR. N
TVBIC
C . SALLIO . SVESSVLA . N . PARIMION
CORNICVLAR
LEG.III.AVG.C.SALLIO.CAPONIO.CORNIC

Legio III. Cyreneica in Aegypto, quae est Arabiam uersus, ab Augusto addita, post in Iudaeam bello Iudaico a Vespasiano primo principatus anno transducta. De hac Dio mentionē facit

Tibure ad S. Paullum uetus lapis

C.POPILLIO. C. F . QVIR . CARO. PEDONI
COS.VII.VIRO.EPVLON.SODALI.HADRIANALI
TRIB.LATICLAVIO.LEG . III . CYRENEICAE

Legio III. Gallica, quae sub M. Antonio Parthos debellauerat

rat, in Hispania ab Augusto locata est, post in Germaniam sub Claudio, deinde in Syriam a Nerone, postea in Armeniam ab eodem traducta, quo tempore Armenos duce Corbulone uicit; item in Suriam ab eodem, postea in Moesiam a Galba migrare iussa, quo tempore Sarmatas contudit; postremo in Italiam contra Vitellium pro Vespasiano bello ciuili uenit, quo uicto Capuae hymandi gratia locata. Vespasiano II. & Tito cos. ineunte uere sequentis anni in Suriam remissa. De hac Dio libro LV. & Romae in hortis Carpensibus vetus inscriptio

D I S . MANIB
C.FICTORIO.VASCVLARIO
FICTORIA.EPITVSA.MATRI
C.FICTORIO. C.F. ATTICO
Σ. LEG . III . GALLICAE
FRATRI.VIX. ANN. XXV
FICTORIA.C. F.ATTICILLA
PARENTIBVS.SVIS. FECIT

Legio IIII. Scythica, alias Macedonica ab Augusto in Syria lecta, in Germaniam superiorem a Claudio transportata, cuius pars quum in Italiam bello ciuili pro Vitellio contra Othonem, & Vespasianum uenisset, eandem fortunam habuit, quã prima . . . . Reliqua porro pars ex Gallijs suppleta in eadem Germania superiori relicta fuit. Hanc Spartianus in uita Seueri imp. commemorat

Vetus

Vetus epigramma Tiferni in Tuſcia

C.ANNIVS.C.F. POM . GALLVS
DOMO.ARRETIO.Σ. LEG.IIII.SCYTH
MILITAVIT.IN.PR.ANN. XVII
EVOC . AN . II
Σ.IN.LEG.IIII.SCYTH.AN.XVIIII
VIXIT.AN.LX.MERV.AN.XXXVIII
H.S.P.ATIMETVS.L.EX.TEST.F.C

Legio quinta Macedonica in Germania inferiore in caſtris apud Vetera ab Auguſto inſtituta, quae bello ciuili Vitelliano. I . . . *&* IIII. *Scythicae fortunam ſequuta eſt.* Ex Gallis *ſuppleta, in iiſdem Veteribus remanſit.* Tacitus, *&* Dio *libro* LV

Firmi in Piceno uetus inſcriptio

L . VOLCATIO . Q . F . V E L . PRIMO
TRIB . MIL . L E G . V . MACEDONICAE
IN.MOESIA.PRAEF. ALAE . I . PANNONIOR

Legio VI.*Ferrata* R.F.C.*in Hiſpania Galbam contra Neronem imperatorem fecit.* Ex *Hiſpania a* Domitiano *Caeſare, et Muciano primo imperij Veſpaſiani anno contra Germanos rebellantes in Germaniam traducta.* Tacitus, *&* Dio. *De legione Ferrata, aliquando ueterem inſcriptionem uidi, quae ad manus modo non eſt, in qua ita exaratum erat*

TRIB.MIL.LEG.VI.FER.R.F.C

Legio VI. *Victrix in Syria primum ab Auguſto locata, haec ſub Nerone in Armeniam, deinde iterum in Syriam, demũ bello ciuili Vitelliano a Muciano in Italiam contra Vitellium ducta, quo caeſo in Germaniam miſſa, Batauos & Germanos, qui rebellauerant, oppreſſit duce Domitiano*

Auximi uetus inſcriptio

Q.PLOTIO.MAXIMO.COL.TREBELLIO
PELIDIANO.EQVO.P.TRIB. LEG. II . TRAIAN
FORT . TRIB . C O H . XXXII . VOLVNT
TRIB.LEG.VI . VICTRICIS . PROC . A V G
PRO . MAGISTRO . X X . HEREDITATIVM
PRAEF.VEHICVLOR.Q.Q. ET . SVO . PONT
COLLEG.CENT . AVXIMAT . OB . EXIMIVM
IN.MVNICIPES.SVOS.AMOREM. L. D . D . D

Legio VII. . . . *poſtea a Claudio imp. Claudiana pia felix & fidelis uocata ex Moeſia, ubi eam Auguſtus locauerat, a Veſpaſiani ducibus contra Vitellium adducta, eo occiſo ad ſua hyberna remiſſa.* Dio libro LV

Via Ardeatina in antiqua baſi

DIS . MANIBVS
C.ANTONI.C.F.OVF.AEGRILLI . MIL . LEG
VII.CLAVDIAE . PIAE . FELIC.ET.FIDELIS
VIX . ANN . XXXIIX . M . VII . D . VIII
M . AEGRILLIVS.FRATRI.DVLCISSIMO.F.C

Legio VII.*Gemina pia felix. Ex Dalmatia a Nerone in Syriam traducta.* Tacitus

Vetus inſcriptio Brixiae

P.STATIO.P.F.FAB.PAVLLO. POSTVMIO
IVNIORI.X.VIRO.STLITIB.IVDIC . TRIB
MILIT.LEG.VII.GEM.FELIC.VI.VIRO.EQVIT
ROMANOR. Q. PROVINC.AFRIC.TRIB.PLEB
PRAETOR. LEG.PRO.PR.PONT.ET. BITHYN
PRO.COS.PROVINC.BAETICAE.TITVL.VSVS.D.D

Item

Item Fulginei vetus lapis

P. AELIO. P.F.PAPIR.MARCELLO . CENT
FRVM. SVB. PRINCIPE . PEREGRINOR
ADSTATO.ET.PRINCIPI.ET . PRIMIPILO
LEG.VII.GEM.PIAE.FEL. ADLECTO. &c

Legio VIII. *Augusta ex Pannonia in Moesiam a Claudio, deinde in Italiam bello ciuili contra Vitellium ducta, quo uicto ad sua hyberna remissa. De hac Dio, & Saepini in Samnio uetus inscriptio sic meminit*

*L.NERATIO.C.F. VOL. PROCVLO . X . VIR
STLITIBVS.IVDICAN.TRIB.MILITVM.LEGION
VII.GEMINAE.FELIC.ET . LEG. VIII . AVG
QVAEST.AEDIL.PLEB.CEREAL. PRAET.LEG
LEG.XVI.FLAVIAE.FIDEL.ITEM. MISSO . AB
IMP. ANTONINO . AVGVSTO. PIO . AD
DEDVCENDAS . VEXILLATIONES . IN
SYRIAM.OB . BELLVM.PARTHICVM.PRAEF
AERARI . MILITARIS . COS . MVNICIPES
SAEPINATES*

Legio IX. *Hispaniensis, ex Pannonia ubi eam Augustus locauerat, a Tiberio in Africā bello Numidico migrari iussa, quo confecto ad sua castra remissa, a Claudio uero in Britanniam transportata. Cuius uexillarij bello ciuili Vitelliano a Vespasiani ducibus uicti, per Illyricū dispersi sunt. Tacitus. Huius legionis mentionem fieri in uetusto epigrammate sic uidi*

*P . CORNELIO.LENTVLO
SCIPIONI . COS . PRAEF
AERARI . LEGATO . TI
CAESARIS.AVG.LEL. LEG
VIIII.HISPAN.PONTIFICI
FETIALI. D. D*

Le-

Legio X. Fretensis ex Hispania primo imperij Vespasiani anno in Germaniam contra rebelles Batauos traducta. Huius meminit Marcellinus in fine libri XVIII

Romae in vinea Carpensi vetus lapis

A.ATINIO.A. F. PAL. PATERNO
SCRIB.AEDIL.CVR. HON. VSVS. AB
IMP.EQVO.PVBL.HONOR.PRAEF. COH
II.BRACAR.AVGVST.AN. TRIB. MIL
LEG.X.FRETENS.A.DIVO. TRAIANO
IN.EXPEDICTION.PARTHICA.DONIS
DONAT.PRAEF. ALAE.VII. PHRYG
CVR.KAL. FABR.ATERNOR. NOVOR
ATINIA. A. F. FAVSTINA.PATRI
OPTIMO. FECIT

Legio X. Gemina pia fidelis. Ex Syria sub Nerone in Armeniam, iterumque in Syriam transportata, demum bello Iudaico in Iudaeam. Hanc Dio, ideo Geminam appellatam scribit, quod ex duabus legionibus una facta fuerit

Vetus lapis Brixiae

C.PONTIO.C.F.FAB.PELIGNO. TRIB. MIL
LEG.X.GEM.Q.CVRAT. LOCORVM. PVBLIC
ITERVM.AEDILI.CVRVL.LEGATO.PRO. PR
ITERVM. EX. S. C. ET. AVCTORITATE
CAESARIS.D.D

Item in antiquae inscriptionis fragmento Romae apud Gentilem Delphinium

TRIB.MIL.LEG.I.ADIVTR.P.F
ET.LEG.X.GEM. P.:::::::::::

item

Item Pisauri alia vetus inscriptio

C.LVXILIO.C.F. POMPT. SABINO . EGNATIO
PROCVLO.CVR.RER.PISAVR.ET . FANESTR
LEG.LEG. X.GEM. GORDIAN. CVR.REG
TRANSPAD.CVR &c

Legio XI. postea Claudiana pia fidelis dicta, ex Moesia in Dalmatiam sub Claudio, & ex Dalmatia bello ciuili Vitelliano pro Othone in Italiam contra Vitellium transducta. Othone uicto suis castris reddita, occiso Vitellio iterum in Italiam uenit, & paulo post ad sua hyberna remissa. Huius legionis meminit uetus hic lapis sic

GENIO.CENT
A. SERGIVS . A . F
SVLPICIVS.MIL. LEG
XI.CLAVD.PIAE.FIDEL
S. A. C. R.

Haec auctore Dione una cum VII. legione Claudia ideo appellata est, quod Camillum Scribonianum qui bellum ciuile Claudio Imperatori intulerat primae deseruerint

Legio XII. Fulminatrix ab Augusto in Syria lecta, post bello Iudaico in Iudeam a Vespasiano principe traducta. Dio

Romae ad S. Alexium in Auentino

C. VETTIO. C. F. COL. NIGRO
DOMO . ANTIOCHIA . SYRIA
VETERANO. LEG.XII. FVLMINAT
MILIT. ANN. XXVI. VIX. AN LVII

Legio XIII. Gemina pia fidelis ex Germania superiore in Pannoniam, exinde bello ciuili Vitelliano in Italiam pro Othone contra Vitellium profecta, Othone uicto, quum suis

hybernis

hybernis reddita esset, iterum pro Vespasiano contra ipsum Vitellium in Italiam uenit, quo occiso Poetouionem ad sua castra remissa. De hac Dio mentionem facit libro LV

In uetusto fragmento Romae apud Gentilem Delphinium

LEG. LEG. XIII. G. P. F. LEG. LEG....

Item Romae

HERCVLI. CONSERVATORI. PRO. SALVTE
L. RAGONII. L. F. PAP. VRINATII. LARTI
QVINTIAN. VIRI. CONS. SODAL. HADRIAN
LEG. LEG. XIII. GEM. DONAT. DONIS. MILIT.

Legio XIIII. Gemina Martia uictrix ex Germania superiore a Claudio in Britanniam traducta (quum is Britanniã prouinciam fecit) cuius praecipue opera Britanniam in potestatem populi Romani redegerat. Quae quum a Nerone in Dalmatiam adducta esset, pro Othone in Italiam uenit, quo occiso a Vitellio in Britanniam remissa est. Postremo a Domitiano & Muciano ex Britannia euocata, Batauos & Germanos rebelles domuit, quibus uictis in Germania superiori locata. Tacitus, & Dio

In eodem fragmento apud Gentilem Delphinium

LEG. LEG. XIIII. GEM
MARTIAE. VICTRICIS
SACERDOTI. TITIALI

Legio XV. Apollinaris ex Pannonia a Nerone in Syriam traducta, haud multo post ad bellum Iudaicum missa. Tacitus, Iosephus, & Dio

Vetus inſcriptio Foro Sempronij
L.MAESIO.L.F.POL.RVFO.PROC.AVG
TRIB.MIL.LEG.XV . APOLLINARIS
TRIB . COH . MIL. ITAL.VOLVNT
QVAEST.IN.SYRIA.PRAEF. FABRVM

Legio XVI . . . . ex Germania ſuperiore in inferiorem a Claudio traducta, bello ciuili pro Vitellio contra Othonem, & Veſpaſianum ſtetit. Vitellio occiſo primae : : : : IIII Scythicae, & V. Macedonicae fortunam ſequuta eſt, ut Tacitus libris XIIX. & XIX. tradit

Legio XIX . . . . . ex Germania inferiore in ſuperiorem a Claudio migrare iuſſa, iterum paulo poſt in inferiorem rediens caſtris Veteribus locata eſt. Videtur et ipſa in Italiam pro Vitellio ueniſſe, atque ſuperioris legionis fortunam ſequutam eſſe, ut refert Tacitus ibidem

Legio xx. Valeria uictrix ex Germania inferiore a Claudio in Britanniam tranſportata, cuius uexillarij bello ciuili uicti, a Veſpaſiano per Illyricum diſperſi ſunt. Tacitus

Romae in domo Caeſia uetus
inſcriptio

M.POMPEIO.M.F.ANI. ASPRO. 7. LEG
XV . APOLLINAR . 7. COH. III. PR
PRIMOP.LEG.III.CYR.PRAEF. CASTR
LEG.XX.VICTR.ATIMETVS.LIBERTVS
PVLLARIVS.FECIT.SIBI.ET. &c

Item in ciuitate Castellana vetus lapis

Q.ALBIO. Q.F.HOR.ILLICI
7.LEG. XX.V.V
CORNICVLARIO. PR. PR
DONIS.DONATO.AB. DIVO
TRAIANO. AVGVSTO
TORQVIBVS . ARMILLIS
PHALERIS.BELLO.PARTHICO

Legio XXII. Primigenia Augusta pia fidelis in Aegypto ab Augusto constituta, quam postea Augustus Vespasianus in Iudaeam bello Iudaico migrare iussit. De hac Spartianus in Iuliano, et Tacitus mentionem faciunt

In Aequicolis uetus epigramma

C.VIBIO.Q.F.AIMILIA.VETENIO.EQVO
SEVERO.TRIB. SEMPR . PR . LEG
XXII. PRIM. AVG.P.F.SEMPRON

Item Romae in domo Caesia

P.COELIO.P.F.BALBINO . VIBVLLIO. PIO
X.VIRO.STLITIBVS.IVDIC.VI.VIRO.EQVIT
ROMAN.TVRM. QVINT.TR. MIL . LEG
XXII. PRIMIG. P. F.ADLECTO &c

Legiones inter Augusti obitum,& Vespasiani principatum ab imperatoribus additae, & earundem migrationes

Legiones IIII. *additae a Claudio imp.*

Primus oīm post Augustum Claudius imp. Britannia uicta, eaq; in prouinciae formā redacta, IIII. *nouas legiones ueterib. addidit, quum ob barbarorum incursiones Britanniam Romanam*

nam prouinciam trium legionum praeſidio muniri neceſſe fuiſſet

Harum prima fuit legio V.C*laudia, quam in* M*oeſia locauit,haec poſtea a* N*erone in* S*yriam, demum bello* I*udaico in* I*udaeam traducta eſt*

Fulginei uetus inſcriptio

CN.DOMITIO.SEX.F.AFRO.TITIO
MARCELLO. CVRINO . LVCANO
MIL.LEG.V.CLAvD.IIII.VIR.VIARVM
CVRANDARVM.PATRONO

L*egionem quoque* XV . . . . *in* G*ermania* C*laudius imp. conſtituit: quae quum in* I*taliam contra* O*thonem,&* V*eſpaſianum pro* V*itellio ueniſſet, occiſo* V*itellio primae* . . . . *conditionem ſequuta eſt.* P*ars enim per* I*llyricum diſperſa, pars in* G*ermania remanſit,ex* G*allis ſuppleta.* Tacitus

Legio XIIX. *Victrix in* G*ermania ſuperiore a* C*laudio lecta, quum & ipſa contra* V*eſpaſianum pro* V*itellio bello ciuili pugnaſſet,necato imperatore ſuo,uicta ſuis hybernis ob tumulutantes* B*atauos reddita eſt.* Tacitus

Legio XXI. R*apax.*H*aec in* G*ermania ſuperiore ab eodem* C*laudio inſtituta eſt,quae bello ciuili* V*itelliano, in* I*taliã quum ueniſſet, poſt* V*itellij caedem a* M*uciano, &* D*omitiano ob* B*atauorum rebellionem ad ſua caſtra remiſſa eſt.*E*x* T*acito libris* XVII.XVIII.*&* XIX. *Huius legionis mentionẽ extare uidi in uetuſto epigrammate, quod modo ad manus non eſt*

Legiones III.additae a Nerone imp

L*egio* I.I*talica a* N*erone imp.*D*ione auctore, facta eſt ,atque in* G*allijs prope* L*ugdunum locata.*Q*uae bello ciuili a* V*itellio in* I*taliã ducta,quum uicta fuiſſet a* V*eſpaſiano per* I*llyricũ diſperſa eſt, uidetur tamen a poſterioribus principibus* R*oma*

nis restituta

Vetus elogium Brixiae

C. MAESIO.C.F.PLACATIANO
X.VIRO STLITIB. IVDIC
TRIB.MIL. LEG. I. ITALIC
Q.PROV.AFRIC.ALLECT.INTER
TRIBVN. AB. IMPERATORE
HADRIANO.ANTONINO.AVG.P
PRAETORI.PATRONO. D. D

Legio I. Classica Romae a Nerone instituta bello ciuili ab Othone in Galliam Narbonensem missa, postea uicto Vitellio in urbem reuocata, Vespasiani legionibus se cõiunxit. Tacitus libro XVII. & uetus inscriptio

Legio Hispana a Nerone Romae facta, & a Galba exauctorata. Tacitus libro decimoseptimo

Legiones a Galba imp. factae

Legio I. Adiutrix uictrix pia fidelis a Galba, Tacito, & Dione auctoribus, instituta, Romae pro Othone contra Vitellium stetit, Othone uicto a Vitellio in Hispaniã missa, inde bello Germanico contra Batauos in Germaniam a Domitiano, & Muciano accita

Romae apud Gentilem Delphinium
in fragmento

TRIB.MIL.LEG.I.ADIVTR. P. F

Item Fulginei in vetere elogio

P. AELIO.P.F.PAPIR.MARCELLO
ADLECTO.AD.MVNERA.PRAEF
LEG.VII.CLAVD. ET . PRIMAE
ADIVTRICIS.V.F.FLAMINI

Le-

Legio septima Galbiana in Pannonia a Galba constituta, quae quum in Italiam bello ciuili pro Othone uenisset, eo mortuo suis hybernis a Vitellio est reddita, iterum contra Vitellium in Italia pro Vespasiano pugnauit, & eo occiso iterum in Pãnoniam est remissa. De hac praeter Tacitum libris XVII XIIX. *&* XIX. *meminit uetus inscriptio*

Vespasinus etiã imperator primo imperij anno legionem unam fecit, quam II. (ut opinor) Flauiam uocauit, eamque in Germaniam contra Batauos rebelles misit. Tacitus libro XX

Legiones XXXIII. populi Romani per orbem Romanum Ser. Galba imp. Caesare Aug. II & T. Viuio cos. locatae

In Hispania legiones duae

Legio VI. Ferrata R. F. C
Legio X. Fretensis

In Germania inferiore legiones IIII

Legio prima . . . . . .
Legio V. Claudiana
Legio XV . . . .
Legio XVI. . . . .

In Germania superiore legiones IIII

Legio IIII. Scythica, alias Macedonica
Legio XIIX. Victrix
Legio XIX
Legio XXI. Rapax

In Dalmatia legiones duae

Legio XI. Claudiana pia fidelis
Legio XIIII. Gemina Martia uictrix

In Pannonia legiones duae

Legio VII. Galbiana

Legio XIII. Gemina pia fidelis

In Moesia legiones tres

Legio III. Gallica

Legio VII. Claudiana pia fidelis

Legio VIII. Augusta

In Suria legiones quattuor

Legio II. Adiutrix pia fidelis

Legio VI. Victrix

Legio VII. Gemina pia fidelis

Legio XII. Fulminatrix

In Iudaea legiones tres

Legio V. Macedonica

Legio X. Gemina pia fidelis

Legio XV. Apollinaris

In Aegypto legiones duae

Legio III. Cyreneica, alias Cureneica

Legio XXII. Primigenia pia fidelis

In Africa legio una

Legio III. Augusta

In Britannia legiones tres

Legio II. Augusta

Legio IX. Hispaniensis

Legio XX. Valeria uictrix

In Gallia legio una

Legio I. Italica

In urbe legiones duae

Legio I. Classica

Legio I. Adiutrix pia fidelis

Quibus a Vespasiano addita est

Legio II. Flauia in Germania

In urbe

Cohortes vigilum tres

Cohortes vrbanae IIII

Cohortes praetoriae XII

PROVINCIAE . FACTAE . AB IMP.CAES.VESPASIANO AVGVSTO

Imp. Vespasianus principatum adeptus, bello Iudaico confecto, more praecedentium Caesarum, imperij Romani iura augere studẽs, Achaiam, Lyciam, Rhodum insulam, Byzantium ciuitatem nobilißimam in angusto Propontidis freto in Europa sitam, insulam Samum, quae ad haec usque tempora legibus suis uixerant, libertate adempta: item Tracheam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiae usque ad id tempus in prouinciarum formam redegit. ita Tranquillus cap. octauo. Comagenem autem a Ti. Caesare prouinciam factam regi Antiocho reddiderat C. Caesar Caligula imp. auctore Suetonio. De Rhodo ita scribit Sex. Rufus: Rhodijs, & insularum populis, primum infestißimis post fidelißimis Romani usi sunt. Ita Rhodus & insulae primum libere agebant, postea in consuetudinem parendi Romanis clementer prouocantibus peruenerunt. Et sub Vespasiano imperatore prouincia facta est

LEGIONES. IN . CAPPADOCIA ADDITAE

Imp. Vespasianus propter aßiduos barbarorum incursus Cappadociae castra, & legiones duas addidit XII. Fulminatricem, & XV. Apollinarem, ut tradit Dio, consularẽque rectorem imposuit, pro equite Romano. Tranquillus ita.

Atque hac ratione limitū Romani imperij numerus auctus, decēq; facti, idest Germaniae superioris & inferioris super Rhenum; Dalmatiae, Pannoniae, & Moesiae super Danubium; Britanniae, Cappadociae, Suriae, Aegypti, & Africae

PROVINCIAE. FACTAE. A. TRAIANO. IMPERATORE

Nullus Romanorum principum post Augustum, imperij Romani terminos magis propagauit quam Traianus, sub quo ingentia terrarum spatia imperio addita, maximae prouinciae factae, imperij ueteres limites prolati, nouae legiones constitutae, populi Romani uectigal auctum. Quum enim ueteres Romani imperij limites ab Augusto instituti, neque a reliquis imperatoribus mutati a Septentrione quidem essent Danubius, ab oriente uero Euphrates, ipse transdanubium Daciam, transeuphratē uero Armeniam, Mesopotamiam, et Assyriam prouincias Romanas fecit, Tigridem Romani imperij & Persarum limitem esse uoluit, quae omnia quo tempore, et ordine fecerit nunc exponam

PROVINCIA. TRANSDANVBIANA. DACIA

Daci qui trans Istrum sunt ingentibus cladibus populum Romanum sub eorum rege Decebalo Domitiani principatu affecerant, Oppio Sabino consulari, & Cornelio Fusco praefecto cohortium praetorianarum, quibus belli summam Domitianus commiserat, oppressis. Quare Decebalus rex metu & ignominia Domitiani ferocior factus, Romanas prouincias finitimas Moesiam & Pannoniam Istro traiecto acriter uexare coepit. Interim occiso Domitiano, Traianus rei militaris peritissimus dux imperij successor, a sene Nerua, qui Domi-

tiano

tiano successerat, Caesarque appellatus est. Is post patris mortem imperium adeptus Dacicae ignominiae abolēdae cupidus, bellum ex S. C. Dacis & regi Decebalo indixit. Quos multis proelijs attritos, ad extremum rege Decebalo occiso omnino debellauit, Daciamque eius regnum trans Danubium in solo barbarico primus omnium Romanorum prouinciam fecit, quae in circuitu habuit decies centena millia passuum. Daci autem Getis contermini populi sunt montani, qui Daciam Pannoniae uicinam quam hodie Valachiam appellamus incolunt. De his Florus libro IIII. Daci (inquit) montibus inhaerent, Cotisonis regis imperio, quoties concretus in gelu Danubius iunxerat ripas in Pannoniam, & Moesiam decurrere solebant, & uicina populari. Visum est Caesari Augusto gentem aditu difficillimam submouere. Misso igitur Cornelio Lentulo tres eorum duces cum magnis copijs deleuit, ultra ulteriorem repulit ripam, citra praesidia constituit, satis uictoriae putans posse illos prohibere, sic hinc Dacia non uicta, sed summota, atque dilata est. Traianus inde Decebalum uicit, eius legatis seruilem in modum introductis pax duris conditionibus data. Iterum eum rebellantem oppreßit, quo occiso Daciam prouinciam fecit, thesauros regios subter uada Sargetiae fluminis inuenit, pontem lapideum uiginti pilarum super Danubium miri operis, maximeque memorabilis fecit, legiones duas nouae prouinciae praesidio addidit, colonias aliquot in ea deduxit, imperij limites abrupta montium Sarmatas uersus constituit. Haec omnia accurate referuntur a Dione in uita Traiani imperatoris. Qui ita concludit: At Decebalus quum capta regia, uicina omnis regio in potestatem populi Romani uenisset, usque ad captiuitatem periclitatus mortem sibi consciuit, cuius caput deinde Romam delatum est, ita Dacia iuris & ditionis Romanae facta est. Quam mox Traianus in prouinciam

uinciam redegit, vrbes condidit, & colonos deduxit. Legiones autem duae in Dacia prouincialium praesidio additae sunt V. Macedonica & XIII. Gemina. Victoriae Traiani Dacicae mentio est in eiusdem nummis ita DACIA. CAPTA Item PROVINCIA. DACIA. AVGVSTI. Item GERMANIA. VICTA. Item GERMANIA. SVBACTA. Item tropaea quaedam cum inscriptione DE. SARMATIS ET. DE. GERMANIS

PROVINCIAE . TRANSEVPHRATEM

Prouinciae Armeniae duae, Mesopotamia, & Assyria

Per confinia Armeniarum primum sub L. Lucullo Romana transtaurum signa transmissa sunt. Idem Lucullus Mithradatem regno Ponti exutum ad Armeniam persequutus est, Tigranem Armeniorum regem cum septem millibus clypeatorum, & centum uiginti millibus sagittariorum, ipse cum decem & octo millibus Romanorum uicit, Tigranocertam maximam Armeniae ciuitatem expugnauit, Madenam optimam Armeniorum regionem obtinuit. Per Melethenam ad Mesopotamiam descendit. Nisibin cum fratre regis cepit, tendere in Parthos paratus successorem accepit Cn. Pompeium. Qui ad Mithradaticum bellum missus, Mithradatem in Armenia minore nocte aggressus proelio superauit, caesis duobus & quadraginta millibus hostium, castra eius inuasit. Mithradates in Bosphorũ fugiens summa rerum desperatione se ipse interfecit. Pompeius auxiliatorem Mithradatis Tigranem Armeniorum regem persequutus est, ille se oblato diademate apud Artaxata dedit, receptae sunt ab eo Mesopotamia,

mia, Syriae, & aliquanta pars Phoenicis, atquè intra Armeniam regnare permissus est. Idem Pompeius Bosphoranis, & Colchis Aristarchum regem imposuit, cum Albanis conflixit, Orchodo Albanorum regi ter uicto pacem dedit, Hiberiam cum Arsace rege in deditionem accepit, Sarracenos, et Arabes uicit, Iudaea capta Hierosolyma obtinuit, cum parthis foedus fecit. Post Tigranem diu sub regibus Armenia fuit, ex quibus Tigranis successor Artauasdes ab Antonio occisus est. Post quem Artaxias, Tigranes alius, Artauasdes alius, Ariobarzanes, Vono Parthus, & Zeno Ponticus ab Augusto & Tiberio Caesaribus reges Armenijs impositi sunt. Armeniaque diu sub amicis regibus in Romanorum fide permansit. Nero quem turpißimum imperatorem Romana resp. passa est, amisit Armenias duas, rege ijs Tyridate a Parthis imposito. Ac sub regibus iterum Armenia usque ad Traiani tempora fuit. Qui Dacia uicta expeditionem in Armenos, Parthos, Orientemque parauit belli praetextum faciens, quod Armeniorũ rex diadema & cetera regni insignia, atque iura non ab se, sed a Parthorum rege, uelut illi obnoxius sumpsisset, re autem uera cupidine magis gloriae impulsus est. Qui simul ac Armeniae fines ingressus est, Armeniae regem & satrapas regionis obuios habuit, cum muneribus equum ducentes ita edoctum, ut Traianum anterioribus pedibus in modum supplicantis flexis, adoraret. Tum caussa cognita Parthamasiri Armeniae regi sublato diademate regnum ademit. Quam imposito legato consulari Romanam prouinciam fecit; limitem orientalis imperij ab Euphrate ad Tigrim amnem trãstulit, Hiberos post haec, Sauromatas, Bosphoranos, & Colchos in fidem Romanae ditionis accepit, Osroenorum loca occupauit, Carduenos, & Marcomedos obtinuit, Albanis regem dedit, omni deinceps belli molle in Parthos uersa, Nisibin

bin & Ecbatanas cepit, Parthicusque ob id a senatu appellatus est. Euphrate traiecto Adiabenos subegit, Arbela & Gaugameia, in quorum campis olim Alexander debellauerat Darium, ui cepit Antemusium opimam Persidis regionem, Seleuciamque, & Cthesiphontem, Edessam ac Babylonem occupauit, & tenuit. Vsque ad Indiae fines primus post Alexandrū accessit, in mari rubro classem instituit, qua Indiae fines uastaret. Armeniam omnem, Mesopotomiam, & Assyriam quae inter Tigridem & Euphratem sitae, irriguis amnibus instar Aegypti foecundantur cum his gentibus quae Madenam attingunt, tres Romanas prouincias fecit. Atque inter Romanos & Parthos imperij limitem flluuium Tigrim esse uoluit. Parthis iam uictis defectionemque molientibus, apud Cthesiphontem patentibus campis, coram Romanorum & Parthorum procerum multitudine, regem diademate imposito designauit Parthenaspatem, atque ita rebus orientalibus compositis in Arabiam profectus est. Ex Dione, Rufo, Eutropio, & Orosio Harum omnium rerum mentionem in Traiani nummis aureis, argenteis, aeneisque mentionem fieri animaduerti. Nam de Armenia & Mesopotamia prouincijs factis extat nummus sic inscriptus ARMENIAE. ET. MESOPOTAMIA. IN. P. P. R. REDACTAE Item in a'io ARMENIA. SVBACTA. IMP. VI COS. VI. De regibus a Traiano uarijs nationibus datis alius nummus sic meminit REGNA. ADSIGNATA De rege uero Parthis dato, & triumpho Parthico hos praeterea nummos Traiani sic inscriptos uidi REX. PARTHIS. DATVS. Item TRIVMPHVS. PARTHICVS. Quae autem regiones, aut quo in loco hae fuerint quas Traianus prouincias Romanas fecit, aperte libro 1 de bello Persico indicat Procopius: Regio (inquit) quae est

Samo-

Samosatis iuxta Euphratem est,iam dudum Comagene nunc autem ex fluuij nomine Euphrantia uocata est. Quae autem intra utrunque fluuium existit, Mesopotamia ex argumento nominis dicitur. Cuius pars non solum hac appellatione, sed alijs quibusdam dicitur nominibus,ut ea quae ad Autidam pertinet ciuitatem, Armenia a nõnullis uocatur,Edessa uero cum ipsius circa locis Osroene. Mesopotamia igitur ea regio est quae inter Euphratem & Tigrim amnes est sita, cuius praesidio cum eam in prouinciae formam Traianus primus redegisset duas legiones addidit, duosque nouos imperij limites fecit Dacicum, & super Tigrim

PROVINCIA. ARABIA

Bello Parthico confecto, Traianus in Arabiam regressus, Agarenos rebellantes obtriuit,quumque magnam eius regionis partem occupasset, eam prouinciam Romanam, ut tradit Sex. Rufus, fecit. Ita enim ait: Sub imperatoribus Romano imperio accesserunt Pontus omnis, Armenia minor, oriens totus cum Mesopotamia; Assyriaque, & Arabia, cum Aegypto sub Romani imperij iura transiuit Item alibi: Agareni, & Iudaei in Palaestina a Cn. Põpeio uicti sunt. Ad extremũ sub Traiano principe regi maioris Armeniae diadema sublatũ est, et per Traianũ Armenia, Mesopotamia, Assyria, & Arabia prouinciae factae sunt, ac limes orientalis supra ripam Tigridis fluminis institutus. Arabiae prouinciae a Traiano factae mentio est in eiusdem uetusto nummo sic: ARABIA ADQVISITA. Eutropius uero: Arabiam (inquit) Traianus in prouinciae formam redegit. Eam prouinciam postea nouis gentibus uictis, & imperio Romano adiunctis nouam prouinciam fecit Seuerus imperator, bello Parthico confecto,

cto, quo Parthos, & Adiabenos, Arabesque interiores grauibus proelijs, & cladibus afflixit, ut tradunt Eutropius, & Rufus

De prouincijs orientalibus a Traiano imp. adquisitis

Hadrianus qui post Traianum imperium Romanum adeptus est, quum ut alijs multis, ita gloriae Traiani inuideret, tres illas nobilißimas prouincias Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam, illico nulla ductus necessitate, sed sponte sua Persis reddidit, quas Romano imperio, ut ostendi, Traianus adiunxerat, reuocatisque legionibus, inter Romanos & Persas ueterem imperij limitem Euphratem amnem esse uoluit. Idem de Dacia facere conatum amici deterruerunt, ne multi ciues Romani barbaris traderentur, propterea quod Traianus uicta Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat ad agros & urbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decebali fuerat exhausta. Quidam huius rei hanc potißimum caussam fuisse suspicati sunt, quod antiquis uatum responsis ferebatur, infaustum fore, ac infelix imperatori populi Romani, qui exercitus armatos trans Euphratem amnem, urbemque Cthesiphontem promouisset: exitium hoc fuisse M. Licinio Crasso, ipsumque Traianum proxime in Italiam cum Parthica uictoria non redijsse, Valerianum captũ, Carum ictu fulminis absumptum, Iulianum postremo occisum. Ex quibus prouincijs Assyria & Armenia recuperatae sunt a L. vero, Seleucia vrbe nobilißima cum D. millibus hominum, et Artaxatis harum prouinciarum primarijs vrbibus captis, Capitolino, Eutropio, Rufo, & Iornande auctoribus. Mesopotamia uero quatter amissa est, & quatter recuperata, ut

ut ait Rufus. Eam enim primo ab Hadriano relictam recepit cum Assyria, & Armenia L. Verus. Commodus iterum perdidit, recuperauit Seuerus; tertio a Persis Valeriano imperatore capto cum Armenia occupatam, tertius Romano imperio restituit Odenatus decurio Palmyrenus, Gallieni auspicijs. Quarto sub Caro deperditam, Diocletiani temporibus uictis prima congressione Romanis, secundo uero conflictu profligatis Persis superatoque rege Narseo, & uxore eius, ac filiabus captis, pace facta, Galerius Maximianus imperio restituit, Armeniaque omni etiam recepta, super ripam Tigridis imperij limes olim a Traiano constitutus, & ab Hadriano translatus, iterum est reformatus. Ad haec quinque tras Tigrim a Galerio Romanae prouinciae factae Azarsauena, Mozena, Zabdicena, Rhenumena, & Carduena. Quas prouincias postea ignominioso quidem sed necessario foedere, adiuncta Singarena, Nisibi, & Mesopotamiae superioris parte Iouianus Persis reddidit, ut paulo post exponam, & ita termini imperij occidentem uersus quarto mutati sunt

Haec autem sunt omnium prouinciarum nomina quae a populo Romano ab vrbe condita usque ad imperij excidium in potestatem redacta sunt. Quas quanta potui diligentia ex antiquis scriptoribus collegi, quibus accurate degestis, nunc reliquum est ut earum legionum seriem, institutionem, & mutationes ex uetustis lapidibus, & Dione libro LV. potissimum referam, quae post Vespasiani imperium, uel institutae sunt, uel imperij limitibus locatae, atque ab ipso Vespasiano imperatore incipiens, quae ab alijs quoque Augustis additae sunt, persequar

Legiones populi Romani inter Vespasiani & Alexandri Augustorum imperia additae

Legiones additae ab imp. Caesare Vespasiano Augusto

Legio II . . . in Germania. Tacitus libro XX. & XXI
Legio IIII. Flauia felix fidelis in Suria

Huius legionis mentio est in hisce uetustis inscriptionibus. Romae in hortis Carpensibus

D. M
C. ANNIO. VALENTI
VET. EX. NVM. FRVM
LEG. IIII. FL.
C. ANNIVS. HERACLA
FECIT. PATRONO. B. M

Item Pisauri

C. LVXILIO. C. F. POMPT. SABINO
EGNATIO. PROCVLO. CVR. RER
PISAVR. ET. FANESTR. TRIB
LATICL. LEG. IIII. FLAV. PATRONO
COLONIARVM. PISAVR. ET. FANESTR

Paulo extra vrbem Reatinam

SEX. TADIVS. SEX. F. VOL. LVSIVS
NEPOS. PAVLLINVS. TR. MIL. LEG
IIII. F. F. X. VIR. STLIT. IVDIC

Item Auximi in Piceno

C. OPPIO. C. F. VEL. BASSO P. P. P. C
PR. I. D. AVX. 7. LEG. IIII. FL. FEL
ET. LEG. II. TR. FORT. EVOK. AVG

Hanc legionem Dio libro LV. commemorat

Legio

Legio XVI. Flauia fidelis in . . . .

De hac legione mentionem extare uidi in hac uetusta inscriptione, Saepini in Samnio

L. NERATIO. C. F. VOL. PROCVLO
X. VIRO. STLITIBVS. IVDICANDIS
TRIB. MILIT. LEGION VII. GEMINAE
FELIC. ET. LEG. VIII. AVG. QVAEST. AEDIL
PLEB. CEREAL. PRAEF. LEG. LEG. XVI
FLAVIAE. FIDEL. ITEM. MISSO. AB. IMP
ANTONINO. AVG. PIO. AD. DEDVCEN
DAS. VEXILLATIONES. IN. SYRIAM. OB
BELLVM. PARTHICVM. PRAEF. AERARI
MILITARIS. COS. MVNICIPES. SAEPINATES

Legio I. Mineruia pia fidelis in Germania inferiore Addita a Domitiano Augusto

Hanc legionem Spartianus in Hadriano, & uetus haec Beneuentana inscriptio commemorat

M. MARIO. M. F. STEL. TITIO
RVFINO. COS. LEG. LEG. I
MINER. P. F. CVR. COL
CLAVD. AVG. ARIPPINENSIVM
PRO. COS. PROV. SICILIAE. CVR
AMITERNOR. PRAEF. TR. PL. Q
PROV. MACED. SEVIR. TVRMAR
EQ. ROM. TRIB. LATICL. LEG. I
ADI. P. F. IIII. VIRO. STLITIB. IVDIC

Legiones additae a Traiano imperatore

Legio II. Traiana fortis in Aegypto

Huius legionis Dio libro LV. & uetustae hae inscriptiones Auximates meminerunt

Q. PLOTIO. MAXIMO. COLLIN
TREBELLIO.PELLIDIAN.EQ.PVB
TRIB. LEG. II. TRAIAN. FORT
TRIB.COHORT.XXXII.VOLVNT
TRIB. LEG. VI. VICTRIC. *et cet*

Item ibidem

C. OPPIO. C. F. VEL. BASSO
OMNIBVS. OFFICIIS. IN. CALIGA
FVNCTO. CENTVRIONES. LEG
II. TRAIANAE. FORTIS. OPTIMO
ET. DIGNISSIMO

Legio XXX. Vlpia uictrix in Germania

Huius legionis Marcellinus libro XIIX. Dio libro LV & uetustae hae inscriptiones mentionem faciunt

Romae in uinea Reuerentiss. Card. Carpensis

D. M

T. FL. IOCVNDO. ER. LEG
XXX. VLP. FLAVI. FRVCT.
S.ET.VIC.ER.LEG.EIVSDEM
HERED. F. C

Romae apud Gentilem Delphinium

M. AEMILIO. M. F. NIGRO
ARA.MIL.FRVM.LEG.XXX.V.V

Legio

Legiones additae a M. Antonino Augusto

Legio II. Italica Diuit. in Norico

De hac legione Dio libro LV. & uetusta haec epigrammata meminerunt

D . M

FLORIO.BAVDIONI. VIRO. DVCENARIO
PROTECTORI. EX. ORDINARIO. LEG. II
ITAL.DIVIT. VIX.AN. XL.MIL.AN.XXV.VAL
VARIO.OPTIO. LEG. II. ITALICAE. DIVIT
PARENTI. KARISSIMO. M. F. C

Romae in aedibus Colotianis

AVR. SATVRNINO. EQ. COH. VIII. P. 7
VERISSIMI. QVI MILITAVIT. IN. LEG. SE
CVNDA. ITALICA. TESSERARIVS. AN. VI
QVI.VIXIT.AN.XXVIII.AVR.OPTATIANVS
EQ. FRATRI. BENEMERENTI. POSVIT

Legio III. Italica in Rhetia

Huius meminerunt Dio, & uetustum hoc epigramma

CN. LAVDIVS. CN. F. FAL. THALLVS
MIL. COH. X. PR. 7. LIMI
ITEM.TESSERARIVS.IN.LEG.III
ITALICA. AN. VI. TRAIECTVS. IN
COH. XI. PR. 7. P. SATRI. Q. MIL
ANN. IIX. VIX. AN. LXII. H. F. S. C. A

Legiones additae a Seuero imperatore

Legio I. Parthica in Mesopotamia

Hanc Dio libro LV. & Marcellinus libro xx. commemorant

Legio II. Parthica in Italia

Hanc praeter Dionem libro LV. uetus quoque haec Praenestina inscriptio profitetur

DIIS. MANIBVS
L. IVNIVS. L. F. PONTINA. OCVLNIVS
MIL. LEG. II. PARTH. ANN. IIX
VIX. AN. XXXXVI. H. F. C

Legio III. Parthica in Mesopotamia

Vt tradit libro LV. Dio, de qua uetus etiam hic lapis Romae uia Ardentina mentionem facit

L. AVRELIO. L. F. PAP. FAVORI
VETERAN. LEG. III PARTHIC. P. F
ET. A. LOCIS. AEGRIS. CVST
LEG. EIVSDEM

Nomina legionum, quae ex superioribus desunt, uel sunt eaedem cum his, mutatis nominibus, inter Vespasianum, & Alexandrum Impp

Legio I. . . . . ab Augusto	additae
Legio I. Classica a Nerone	
Legio II. ..... a Vespasiano	
Legio V. Claudiana a Claudio	
Legio VII. Galbiana a Galba	
Legio IX. Hispaniensis ab Aug.	
Legio XV. . . . . a Claudio	
Legio XVI. . . . ab Augusto	
Leio XVIII. Victrix a Claudio	
Legio XIX .... ab Augusto	
Legio XXI. Rapax a Claudio	

Legio

Nomina XXXIII. legionum populi Romani sub Imp. Caesare M. Aurelio Alexandro Augusto XIII. limitibus dispositarum

In Italia legio I

Legio II. Parthica

In Britannia legiones III

Legio II. Augusta in Britannia superiore

Legio VI. Victrix in Britannia inferiore

Legio XX. Valeria victrix in Britannia superiore

In Germania inferiore legiones IIII

Legio I. Mineruia pia fidelis

Legio II. Adiutrix pia fidelis

Legio VII. Gemina pia fidelis

Legio XVI. Flauia fidelis

In Germania superiore legiones IIII

Legio X. Frentesis

Legio VIII. Augusta

Legio XXII. Primigenia pia fidelis

Legio XXX. Vlpia victrix

In Rhetia legio I

Legio III. Italica

In Norico legio I

Legio II. Italica

In Pannonia legiones III

Legio I. Adiutrix pia fidelis in Pannonia inferiore

Legio X. Gemina Gordiana pia fidelis in Pann. sup

Legio XIIII. Gemina Martia victrix

In Moesia legiones III

Legio I. Italica in Moesia inferiore

Legio VII. Claudiana pia fidelis in Moesia super.

Legio XI. Claudiana pia fidelis in Moesia inferiore

In Dacia legiones II

Legio V. Macedonica

Legio XIII. Gemina pia fidelis

In Cappadocia legiones II

Legio XII. Fulminatrix

Legio XV. Apollinaris

In Mesopotamia legiones II

Legio I. Parthica

Legio III. Parthica

In Suria legiones IIII

Legio III. Gallica in Phoenice

Legio IIII. Scythica

Legio IIII. Flauia felix fidelis

Legio VI. Ferrata R. F. C. in Iudaea

In Aegypto legiones II

Legio II. Traiana fortis

Legio III. Cyreneica in Arabia

In Africa legio I

Legio III. Augusta in Numidia

In vrbe

Cohortes vigilum VII

Cohortes vrbanae XIIII

Cohortes praetoriae XII

Cohortium vigilum primae, secundae, & cetera usque ad VII. *Item p aetorianarum usq; ad* XII. *&* vrbanarũ *usq; ad* XIIII. *in his antiquis epigrammatibus mentionem sic fieri animaduerti*

In

In musaeo Carpensi Romae

L. AVFVSTI. L. F. SVBVRA. RVFINI
CEN. COH. VII. VIGIL. ROM. & cet

Item Romae in aede D. Pudentianae

C. ACILIO. C. F. VOL. MARTIALI
VASIONE. VETER. EX. COH. XII. PR
MILITAVIT. ANNIS. XVII. VIXIT
ANNIS. LV. M. I. Q. DOMITIVS
ADIVTOR. HERES. CONSORTI. SVO
BENE. MER. FECIT. ET. SIBI

Romae in aedibus Bubalorum

M. ANTONI. M. F. FAB. PHOEBI
MIL. COH. XIV. VRBANAE. 7. PERENNI
STIPENDIORVM. IIII. SECVTOR. TRIB
VIX. ANN. XX. M. V. D. XX. H. III
EPICTECTVS. ET. PHOEBE. PARENTES
INFELICISSIMI. FECERVNT

Claſsis Praetoria Miſenas

Claſsis Praetoria Rauennas

In his claßibus aliquot cohortes conſcriptae erant, de quibus etiam uetuſtae inſcriptiones mentionem faciunt

Romae in Quirinali in hortis Reuerentißimi Carpenſis

D. M

MAGIA. IANVARIA. TATAE. SVO
BENEMERENTI. FECIT
C. ANTONIO. ANTARINO
MILITI. EX. CLASSE. PRAE
TORIA. MISENATIVM. VIX
ANN. XL. MIL. XXIV

Item Romae in aedibus Laur. Vellei

D. M

T. FLAVI. VALENTIS. MIL
CLASS. PR. MISENIESIS
AGRADIESIS. VIX. ANN. XXVII
MIL. ANN. VI

De classe uero praetoria Rauennate Firmi in Piceno eiusmodi extat inscriptio

T. APPAEIO. T. F. VEL. ALFINIO
SECVNDO. PROC. AVG. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR. PRAEF
VEHICVL. SVB. PRAEF. CLASS
PRAET. RAVENN. PR. ALAE. I
AVG. THRAC. TRIB. COH. I. AELIAE
BRITTON. PRAEF. COH. IIII. GALLOR
PATRONO. COL

Hae erant omnes populi Romani legiones, & cohortes suis limitibus imperio tuendo, ita ut exposui, sub Alexandro imp. distinctae, ut ex Dione, & uetustis epigrammatibus accurate examinatis collegi. Quarum omnium nomina eo ordine quem subijciam in fragmento columnae sub Palatij radicibus, uersus templum Pacis aliquot annis ante repertae, ta exarata erant

NOMINA. LEG

II.AVG	II.ADIVT	IIII.SCYTH
VI.VICTR	IIII.FLAV	XVI.FLAV
XX.VICTR	VII.CLAVD	VI.FERRA
VIII.AVG	I.ITALIC	X.FRETE
XXII.PRIM	V.MACED	III.CYREN
I.MINER	XI.CLAVD	II.TRAIAN
XXX.VLP	XIII.GEM	III.AVG
I.ADIVT	XII.FVLM	VII.GEM
X.GEM	XV.APOL	II.ITALIC
XIIII.GEM	III.GALLIC	III.ITALIC
I.PARTHIC	II.PARTHIC	III.PARTHIC

Dio qui ſub Alexandro imp. uixit, libro LV. *hiſtoriarum omnium fere harum populi Romani legionum, quae etiam ſuo tempore erant, nomina, auctores, limiteſque in quibus commorabantur accurate enumerat. Ex quo praecipue eas ego quoque concinnaui. Is quum neget poſt Seuerum imperatorem, qui tres ultimas legiones Parthicas inſtituit, alias additas uſque ad ſua tempora fuiſſe, in eam ego deuenſententiam, ut hae omnes legiones ſub Alexandri potiſſimum imperio, ſub quo ipſe hiſtoriam ſuam conſcripſit, fuerint. Poſt cuius tempora, pleraſque harum uel exauctoratas, uel nomina mutaſſe, pleraſque etiam uetera nomina retinuiſſe, quaſdam in plures legiones diſtinctas fuiſſe, atque omnino harum ſeriem immutatam fuiſſe ſatis ex eo libro patet, cui Notitia utriuſque imperij nomen inditum eſt. In quo diligenter inter cetera omnes illae legiones enumerantur quae poſt Alexandri tempora inſtitutae a ſequentibus imperatoribus fuerunt, de quibus ob eam potiſſimum cauſſam amplius diſſerere ſuperuacaneum eſſe exiſtimaui. Nam in eo libro ita accurate omnes traduntur ut*

nihil

nihil diligentius fieri posse existimem. Ego porro, ne quid eorum quae huius libri constituendi caussa collegi, omittam, earum omnium legionum nomina hic suggeram, quas ex uetustis tãtum inscriptionibus collegi, quarum nulla praeterea aut ab auctoribus, aut a me supra facta mentio fuit, quum earum auctores, tempora, & limites ignorarim. Sunt autem hae

Legio II . . . . .

Legio III. Felix . . . . .

Legio III . . . . .

Legio IIII. Gallica

Huius legionis mentio est in uetusto fragmento Romae apud Gentilem Delphinium

. . . T. LEG. IIII. GALLICAE
PRAEF. COH. IIII. LINGONVM

Legio IIII. Italica

Alia etiam uetus inscriptio hanc legionem sic commemorat

TI.CLAVDIO.QVIR. FRONTINO
NICERATO. CL.FRONTINI.COS.F
X.VIR.STLIT.IVD.TRIB.LATICLAVIO
LEG.IIII.ITALICAE.QVAESTORI.PRO. PR
PROVINCIAE.ACHAIAE

Legio V . . . . .

Legio V. B. . . . . .

Legio V. Alauda pia felix. Haec a Caesare dictatore instituta est, auctore Tranquillo, de qua uetustũ hoc epigramma Romae uia Cassia situm meminit

D I I S. MANIBVS. SACRVM
VLPIAE. PYRALLIDI.CONIVGI
ET.SIBI. HILARVS. AVG. LIB
TIBICIN. L E G. V. ALAVD
P. FEL.VIVVS.FECIT

Legio V.Augusta

Et huius legionis meminit hic lapis

ISIDI . SACRVM
SEX.POMPEIVS.SEX.L.SYRVS
MIL.LEG.V.AVG. V. S. L. M

Legio VII. . . .
Legio VIII. . . . . .
Legio VIII. Antoniniana

Et de hac legione in antiqua hac inscriptione mentionem extare vidi

GENIO . SANCTO
M. AVR . CL . POMPEIANVS
MIL.LEG.VIII.ANTONINIANAE
AVG. B. F .COS. K . IANVAR

Legio X. Augusta

De hac legione mentionem facit uetus hic lapis

IOVI . VICTORI
K. AIMILIVS . K. F . QVIR
ARRINVS.MIL.LEG.X. AVG
S. P. P. D. D

Legio X.Vener
Legio XI . . . . .
Legio XIII......
Legio XIIII.......
Legio XVI......
Legio XVII. Mil......
Legio XIIX--.....
Legio XX. Hered

Legio XXII. Deiotariana

Hanc etiam legionem uetusta inscriptio sic profitetur

L.BAEBIVS.L.F.GAL. IVNIANVS
PRAEF.FABR.PRAEF. COH.IIII
RHETORVM.TRIB.MIL . LEG
X X I I . DEIOTARIANAE
PRAEF . ALAE . ASTYRVM
P R A E F . VEHICVLORVM
IVRIDICVS . AEGYPTI

De quibusdam præterea alis,& cohortibus,quarum in uetustis inscriptionibus mentio est

Post legiones,multae praeterea militum cohortes ab imperatoribus institutae sunt ex uarijs gentibus,quae uel una cum legionibus limitibus Romani imperij tuendis incubabant, uel uarijs in locis collocatae in praesidijs erant. Harum praecipuae ex antiquis inscriptionibus a me collectae,hae erant

Cohors I. Aelia Brittonum
Cohors I. Aquitanorum
Cohors I. Noricorum
Cohors II. Africanorum
Cohors II. Aquitanorum
Cohors II. Bracar
Cohors II. Class
Cohors II. Pannoniorum
Cohors II. Thracum
Cohors II. Thracum Syriaca Claudiana pia fidelis
Cohors III. Alpin
Cohors III. Aug. Thracum

Co-

Cohors III. Illyriorum
Cohors IIII. Gallorum
Cohors IIII. Lingonum
Cohors IIII. Rhetorum
Cohors VI. Thracum
Cohors VII. Thracum
Cohors VIII. Voluntariorum
Cohors XV. Voluntariorum
Cohors XXXII. Voluntariorum
Erat & praefectus ripae Danubij

Alarum quoque in uetustis monumentis multa mentio est. Alae autem equitum manus erant legionũ praesidio constitutae, ut supra ostendi, in his praecipuas fuisse animaduerti

Ala Astyrum
Ala I. Aug. Thracum
Ala Flauiana
Ala Indiana
Ala I. Pannoniorum
Ala VII. Phrygum

DE.COLONIIS.EXTRA.ITALIAM

Prouincijs omnibus populi Romani, legionibusque per eas constitutis expositis, nunc superest, ut quo liber omni ex parte perfectus sit, eas etiam colonias breuissime referam, quae per omnes orbis Romani prouincias extra Italiam deductae sunt. Quarum seriem commodius tradere posse existimaui prouinciarum ordine seruato. Nam quum multae ex ijs incertos habuerint deductores, temporis rationem quemadmodum supra feci in his, quae intra Italiam factae fuerant, habere

re non potui. Prouinciarum igitur ordinem ſequar, quarum in hac mea digeſtione Britanniam primam ſtatui

COLONIAE.POPVLI.ROMANI.EXTRA ITALIAM

In Britannia coloniae V

Colonia Camalodunum, de qua meminit Tacitus libro XII
colonia Diuana legio XX. Victrix, cuius meminit Ptolemaeus
colonia Eboracum legio VI. Victrix, de qua Ptolemaeus
colonia Londinum, de qua Tacitus libro XIIII
colonia Victricenſis, cuius mentio eſt in uetuſta inſcriptione

In Hiſpania Luſitania coloniae V

Colonia Auguſta Emerita, hodie appellatur Merida, cuius & quattuor ſequentium meminit Plinius libro quarto, capite XXII. De ea uero tantum Tacitus libro XVII. & Paullus in digeſtis mentionem faciunt
colonia Metallinenſis, hodie Medellin. Plinius ibidem
colonia Norbenſis Caeſariana, alias Norba Caeſarea, hodie Alcantara. Plinius ibidem
colonia Pacenſis, alias Pax Iulia, hodie Badaioz, Paullus in digeſtis L.XV.VIII
colonia Scalabis, ſiue Praeſidium Iulium, hodie Trugillo. Plinius, Ptolemaeus

In eadem prouincia erat municipium
Oliſipo, alias Felicitas Iulia. Plinius ibidem

In Hiſpania Baetica coloniae VIII

Colonia Aſta regia, cuius & ſeptem ſequentium meminit Plinius libro hiſtoriae naturalis III. cap. primo

colo

colonia Astigitana, siue Augusta firma, hodie Ezija
colonia Atubi, siue claritas Iulia. Plinius ibidem
colonia Corduba Patricia, hodie Cordoua
colonia Hispalis Romulensis, hodie Seuiglia. Tacitus libro decimo octauo
Col. immunis Ituci, siue Virtus Iulia. Plinius
colonia immunis Tucci, siue Augusta Gemella
colonia immunis Vrso, siue Gemina urbanorum. Plinius

In eadem prouincia erant municipia octo. Plin. ibidem.

In Hispania Tarraconensi coloniae XII

Colonia Acci, siue Accitana, hodie Guadix, cuius & XI. sequentium meminit Plinius hist. nat. libro tertio, cap. tertio
colonia Asturica, hodie Astorga
colonia Barcino, olim Fauentia, hodie Barcellona. Paullus
Colonia Caesarea Augusta immunis, olim Salduba, hodie Saragozza. Plinius ibidem
colonia Carthago noua, hodie Cartagena
colonia Celsa, hodie Xelsa
colonia Clunia, hodie Cruna. Ptolemaeus
colonia immunis Ilce, hodie Elche. Paullus
colonia Iulia Obrica Flauia. Plinius
colonia Salariensis. Plinius ibidem
colonia Tarraco, hodie Tarragona. Tacitus libro primo
colonia Valentia, hodie Valenza. Paullus. Florus lib. LV

In eadem prouincia erant municipia XIII. Plinius

Coloniae in Hispania extra harum numerum

Colonia Emporiae, hodie Empurias. Ex Liuio
colonia Graccburis. Ex Liuio
colonia Italica. Ex Gellio libro XVI. cap. XIII

colonia

colonia Marcia, hodie Marchena. Ex antiqua basi

In Aquitania coloniae II

Colonia Ludunius sub Pyraenao. Ptolemaeus
colonia Ruscino sub Pyraenao. Tacitus

In Gallia Belgica coloniae VII

Colonia Agrippina Vbiorum. Vetus lapis, Plinius libro IIII capite decimoseptimo. Tacitus libro duodecimo. Paullus libro digestorum quinquagesimo. XV. VIII. Antoninus Pius in Itinerario
colonia Augusta Rauracorum, hodie Basilea. Vetus lapis, Plinius ibidem
colonia Augusta Treuirorum. Vetus lapis
colonia Augusta Vlpia Traiana. Ptolemaeus, & Antoninus
colonia Equestris. Plinius libro quarto, cap. decimoseptimo
colonia Iubonum. Vetus lapis, Tacitus libro tertiodecimo
colonia Lutarburgium Tarbelliorum. Vetus lapis

In Gallia Lugdunensi coloniae II

Colonia Lugdunum. Vetus lapis, Plinius libro quarto, capite decimooctauo. Tacitus
colonia Vienna. Tacitus, Paullus L. XV. XVIII

In Gallia Narbonensi coloniae XIIII

Colonia Ancusio. Ptolemaeus
colonia Aquae Sextiae Salyorum Paterculus. Plinius libro tertio, cap. quarto. Florus libro LXI. Ptolemaeus
colonia Arausio Secundanorum. Plinius ibidem
colonia Arelatae Sextanorum. Plinius ibidem. Ptolemaeus
colonia maritima Auanticorum. Ptolemaeus

colonia

colonia Auenio. Ptolemaeus
colonia Biterae Septumanorum. Plinius libro tertio, capite quarto
colonia Cabillonum. Ptolemaeus
colonia Narbo Martius Decumanorum. Cicero pro Fonteio, Idem in Bruto, Caesar in cõmentarijs, Paterculus libro secundo. Plinius libro tertio, cap. quarto. Ptolemaeus
colonia Nemausum Arecomicorum. Strabo libro quarto, Ptolemaeus, antiquus nummus
colonia Pacensis claßica Forum Iulij Octauanorum. Plinius libro tertio cap. quarto. Tacitus libris II. & XIX
colonia Tholosa. Ptolemaeus
colonia Valentia. Ptolemaeus
colonia Vienna Allobrogum. Tacitus

In Corsica Cyrno insula coloniae II

Colonia Mariana deducta a C. Mario. Plinius libro tertio, capite sexto
colonia Aleria deducta a Sulla dictatore. ibidem

In Sardinia insula coloniae II

Colonia Turres Libysonis. Plinius libro tertio cap. septimo
colonia Vestipolis. Ptolemaeus

In Sicilia insula coloniae V

Colonia Catina, huius & quattuor sequentium meminit Plinius libro tertio, cap. octauo. De ea uero item Ptolemaeus
colonia Syracusae. Plinius, Ptolemaeus
colonia Tauromínium ante Naxos dicta. Ptolemaeus
colonia Thermae. Plinius
colonia Tyndaris. Plinius ibidem

In Rhetia coloniae V

Colonia Augusta Quinctanorum . Vetus lapis
colonia Augusta Tiberij,hodie Reginoburg. Vetus lapis
colonia Augusta Rhetorum.Vetus lapis
colonia Constantia. Vetus lapis
colonia Curia. Vetus lapis

In Vindelicia colonia I

Colonia Augusta Vindelicorum. Vetus lapis

In Norico coloniae VI

Colonia Aureliana Laureacensis
colonia Carnutum
colonia Celeia
colonia Oiulabis Aurelia Antoniniana } Vetusta epigrammata
colonia Sabaria deducta a Claudio imp. Plinius
*colonia Soluensis.Plinius lib.tertio cap.*XXIIII

In Pannonia coloniae V

Colonia Aemona.Plinius libro tertio capite XXV
colonia Mursia.Ptolemaeus
*colonia Poetouio.Tacitus lib.*XIX. *Vetus lapis*
*colonia Siscia.Plinius libro tertio,cap.*XXV
colonia Syrmium.Vetus lapis

In Dacia coloniae quattuor

Colonia Apulum,hodie Alba Iulia . Vetus lapis
Colonia Aquae uiuae. Vetus lapis
colonia Perendanesiorum.Ptolemaeus
colonia Vlpia Traiana Augusta Dacica Zarmis . Dio in Traiano,Vetus lapis

In

In Thracia coloniae quattuor

Colonia Apros. *Plinius libro tertio, cap.* XI. *Ptolemaeus*
colonia Deueltus. *Ptolemaeus*
colonia Flauiopolis. *Plinius libro quarto, cap.* XI
colonia Philippi. *Plinius ibidem, Vlpianus, Celsus Digestorum libro* L. XV. VI

In Illurico colonia I
Colonia Iadera. *Ptolemaeus*

In Liburnis coloniae quattuor
Colonia Aequum. *Ptolemaeus*
colonia Epidaurum. *Plinius libro quarto, cap.* IX
colonia Narona. *ibidem Plinius*
colonia Salona *deducta a Claudio imp. Ptolemaeus*

In Epeiro coloniae duae
Colonia Buthrotum. *Plinius libro quarto, cap. primo*
colonia Nicopolis *ad Actium ab Augusto deducta. Plinius lib. quarto, cap. primo. Tacitus, & nummus argenteus*

In Macedonia prouincia coloniae sex
Colonia Bullida. *Ptolemaeus*
colonia Cassandria. *Plinius libro quarto, cap.* X. *Vlpianus*
colonia Epidamnum, *alias* Dyrrhachiũ. *Plinius lib. tertio, cap* XXIII. *Vlpianus*
colonia Orestias. *Plinius libro quarto, cap.* X
Colonia Pella. *Plinius ibidem*

In Graecia coloniae duae

Colonia Marcilaida. Antoninus Pius in Itinerario
colonia Megara in Attica. Plinius libro quarto, cap septimo

In Achaia coloniae tres

Colonia Iulia Corinthus deducta ab Augusto. Festus, Nūmus, Plinius libro quarto, cap. quarto
colonia Dyme. Plinius libro quarto, cap. V
colonia Augusta Patrensis, deducta ab Augusto. Nummus, Plinius ibidem
colonia Epiropia insula in mari Aegaeo. Plinius libro quarto, cap. duodecimo

In Asia coloniae Romanae XI

Colonia Synope in Ponto. Plinius lib. VI. cap. II. Vlpianus
colonia Apamena in Bithynia. Plin. lib. V. cap. XXXII. Vlp
colonia Ancyra in Galatia. Plinius lib. quinto, cap. XXXII
colonia Germa. Ptolemaeus
col. Caesarea Antiochia in Pisidia. Plin. lib. V. c. XXVII. Vlp
colonia Gremna in Pamphilia. Ptolemaeus
colonia Troas Antigonia Alexandria in Phrygia. Plinius lib. quinto, cap. XXX. Vlpianus
colonia Parium, alias Pariana in Asia. Plinius lib. quinto, cap XXXII. Vlpianus
colonia Adramyttium Aeolum in Asia. Plin. lib. V. cap. XXX
colonia Selinus, alias Traianopolis in Cilicia. Vlpianus
colonia Archelais Caesarea in Cappadocia, deducta a Claudio imperatore. Plinius libro sexto, cap. tertio

In

In Suria coloniae XX

Colonia Antiochia ad Orontem Suriae Metropolis deducta ab Antonino Caracallo imperatore. Vlpianus Digestorum libro L. titulo XV
colonia Aemesena in Phoenice ded. a Caracallo. Vlpianus
colonia Aelia Capitolina in Iudaea Palaestina deducta ab Hadriano imperatore. Vlpianus ibidem
colonia Apulensis. Vlpianus ibidem
colonia Augusta Berythus Felix Iulia in Coelesuria Pli. lib. v. capite uigesimo. Vlpian. L. XV. I. Nummus argenteus
colonia Turris Stratonis, alias Felix Augusta Caesarea Flauia prima deducta a Vespasiano imperatore. Plin. lib. quinto, cap. tertiodecimo. Vlpianus
colonia Capitulum deducta a Tito Caesare imp. Vlpianus
colonia Damascus Metropolis. Nummus argenteus
colonia Hel . . . . Nummus argenteus
colonia Iul. Sert. Sac. Aug. Felix. Nummus
colonia Iulia Germanicia sacra Augusta Felix. Nummus
colonia Laodicia. Vlpianus
colonia Misena ab Antonino Caracallo deducta. Vlpianus
Colonia Naconensis. Vlpianus
colonia Palmyra a Caracallo imp. deducta. Vlpianus
colonia Paranisensis deducta a Seuero imp. Vlpianus
colonia Ptolemais Phoenica in Palaestina deducta ab imp. Claudio. Plinius lib. V. cap. XIX. Vlpianus
colonia Sebastena deducta a Seuero imp. Vlpianus
colonia Sydo in Phoenice ded. a Caracallo. Vlpianus
colonia Tyrus in Phoenice deducta a Seuero. Vlpianus
colonia Zarme Tigetusa. Vlpianus L. XV. I
colonia Melitene in Armenia maiore. Ptolemaeus

colonia Nisibis iuxta Euphratem. Marcellin. libro XXV
colonia Sinis iuxta Euphratem. Ptolemaeus
colonia Heliopolis in Aegypto a Seuero ded. Vlpianus
colonia Pharus Caesaris dictatoris in Aegypto. Plinius
colonia Bostra in Arabia. Nummus
colonia Indicia Cyrenensium deducta a Traiano. Vlpianus

In Africa coloniae LVII

In prouincia Caesariensi coloniae IX

Colonia Abilis. Ptolemaeus
colonia Babba Augusta Iulia campestris. Plinius libro quinto cap. I. & Antoninus
colonia Banasa Valentia. Plinius ibidem
colonia Lixos a Claudio imp. deducta. Plinius ibidem
colonia Rusardir. Antoninus in Itinerario
colonia Silda. Ptolemaeus
colonia Tingi, alias Traducta Iulia, deducta a Claudio imp. Plinius ibidem
colonia Volubilis. Antoninus, & Ptolemaeus
colonia Tubil, alias Zili Augusta Constantia. Plinius ibidem, Antoninus, & Ptolemaeus

In Mauritania Caesariensi coloniae XIX

Colonia Aquae calidae. Ptolemaeus
colonia Arsenaria. Ptolemaeus
colonia Bida. Ptolemaeus
colonia Carcenna Augusta legio II. Plinius lib. V. cap. II. Antoninus, & Ptolemaeus
colonia Gilua. Antoninus in Itinerario

colo

colonia Gunugi Augusti cohors praetoria. Plinius ibidem
colonia Icosio deducta a Vespasiano. Antoninus. Ptolemaeus
colonia Igilgi. Antoninus. Ptolemaeus
colonia Iol Caesarea, Iubae regia a Claudio imp. deducta. Plin. ibidem, & Antoninus
colonia Oppidoneum. Ptolemaeus
colonia Quiza appellatur a Ptolemaeo, ab Antonino uero municipium
colonia Rusazus Augusti. Plinius ibidem. Antoninus
colonia Rusconiae Augusti. Plinius lib. quarto, cap. secundo. Antoninus in Itinerario, & Ptolemaeus
colonia Ruscurium deducta a Claudio imperatore. Plinius ibidem, Antoninus, & Ptolemaeus
colonia Saldis Augusti. Plinius ibidem, Antoninus, & Ptolem
colonia Siga appellatur a Ptolemaeo, ab Antonino uero municipium
colonia Sitifi. Ptolemaeus, & Antoninus
colonia Succabar Augusta. Plinius ibidem
colonia Tipasa. Antoninus, Ptolemaens

In eadem prouincia municipia VII. ex Antonino

Munic. Bidil	Munic. Cisi	Munic. Coba
Munic. Ionium	Munic. Rusaxis	Munic. Saua
Municipium Tegauda		

In Numidia coloniae septem

Colonia Afrodisium. Ptolemaeus
colonia Cyrtha Sittianorum. Plinius libro quinto, cap. tertio. Antoninus in Itinerario
colonia Hipporegius. Antoninus in Itinerario
colonia Rusicade. Ptolemaeus

Colonia Sica. Plinius ibidem
Colonia, Simitu Antoninus
Colonia Tabracha. Ptolemaeus
Municipium Culli. Antoninus in itinerario

In prouincia valeria Byzacena coloniae VIIII

Colonia Cuina. Ptolemaeus
Colonia Hadrumentum. Ptolemaeus, Antoninus
Colonia Lares. Antoninus, & Ptolemaeus
Colonia Ocea Antoninus
Colonia Sabrata. Ptolemaeus, Antoninus
Colonia Tacape. Ptolemaeus, Antoninus
Colonia Aelia Augusta Mercurialis Thaenitis, alias Thaenae Antoninus. vetus inscriptio
Colonia Thebeste. Ptolemaeus*
Colonia Aelia Augusta Zama regia. Plinius libro v. cap. IIII. Ptolemaeus, Vetus tabula aenea
Municipia Giti, & Pontezita. Antoninus

In Africa veteri coloniae V
Colonia Admedera. Antoninus
Colonia Carthago prima extra Italiam deducta'. Plinius libro v. cap. v. Vlpianus, Paterculus, Florus, Appianus, & alij
Colonia, Maxula. Plinius ibidem
Colonia Neapolis Plinius ibidem. Ptolemaeus
Colonia Vtica Gellius libro XVI. cap. XIII

In Africa noua coloniae VIII
Colonia Culcua. Ptolemaeus

Colonia

Colonia Leptis magna. Ptolemaeus, Antoninus, Vlpianus
Colonia Thusdrum. Antoninus
Colonia Tiba. Ptolemaeus
Colonia Tuburnica. Ptolemaeus
Colonia Tuburbis. Ptolemaeus
Colonia Tynidrumum. Ptolemaeus
Colonia Vtina. Ptolemaeus

DE VECTIGALIBVS POPVLI ROMANI

Prouincijs, colonijs, & legionibus omnibus populi Romani expeditis, locus hic me admonet, ut quod paulo ante de uectigalibus imperij Romani me scripturum pollicitus sum, nunc afferam. Ante bellum igitur Mithradaticum, quod Cn. Pompeius gesſit, in quo Romano imperio tres nouas prouincias, Bithyniam, Ciliciam omnem, & Syriam adiunxit, tributis et uectigalibus populum Romanum ex annuis earum quas commemoraui prouinciarum, quinque millia myriades drachmarum Atticarum cepisse, in Pompeij uita auctor est Plutarchus. Nam ante ea tempora quod annuum uectigal reip. Romanae fuerit incompertum est. Post bellum uero Mithradaticum ijs prouincijs per Cn. Pompeium Romano imperio adiunctis, annui redditus aucti, tribus millibus & quingentis myriadibus, atq; omnino factae octo millia, & quingentae myriades drachmarum Atticarum. Quam summam quo ad nostri temporis pecuniae usum facilius redigam, pauca quaedam de antiquorum tam apud Romanos, quam apud Graecos nummorum ratione disputabo, eaque in hac re tradenda afferam, quae ego Romae apud gentilem Delphinium, & ipse uidi, & manibus attrectaui. Ac primum quidem de Romanorum pecunia, post Graecorum, quantum ad rem propositam explicandam attinet,

attinet, differam. Apud Romanos tria erant praecipua nummorum argenteorum genera, ideſt denarius, quinarius, & ſeſtertius. Denarius ab uno latere urbis Romae galeatum caput cum numeri nota X. habebat: Ita dictus quod pro decem aſsibus in ſolutionem cedebat, quoad perpetuis bellis exhauſto aerario, placuit denarium ſexdecim aſsibus permutari, quod contigit quum Hannibal perpetuos ſexdecim annos totam Italiam crudeliſsime uexabat. Qui quamquam ex decem in ſexdecim aſſes permutatus eſſet, antiquum tamē denarij nomen & notam X. retinuit. Qui quod ab alio latere bigas, & quadrigas circenſium excuſas haberet, bigatus, & quadrigatus dictus eſt. Pendebat autē argenti ſiliquas XXIIII. ſex denarij unciam conficiebant, ut tradit Priſcianus, & ego ipſe expertus ſum. Denarij dimidium quinarium appellabant, nota V. inſignitum, qui quum uictoriae, quae in circo erat ſignum excuſum haberet, etiam uictoriatus appellatus. Quinarij autem dimidium ſeſtertium uocabant, ualebat enim ſeſtertius quartam denarij partem, qui alio nomine nummus dicebatur. Interdum utrunque coniungentes nummum ſeſtertium dicebāt, dictus eſt autem ſeſtertius, quaſi ſemis tertius, eo quod in ſe continebat aſſes duos, & tertiū dimidiatum, notabaturq; apud ueteres per geminum II. & litteram S. quae prima eſt in dictione ſemis, interueniente linea tranſuerſa, qua tres hae litterae coniungerētur ad hunc modum H-S. Veteris conſuetudinis fuit, ut ſemis in compoſitione ante poneretur, ut ſemis quartus, ſemis quinctus, ſemis tertius, unde ſublatis duabus litteris dictus eſt ſeſtertius. Vt autem ſeſtertium nummum ad noſtratis pecuniae aeſtimationem reducā, dicam quod ego ipſe menſurando ueteres ſeſtertios, quinarios, & denarios obſeruaui. Diligentiſsime itaque collegi ſeſtertium tantundem ualere, quantū apud Venetos ualet id nummi genus, quod groſſum appellant,

appellant,ideſt quadrantes duodecim monetae Venetae,ita ut quinarius eiuſdem monetae XXIIII. quadrantibus,denarius uero octo & quadraginta aeſtimabitur. Monetae uero Romanae haud ita facile aequari poteſt, ſed quum res ad paulo grandiorem ſummam redigitur, pecunia Romana cum Veneta omnino conuenit. Romae ſeſtertium tantundem ualere ego diligentiſsima trutina examinaui, quantum quadrantes fere quattuordecim,ideſt ut uocant baiocos tres & ſemis, ita ut quattuordecim fere bacocis denarius antiquus aeſtimari poſſit. Ideo autem fere dixi,quia non omnino ad quattuordecim baiocorum ſummam denarius aſcendit, ſed unus quadrans, uel paulo plus eximendum eſſet. Quod tamen quum ad paulo grandiorem ſummam perueneris,parum officit. Quae omnia ut facilius ab omnibus intelligantur, totius rei breuem hanc deſcriptionem ſubijciam

Monetae Romanae

Seſtertij quattuor	valent	baic. XIIII
H-S octo	valent	baioc. XXVIII
H-S decem	valent	baioc. XXXIII
H-S viginti	valent	baioc. LXVI
H-S triginta	valent	baioc. centum
H-S XXXIIIS	valent	baioc. CX
Seſtertij C	valent	ſcutos aureos coronatos 3
H-S 200		△ 6
H-S 300		△ 9
H-S 400		△ 12
H-S 500		△ 15
H-S 600		△ 18
H-S 700		△ 21
H-S 800		△ 24

H-S 900	valent	△	27
H-S mille	valent	△	30
2000			60
3000			90
4000			120
5000			150
H-S decem millia	valent	△	300
20. millia			600
30. millia			900
40. millia			1200
H-S 50. millia	valent	△	1500
H-S 100. millia	valent	△	3000
H-S 200. millia	valent	△	6000
300. millia			9000
400. millia			12. millia
500. millia			15. millia
H-S decies centena millia		△	30. millia
H-S Vicies			60. millia
H-S Tricies			90. millia
quadragies			120. millia
quinquagies			150. millia
H-S centies decies centena mil.		△	300. millia
Ducenties			600. millia
Trecenties			900. millia
Quadringenties			12. centena millia
H-S Quingenties		△	15. centena millia

H-S Millies decies centena millia valent tricies centena millia scutorum aureorum, idest, ut nunc dicitur, tres auri milliones

H-S bis millies	6. milliones
H-S Ter millies	9. milliones

H-S millies decies centena millia	30. milliones
H-S Vicies millies	60. milliones
H-S tricies millies	90. milliones
H-S quinquagies millies	150. milliones

Sestertijs igitur in masculino genere omnem, quãquam magnam summam, ueteres expediebant. Erat enim & sestertiũ in neutro genere, & in plurali numero sestertia, quae singula ualebant mille nummos sestertios. Habetque sestertium in neutro genere, eandem proportionem ad libram Romanam, quae & mina, & pondo dicitur, quam habet nummus sestertius ad assem, hoc est ad libram aeris grauis; continent enim singula sestertia in se libram Romanam, & semissem; singulae autem librae drachmas, uel denarios centum, hoc est sestertios quadringentos, idest, duodecim aureos nostratis monetae, duae itaque librae, & dimidia, ut clarum est, ualebant sestertios nummos mille, idque uno nomine sestertium dicebant, in neutro genere, decem ergo sestertia ualebant decẽ millia nummorum sestertiorum, quod si hunc numerum per aduerbium extuleris ad hunc modum decies sestertium, iam reddideris hanc summam centuplo maiorem, idem enim est dicere decies sestertium, quod decies centena millia nummorum sestertiorum, ut in exemplo a me relato intelligi potest, ex quo tanquam fonte omnes ueterum nummorum summae hauriri possunt, eaeq; nostrati pecuniae commodari

De drachma uero illud est ante omnia animaduersione dignum Graecos scriptores quotiescunque drachmarum mentionem faciunt, semper drachmas Atticas intelligere quas quidem quum de rebus Romanis loquuntur, denariorum loco accipere solent, non quod drachma Attica tantum idem omnino

no ualeret quod denarius sed quia nullum nummi genus Graeci habuere, quod denario Romano magis cõuenire posset. Nã quum denarius Romanus penderet argenti siliquas XXIIII. duodeuiginti siliquae drachmam conficiebant: tres itaque denarij pendebant drachmas quattuor, octo drachmae unciam conficiebant, uncia sex denarijs constat, auctore Prisciano, si igitur denarius Romanus ualebat ut dixi XLVIII. quadrantes venetos, drachma Attica non nisi XLII. aestimabitur. Budaeus uero in libro de Asse, ostendit drachmam Atticam, & denarium Romanum eiusdem fuisse ponderis, & pretij. Quod & ipsum non obscure indicare uidetur Plinius libro XXI. cap. vltimo: Drachma (inquit) Attica denarij argentei habet pondus, eademque sex obolos pendere efficit &c. Vt ut autem id sit, illud satis manifestum est, Graecos scriptores & praesertim Plutarchum, ubi de rebus Romanis loquũtur, pro drachma Attica Romanum denarium intelligere. Si Romanus uero denarius tantundem ualet ac XLVIII. quadrantes veneti, uel XIIII. baioci Romanae monetae, vna drachmarum idest denariorum myrias, colliget XL. millia nummum, hoc est ut ex mea summa intelligi potest, mille ducentos aureos coronatos. Decem uero myriades ualebunt duodecim millia coronatos aureos. Centum myriades centum uiginti millia aureos; mille myriades duodecies centena millia aureorum, idest ut uocant, auri millionem unum, & ducenta millia aureorum. Quinque igitur millia myriades, quae summa uectigalium Romanorum erat ante bellum Mithradaticum a Cn. Pompeio confectum, ut auctor est Plutarchus, sex auri milliones erant. Bello Mithradatico confecto, uectigalia populi Romani tribus millibus & quingentis myriadibus, ut idem Plutarchus refert, Cn. Pompeius auxit, idest quattuor auri millionibus, & ducentis millibus aureorum. Quae summa priori

ri addita, decem milliones, et ducenta millia aureorum reddet. Haec summa erat uectigaliorum et redditum populi Romani ante tres Gallias a Caesare domitas, et prœlium Pharsalicum, hoc est extremo libertatis tempore. Quo vectigalia ipsa non nisi quinque ex centum reddebant. Nouissima igitur redditum, & uectigaliorum populi Romani annua summa ante libertatem oppressam ex xv. quas supra commemoraui, prouincijs excepta, erat decem millionum, & ducentorum milliũ aureorum ad computationem nostratis monetae redacta

Ceterum post bella ciuilia, Aegypto stipendiaria facta, cẽsu a tribus Gallijs exacto, multis prouincijs, ut supra exposui Romano imperio ab Augusto additis, aliquot populis liberis uectigalibus factis, ad xv. ut opinor, auri milliones annui populi Romani redditus aucti, quod quamquam nusquam quod sciam aperte intelligatur, id tamen aliquot coniecturis ex scriptorum uerbis elicui. Scribit Paterculus tantundem paene redditum redegisse Augustum ex Aegypto capta, quantum Caesar dictator ex tribus Gallijs. Ex Aegypto autem duos auri milliones eum saltim exegisse, ex eo existimo, quod tantumdem Syriae impositũ est. Ex his omnibus Ti. Caesar principatus sui tempore H-S vicies septies millies, idest XXCI. auri milliones praeter ordinarios sumptus collectos, moriens reliquit, cuius rei ita meminit Tranquillus in Caligula: Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Ti. Caesaris uicies septies millies sestertium non toto uertente anno absumpsit. Vespasianus quoque, ut idem Tanquillus tradit, quũ non contentus omissa sub Galba uectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse, auxisse tributa prouincijs, nonnullis autem duplicasse, negotiationes quoque uel priuato pudendas exerceret, professus est initio statim principatus, quadringenties millies H-S opus esse, ut resp. stare posset, idest millionum auri

centum uiginti. Appianus quoque in prooemio libri primi bellorum ciuilium Romani imperij, quae ſuo tempore erat, (uixit autem Romae ſub Hadriano imperatore) potentiam & copias diſcribens ita ait: Noſtris autem temporibus, & quidem ſolis Romanis copiae ingentes adſunt peditum ducenta, equitum quadraginta millia, elephantorum bellicorum trecentorum numerus. Curruum praeterea ad proelia inſtructorũ duo millia, ac armorum in ſupplementum trecenta millia. Et haec quidem terreſtribus copijs. Maritimis uero minorum nauium duo millia, triremium a ſexcuplis in quinqueremes mille quingentarum claſsis, inſtrumentorum quoque naualium, numerus bis totidem. Ad haec naues partim auroproras partim puppes exornatae, quas thalameges appellant, ad belli põpã quibus ijdem imperatores uehi conſueuere, octuaginta. Pecuniarũ praeterea in theſauris Aegyptiorũ talẽtorũ quattuor et ſeptuaginta millia. Tãti apparatus ac rei militaris ſummã ab ipſis in unum cumulatam, atque relictam, ex ipſis imperij breuiarijs cognoſci facile poteſt. ita Appianus Alexandrinus. In quibus uerbis quum omnia clara & manifeſta ſint, praeter talentorum Aegyptiorum ſummam, eam nũc explicabo, & ad noſtratis pecuniae rationem redigam. Sex. Pompeius: Talentorum non unum genus (inquit). Atticum eſt ſex millium denarium. Rhodium & ciſtophorum quattuor millium quingentorum. Alexandrinum (quod idem cum Aegyptio eſt) duodecim millium. Neapolitanum ſex millium, Syracuſanum triũ millium denarium. Rheginum uictoriati. Si igitur talentum Aegyptium eſt XII. millium denarium Romanorum, octo & quadraginta millia nummum ſeſtertiorum, ideſt noſtratis pecuniae mille quadringentis quadraginta aureis, talentum Aegyptium aeſtimabitur, ita ut quinque talenta Aegyptia, ſeptem millibus & ducentis; decem, quattuordecim millibus

libus, & quadringentis; centum talenta, centum quadraginta quattuor millibus aureorum; mille uero, unum auri millionem, quadringentos, & quadraginta millia aureos ualebũt. Septuaginta autem quattuor millia talenta Aegyptia erũt unus & nonaginta auri milliones, centum & sexaginta millia aurei coronati, qui thesaurus erat imperij tempore Hadriani *imperatoris, sub quo* Appianus *ipse* Alexandrinus *historiã* Romanam *conscripsit*

Romani imperij diuisio ab Hadriano imperatore facta

Quattuor omnino in uniuerso Romano *imperio fuere nouae reip. formae auctores. Quorum primus* Romulus, *secundus* Augustus, *tertius* Hadrianus, & *quartus* Constantinus *imperator fuit. Quam porro rempublicam* Romulus, & Augustus *constituerint, satis supra demonstraui.* Hadrianus *primus post* Augustum *nouam reip. formam fecit. Quod breuißime his uerbis* Sex. Aurelius Victor *tetigit: Officia sane publica, &* Palatina, *nec non militiae, in eam formam* Hadrianus *statuit, quae paucis per* Constantinum *immutatis, hodie perseuerant. Eam autem demonstraturus operaepretium visum est ante, totius imperij* Romani *breuißimam descriptionem suggerere, quã in prooemio librorum bellorum ciuilium* Appianus Alexandrinus, *qui sub eo uixit, affert; ita enim ait;* Romanã *historiam scribere instituens, necessarium mihi in primis existimaui terminos ponere, quibus nationibus imperent* Romani. *Ab* Herculis *igitur columnis in id mare, quod ad illas denuo circumque nauigatur, insulae, littora, populi omnes* Romano *parent imperio. Horum primi in dextra* Maurusij *quicunque circa mare, omnisque altera* Lybicorum *natio usque ad* Carthaginem. *His superiores* Nomadae, *quos* Ro-

mani Numidas appellant, & regionem Numidiam. Altera autem Lybica natio, quae Syrtes, ac Cyrenem usque incolit, & Cyrene ipsa, & Marmaridae, Hammonijque, & qui paludem Mariam tenent; Alexandria, Aegyptus uniuersa ad Aethiopes orientales usque a Romanis reguntur. Per Nilum autem nauiganti ad Pelusium usque per mare, uertentique nauigationem, & collustranti littora Syriaca, occurrit Palaestina, & supra ipsam pars Arabum, finitimique Palaestinis. Phoenices supra mare, & Phoenicibus ulteriores Coelesyrij ad Euphratem usque fluuium pertinentes. A mari superius Palmyreni sunt, eorumque harenae supra Euphratem. Cilices Syris propinqui, & Cappadoces Cilicum finitimi, Armeniorumque pars, quam Armeniam minorem uocant. Apud Euxinum Pontum omnia maritima Romanis parent. Syri quidem & Cilices ad mare prospectant, Armeni autem & Cappadoces inter Ponticas gentes habitant. Per mediterranea uero ad Armeniam maiorem Romani non imperant ex tributo admodum, uerum ipsorum regum auctores sunt. A Cappadocia & Cilicia in Ioniam descendenti, magna adest Cheronnesus, cuius a dextra Euxinus pontus, Propontis, & Hellespontus, Aegeumque mare, a laeua Pamphilium & Aegyptium pelagus. Ambo enim maria Cheronnesum faciunt. Insunt & Aegyptium mare prospectantes Pamphilij, & Lycij, & post ipsos Cares usque ad Ioniam. Qui autem super Euxinum põtum, Propontidem, & Hellespontum, Galatae, Bithyni, Mysi, Phrygesque, in mediterraneis Pisidae, & Lycij, quibus omnibus imperant Romani. Vlterius uero transeuntes alijs circa pontum imperãt gentibus, & Moesis qui in Europa sunt, ac Thracibus quicunque circa Euxinum incolunt loca. Ab Ionia autem est maris Aegaei & Ionij sinus, ac Siculum, Tuscũque pelagus, usque ad Herculeas columnas. Haec longitudo ab

ab Ionia ad Occeanum. Et in hac iterum nauigatione tot Romanis subactae nationes, Graecia omnis, Thessalia, Macedones, Thraces, Illyrij, Pannonij, & ipsa Italia omnium gētium domina, quae ab Ionio, & Tusco mari circundata ad Gallos usque extenditur. Omnis etiam Gallorum gens, quorū pars ad mare, pars ad Oceanum Septemtrionale respicit, & pars prope amnem Rhenum incolit. Hispania omnis super Hesperium & Borealem Oceanum ad Herculeas finiens colūnas. Atque hae sunt gentes quae mari alluuntur a Romanis possessae, nunc mediterraneas eorum iuris regiones, imperijq; terminos exponam. Maurusiorum pars est quae ad Aethiopes occidentales spectat, ac calidiorem ferisque horrentem Lybiā usq; ad orientales Aethiopes pertinet, qui Romani imperij in Africa terminus est. In Asia autem Euphrates fluuius, & Caucasus mons, maiorisque Armeniae principium, Colchi ad Euxinum pontum habitantes, huiusque maris reliqua fines sunt Romanae ditionis. In Europa fluuij duo Rhenus & Danubius Romanis fines imponunt. Quorum Rhenus in occeanum Germanicum septentrionalem, Danubius in Euxinum pontum influit. Vltra progreßi nonnullis Gallorum qui supra Rhenum habitant gentibus, & ijs qui trans Danubium sunt, quos Dacos uocant Romani imperant. Omnes praeterea insulae quae in mediterraneo sunt, ut Cyprus, Creta, Rhodus, Lesbus, Euboea, Sicilia, Sardinia, Corsica, & aliae omnes Romanae ditionis sunt. In Occeano praeterea Septemtrionali Britanniae insulae maximam partem Romanam prouinciam fecerunt, nam altera parte non indigent, quum nec utilis ijs esse poßit, & infrugifera sit. Harum tantarum innumerarumque nationum quum tanta sit magnitudo, Italiam tamen magno labore, ac uix quingentis annis stabilem sibi reddidere, quum medio interim tempore regibus usi, per reliquum his

exactis,nullos deinceps reges admittere uoluerunt, sed libertate sibi uendicata, praeter quingentos illos quos dixi annos, ducentis praeterea sub annuis imperijs fuerunt, quo tempore rerum principatum adepti, externam omnem oppressere potentiam, quum uniuersas sibi nationes subegissent. C. Caesar optimatibus bello uictis, imperio suscepto, reipublicae quidem nomen seruauit, re autem ipsa principem & rerum dominum se omnibus praestitit. Estque in hanc usque aetatem eadem potestas sub uno principe, quos imperatores non reges uocant, uetere iusiurando astricti, se neminem Romae regnare passuros, sed eos imperatores uetere ducum nomine uocauerunt, qui re ipsa uere reges sunt. A quo ad aetatem usque meã anni ducenti acti sunt, quo tempore potissimum Romana res floruit, progressusque ad maiora uidetur adaugeri, omnibus populis in pace constitutis, amplissima summaque felicitate. Ac nonnullas ex prioribus nationibus ijdem imperatores in principatu subegere, deficientesque restituere, integritate cõsilij, terrae marique dominantes, potiusque augere dignitatem cupiunt, quam inter barbaros propagare imperium, gentem inopem, & minimae utilitatis. Quorum ego nonnullos Romae uidi ob id missos, quo se suaque Romanis dederent, neque imperatorem admittentem, quos ut inutiles sponte recusabat; plurimis etiam nationibus quarum infinita paene est multitudo Romani reges statuunt, quum nihil ijs ad imperium indigeant. Ex nonnullis praeterea qui eorum imperio parent, plus detrimenti capiunt quam utilitatis. Quos quamquam inutiles quum reijcere pudeat, imperium omne magnis legionũ copijs, praesidijsque circumquaque uallantes, tantum terrae, tantumque maris, quasi fundum quendam seruant, ac continent. Nullum quippe in prasentem diem tam paruo tempore, in tantum creuit ac surrexit imperium. Nam neque Assyriorum,

rum, aut Medorum, neque Persarum, uel Macedonũ, aut Graecorum imperia cum eo comparanda sunt. Eorum enim imperiorum magnitudo, nec ad dimidium Romanae potentiae, ut opinor, attigit. Qui imperij terminos orientem occidentemq; sibi fecerunt, marique imperent uniuerso. Quorum magnitudo ac felicitas, maturitate consilij, temporisque diuturnitatae adauctae, uirtute, patientia, & tolerantia eos super omnes gentes extulere. Non enim prosperis rebus intumuerũt, quoad stabilem uictoriam sunt adepti, nec aduersis unquam animo fracti sunt, quum una die in proelio militum aliquando XX. aliquando XL. aliquando etiam quinquaginta millia amiserunt. Vrbe etiam eodem tempore bello, peste, & fame, seditioneque intestina uexata, nunquam ab animi magnitudine constantiaque desciuere, donec per septingentos annos, uarijs bellis, periculis, & seditionibus conflictati, ad eam postremo imperij maiestatem saluberrimis consilijs euecti sunt, quam nunc tenent. Haec autem Appiani propemodum uerba sunt. Cuius imperij descriptio in Hadriani potißimum principatum incidit. Qui omnium quas enumeraui, nationum ac prouinciarum nouam quandam diuisionem fecit, imperiumque disposuit longe diuersa ratione ab ea quam Augustus constituerat. Quã prouinciarum diuisionẽ, nouamque imperij constitutionem ex Sex. praecipue Rufo, hoc loco suggeram, atq; ante omnia ab Italia rerũ domina initium sumam. Quae in XVII. dioeceses, siue administrationes distincta est. Quibus qui praerant aliqui consulares, aliqui correctores, aliqui praesides uocabantur. Consulares VIII. correctores II. praesides uero VII. fuerunt. Qui uero hi fuerint, paulo post exponam

Noua imperii populi Romani diuisio, prouinciarumque omnium in plures dioeceses distinctio ab imp. Caesare Traiano Hadriano Augusto facta

Prouinciae uel dioeceses in Italia, & tribus eius insulis XVII

I	Venetia, & Histria	Hae octo dioeceses habebant consulares
II	Aemilia	
III	Liguria	
IIII	Flaminia, & Picenum	
V	Tuscia, & Vmbria	
VI	Picenum suburbicariũ	
VII	Campania	
VIII	Sicilia Insula	
I	Apulia, & Calabria	Hae duae habebant correctores
II	Samnium, & Bruttij	
I	Alpes Cottiae	He septẽ dioeceses habebant praesides
II	Rhetia prima	
III	Rhetia secunda	
IV	Samnium	
V	Valeria	
VI	Insula Sardinia	
VII	Insula Corsica	

In Hispania prouinciae sex

I Prouincia Tarraconensis praesidialis
II prouincia Carthaginiensis praesidialis
III prouincia Lusitania consularis
IIII prouincia Callaecia praesidialis

V prouincia Baetica, consularis
VI prouincia Transfretensis in Africa, quae Tingintania Mauritania appellatur, praesidialis

In Gallijs, Aquitania, & Britannia prouinciae XVIII

I Prouincia Alpes maritimae
II prouincia Massiliensis, cuius metropolis est Masilia
III prouincia Ambianensis, cuius metropolis est Ambianum
IV prouincia Viennensis, cuius metropolis est Vienna
V prouincia Narbonensis, cuius metropolis est Narbo Martius
VI prouincia Nouempopulonia
VII prouincia Aquitania prima, cuius metropolis est Biturigum
VIII prouincia Aquitania secunda, cuius metropolis est Burdegala
IX prouincia Alpes Cottiae
X prouincia Maxima Sequanorum
XI prouincia Germania prima
XII prouincia Germania secunda
XIII prouincia Belgica prima, cuius metropolis est Treueris
XIV prouincia Belgica secunda, cuius metropolis est vrbs Remorum
XV prouincia Lugdunensis prima, cuius metropolis est Lugdunum
XVI prouincia Lugdunensis secunda, cuius metropolis est Rothomagum

XVII prou. Britannia prima maxima Caesariensis
XVIII prouincia Britannia secunda

In Illyrico prouinciae XVII

I Prouincia Noricorum prima
II prouincia Noricorum secunda
III prouincia Pannonia prima
IIII prouincia Pannonia secunda
V prouincia Valeria
VI prouincia Sauia
VII prouincia Dalmatia
VIII prouincia Moesia
IX prouincia Dacia prima
X prouincia Dacia secunda
XI prouincia Macedonia
XII prouincia Thessalonica
XIII prouincia Achaia
XIIII prouincia Epeirus prima
XV prouincia Epeirus secunda
XVI prouincia Praeualitana
XVII prouincia Creta insula

(XI–XVII: prouinciae VII in ditione Macedonica)

In Thracia prouinciae VI

I Prouincia Thracia
II prouincia Haemimontium
III prouinca Moesia inferior
IV prouincia Scythonia
V prouincia Rhodope
VI prouincia Byzantium

In Africa prouinciae VI

Prouincia Africa, cuius metropolis est Carthago proconsularis
prouincia Numidia consularis

prouincia

prouincia Byzacium consularis
prouincia Tripolitana praesidialis
prouincia Mauritania Sitifensis praesidialis
prouincia Mauritania Caesariensis praesidialis

Asiae diuisio deest

OMNIVM RECENTISSIMA. ROMANI IMPERII. DIVISIO. AB IMP. CAESARE. FL. CONSTANTINO MAX. AVGVSTO. FACTA

Nouißimus omnium Romanorum principum imperij formam, administrandi rationem, iura, & statum mutauit imp. Constantinus, quod & Zosimus secundo historiarum libro tradit, & ex omni historia patet, egoque accurate in libro de comitijs imperij demonstraui. Totum enim orbem Romanum denuo diuisit, nouas dioeceseum, uel prouinciarum distinctiones fecit, nouos magistratus excogitauit, nouam vrbem Romae aemulã condidit Cõstantinopolim, quam orientalis imperij caput esse uoluit, ut Romam occidentalis. Nam imperium omne Romanum suprema diuisione in duas partes secuit, Orientale & Occidentale. Prouinciae omnes transmarinae orientales ab angusto Propontidis freto ad Nili usque ostia, & Aegyptum, qua Africae continua est, Illyricus quoque Epeirus, Achaia, Graecia, Theßalia, Macedonia, Thracia, Creta, Cyprus, Dacia omnis, & Moesia, ceteraeque eius tractus prouinciae imperio orientali, vrbique Constantinopoli in plures dioeceses distinctae, attributae. Hispania, Britannia, Galliae, & Noricum, Pannoniae, & ceterae Germaniae prouinciae, Dalmatia, Africa omnis, & Italia vrbis Romae, & occidẽtalis imperij ditioni relictae. Vt aũt vrbem a se conditam in omnibus antiquae Romae aequalem redderet, duos

ad minus imperatores esse procurauit, quorum alter in occidente, alter in oriente rerum potirentur, senatum quoque diuisit, quum enim uniuerso orbi Romano ciuitas diu ante ab Antonino Caracallo imp. data fuisset, senatores omnes lecti ex occidentalis imperij prouincijs Romae remanserunt, ex orientalis uero Constantinopoli. Eadem etiam de consulibus ratio fuit, quorum alterum Constantinopoli designari mos erat. Vrbis deinde praefectus ut Romae, ita etiam Constantinopoli factus est. Nullum postremo priuilegium, seu dignitas, aut immunitas Roma habuit, quae non eadem ratione Constantinopoli etiam communicata non fuerint. Atque haec de Constantinopoli, nunc de magistratibus nouis dicamus. Post exauctoratos milites praetorianos, & castrum praetorium Romae excisum, Constantinus imperator, uniuersum orbem Romanũ in quattuor dioeceses siue administrationes diuisit, idest Italiam, Gallias, Illyricum, & orientem, atque his omnibus prouincijs quattuor rectores dedit, quos praefectos praetorio, uetere quidem & usitato uocabulo, sed noua administrãdi ratione, uocauit. Quorum primus praefectus praetorio Italiae dicebatur, hic Italiam omnem, & Africam, cum Illyrici parte regebat; alter uero praefectus praetorio Galliarũ appellatus, Hispaniam, Gallias, Britanniam, & Germaniam sub sui iuris administratione habebat. Atque hi duo praefecti praetorio occidentalis imperij erant, atque imperatori occidentis, post quem primi erant, parebant. In orientali uero imperio praefectus praetorio Illyrici, reliquas omnes Europae prouincias Romani iuris administrabat; praefectus praetorio orientis Asiae omni eadem auctoritate praeerat. Atque hi duo primum post imperatorem in oriente locum obtinebant in suis unusquisque administrationibus: sub his quattuor praefectis praetorio omnes magistratus Romani erãt, varijs nominibus appellati,

appellati, dignitatibusque, & administrationibus distincti, qui tam prouincijs, quam rei militari praeerant. Quae omnia nunc accurate describam initio ab occidentalis imperij magistratibus, dignitatibusq; tam ciuilibus quam militaribus facto

MAGISTRATVVM. ET. PROVINCIARVM IMPERII. OCCIDENTALIS DESCRIPTIO

Imperator Caesar Augustus
Consul occidentalis
Praefectus praetorio Italiae
Praefectus praetorio Galliarum
Praefectus urbis Romae
Magister peditum in praesenti. Sub huius dispositione erant sex comites rei militaris. Duces militum duodecim. Legiones Palatinae XII. Auxilia Palatina LXV. Legiones comitatẽses XVIII. omnes classes, id est Veneta, Rauẽnas, Comẽsis, Misenas, Viẽnẽsis, Bracaria, Massiliẽsis, Ararica, Anderetiana cum earum praefectis, tribuni omnes cohortium, & militum praefecti per occidentem
Magister equitum in praesenti. Sub huius dispositione erant uexillationes Palatinae, & comitatenses omnes in occidente
Magister equitum per Gallias
Praepositus sacri cubiculi
Magister officiorum
Quaestor sacri palatij
Comes sacrarum largitionum
Comes rerum priuatarum
Comes domesticorum equitum
Comes domesticorum peditum
Primicerius sacri cubiculi
Primicerius notariorum

Castrensis sacri palatij
Magister scriniorum
Magistri memoriae, epistolarum, & libellorum
Proconsul Africae, cuius Vicarij sex
Vicarius urbis Romae
Italiae
Africae
Hispaniarum
Septem prouinciarum
Britanniarum

Comites rei militaris sex

Comes Italiae
Africae
Tingitaniae
Tractus Argentoratensis
Britanniarum
Littoris Saxonici per Britannias

Duces limitum duodecim

Dux limitis Mauritaniae Caesariensis
Dux limitis Tripolitani
Pannoniae primae, & Norici ripensis
Pannoniae secundae, & Valeriae ripensis
Rhetiae primae, & secundae
Dux Sequanicae
Dux Tractus Armoricani
Dux Tractus Neruicani
Dux Belgicae secundae
Dux Germaniae primae
Dux Britanniae
Dux Moguntiacensis

Consulares XX

Consularis Pannoniae
consularis Venetiae, & Histriae
consularis Aemiliae
consularis Liguriae
consularis Flaminiae, & Piceni annonarij

In Italia octo

con-

consularis Tusciae, & Vmbriae
consularis Piceni suburbicarij
consularis Campaniae
consularis Siciliae insulae

consularis Byzacij
consularis Numidiae
} In Africa II

consularis Baeticae
consularis Lusitaniae
consularis Callaeciae
} In Hispania III

consularis Viennensis
consularis Lugdunensis primae
consularis Germaniae primae
consularis Germaniae secundae
consularis Belgicae primae
consularis Belgicae secundae
} In Gallia VI

Correctores III

Corrector Apuliae, & Calabriae
corrector Lucaniae, & Bruttiorum
corrector Sauiae in Pannonia

Praesides XXXI

Praeses Dalmatiarum
praeses Pannoniae primae
praeses Norici mediterranei
praeses Norici ripensis
} In Illyrico IIII

praeses Alpium Cottiarum
praeses Rhetiae primae
praeses Rhetiae secundae
praeses Samnij
praeses Valeriae
} In Italia VII

Praeses insulae Sardiniae
praeses insulae Corsicae
Praeses Mauritaniae Sitifensis
praeses Tripolitanae
} In Africa II
praeses Tarraconensis
praeses Carthaginiensis
praeses Tingitaniae
praeses Insularum Balearium
} In Hispania IIII
praeses Alpium maritimarum
praeses Alpium Poeninarũ, & Graiarum
praeses Maximae Sequanorum
praeses Aquitaniae primae
praeses Aquitaniae secundae
praeses Nouempopulanae
praeses Narbonensis primae
praeses Narbonensis secundae
praeses Lugdunensis tertiae
prarses Lugdunensis Senonicae
} In Gallijs XI
praeses Britanniae primae
praeses Britanniae secundae
praeses Britanniae Flauiae Caesariensis
} In Britannia III

PROVINCIAE . QVAE . ERANT . SVB DISPOSITIONE . PRAEFECTI PRAETORIO . ITALIAE

Italia, Illyricum, Africa, & earundem tam ciuiles, quam militares magistratus

In Italia prouinciae octo

Prouincia Venetia, & Histria
prouincia Aemilia
prouincia Liguria
prouincia Flaminia, et Picenũ annonariũ
} Consulares sub Vicario Italiae

pro-

prouincia Tuſcia, & Vmbria *prouincia Picenum ſuburbicarium* *prouincia Campaniae* *prouincia Siciliae*	*Conſulares ſub Vicario urbis Romae*
prouincia Apuliae, & Calabriae *prouincia Lucaniae, & Bruttiorum*	*Correctoriales ſub Vic. Vrbis Romae*
prouincia Alpium Cottiarum *prouincia Rhetia prima* *prouincia Rhetia ſecunda*	*Praeſidiales ſub Vicario Italiae*
prouincia Samnium *prouincia Valeria* *prouincia Sardinia* *prouincia Corſica*	*Praeſidiales ſub Vicario urbis*

In Illyrico prouinciae VI

prouincia Pannoniae ſecundae conſularis
prouincia Sauiae correctorialis
prouincia Dalmatiarum praeſidialis
prouincia Pannoniae primae praeſid
prouincia Norici mediterranei praeſid
prouincia Norici ripenſis praeſidialis

In Africa prouinciae VI

Africa ubi erat Carthago proconſularis *prouincia Byzacena conſularis* *prouincia Mauritania Sitifenſis praeſid* *prouincia Mauritania Caeſarienſis praeſ* *prouincia Tripolitana praeſidalis*	*Sub Vicario Africae*

PROVINCIAE . QVAE . ERANT . SVB DISPOSITIONE . PRAEFECTI PRAETORIO.GALLIARVM

Hiſpania, Galliae, Britannia, & ipſarum tam ciuiles quam militares magiſtratus

In Hiſpania prouinciae VII

Prouincia Baetica conſularis	*Sub Vicario*
prouincia Luſitania conſularis	
prouincia Callaecia conſularis	
prouincia Tarraconenſis praeſidialis	
prouincia Carthaginienſis praeſid	
prouincia Tingitania praeſid	
prouincia Baleares inſulae praeſidialis	

In Gallijs prouinciae XVII

Prouincia Viennenſis conſularis	*Sub diſpoſitione Vicarij ſeptem prouinciarum*
prouincia Lugdunenſis prima conſularis	
prouincia Germania prima conſularis	
prouincia Germania ſecunda conſularis	
prouincia Belgica prima conſularis	
prouincia Belgica ſecunda conſularis	
prouincia Alpes maritimae	
prouincia Alpes Poeninae & Graiae	*Reliquae XI. praeſidiales*
prouincia Maxima Sequanorum	
prouincia Aquitania prima	
prouincia Aquitania ſecunda	
prouincia Nouempopulana	
prouincia Narbonenſis prima	

pro-

Prouincia Narbonensis secunda	*praesidiales*
prouincia Lugdunensis secunda	
prouincia Lugdunensis Turonica	
prouincia Lugdunensis Senonica	

In Britannia prouinciae V

Prouincia Maxima Caesariensis consularis	*Sub Vicario Britanniarũ*
prouincia Valentia consularis	
prouincia Britannia prima praesidialis	
prouincia Britannia secunda praesidialis	
prouincia Flauia Caesariensis praesidialis	

SVB.DISPOSITIONE.PRAEFECTI.VRBIS ROMAE.ERANT

Praefectus annonae
Praefectus Vigilum
Comes formarum
Comes riparum aluei Tiberis, & cloacarum urbis
Comes portus
Magister census.
Rationalis uinorum
Tribunus fori Suari
Consularis aquarum
Curator operum maximorum
Curator operum publicorum
Curator statuarum
Curator horreorum Galbianorum
Centenarius Portus
Tribunus rerum nitentium
Tribunus uoluptatum

MAGISTRATVVM. ET. PROVINCIARVM IMPERII. ORIENTALIS DESCRIPTIO

Imp. Caesar Augustus
Consul orientalis
Praefectus praetorio orientis
Praefectus praetorio Illyrici
Praefectus urbis Constantinopolis
Magister militum in praesenti. Sub cuius dispositione erãt uexillationes Palatinae V. Comitatẽses VII. Legiones Palatinae VI. Auxilia Palatina XVIII
Magister equitum in praesenti. Sub cuius dispositione erant uexillationes Palatinae VI. Comitatenses VI. Legiones Palatinae VI. Auxilia Palatina XVII
Magister equitum, & peditum per orientem. Sub quo erant uexillationes Comitatenses decem. Legiones Comitatenses IX. & pseudocomitatenses X
Magister equitum & peditum per Thracias. Sub quo erant uexillationes Palatinae tres, Comitatenses quattuor, & legiones Comitatenses XXI
Magister equitum & peditum per Illyricum. Sub quo erant uexillationes Comitatẽses II. Legio Palatina I. Auxilia Palatina VI. Legiones Comitatenses octo. Pseudocomitatenses nouem
Praepositus sacri cubiculi
Magister officiorum
Quaestor sacri palatij
Comes sacrarum largitionum
Comes rerum priuatarum diuinae domus

Comes domesticorum peditum
Comes domesticorum equitum
Primicerius sacri cubiculi
Primicerius notariorum
Castrensis sacri palatij
Magistri scriniorum, memoriae, epistolarum, & libellorum Graecorum
Proconsul Asiae
Proconsul Achaiae
Comes orientis
Praefectus Augustalis
Vicarius dioeceseos Asianae
Vicarius dioeceseos Ponticae
Vicarius dioeceseos Thraciarum
Vicarius dioeceseos Macedoniae
Comes rei militaris Aegypti
Comes rei militaris Isauriae

Duces limitum XIII

Dux Libyae } *per Aegyptum*
Dux Thebaidos
Dux Phoenices } *per Orientem VI*
Dux Euphratensis
Dux Suriae Palaestinae
Dux Osrohenae
Dux Mesopotamiae
Dux Arabiae
Dux Armeniae
Dux Moesiae secundae } *per Thracias*
Dux Scythiae

Dux Daciae ripensis	per Illyricum
Dux Moesiae primae	

Consulares XV

Consularis Palaestinae	per Orientem V
consularis Phoenices	
consularis Suriae	
consularis Ciliciae	
consularis Cypri	
consularis Pamphiliae	Per dioecesim Asianam III
consularis Hellesponti	
consularis Lydiae	
consularis Galatiae	Per Pōticam II
consularis Bithyniae	
consularis Europae	per Thracias II
consularis Thraciae	
consularis Cretae	per Illyricū III
consularis Macedoniae	
consularis Daciae mediterraneae	

Praesides prouinciarum XL

Praeses Lybiae superioris	per Aegyptū V
praeses Lybiae inferioris	
praeses Thebaidos	
praeses Aegypti	
praeses Arcadicae	
praeses Palaestinae Salutaris	per Orientem octo
praeses Palaestinae secundae	
praeses Phoenices Libani	
praeses Euphratensis	
praeses Syriae Salutaris	

per

Praeses Osrohenae praeses Mesopotamianae praeses Ciliciae secundae	
praeses Pisidiae praeses Lycaoniae praeses Phrygiae Pacatianae praeses Phrygiae Salutaris praeses Lyciae praeses Cariae praeses insularum	per Asianā dioecesim septem
praeses Honoriados praeses Cappadociae primae praeses Cappadociae secundae praeses Hellenoponti praeses Ponti Polemoniaci praeses Armeniae primae praeses Armeniae secundae	per Ponticā octo
praeses Armeniae Salutaris	
praeses Haemi montis praeses Rhodopes praeses Moesiae secundae praeses Scythiae	per Thracias IIII
praeses Thessaliae praeses Epeiri ueteris praeses Epeiri nouae praeses Daciae ripensis praeses Moesiae primae praeses Praeualitanae praeses Dardaniae praeses Macedoniae Salutaris	per Illyricum VIII

Corrector Augustanicae
Corrector Paphlagoniae

PROVINCIAE . QVAE . ERANT . SVB DISPOSITIONE . PRAEFECTI PRAETORIO.ORIENTIS

Dioeceses Oriens, Aegyptus, Asiana, Pontica, Thracia cum suis magistratibus ciuilibus, & militaribus

In oriente prouinciae XV

prouincia Palaestina consularis
Prouincia Phoenices consularis
prouincia Syria consularis
prouincia Cilicia consularis
prouincia Cyprus consularis
prouincia Arabia sub duce
prouincia Isauria, & reliquae praesidiales
} Sub comite Orientis

prouincia Palaestina salutaris
prouincia Palaestina secunda
prouincia Phoenix Libani
prouincia Euphratensis
prouincia Suria Salutaris
prouincia Osrohena
prouincia Mesopotamia
prouincia Cilicia secunda
} Sub comite oriētis

In

In Aegypto prouinciae VI

Prouincia Lybia superior *prouincia Lybia inferior* *prouincia Thebais* *prouincia Aegyptus* *prouincia Arcadica* *prouincia Augustanica correctorialis*	*quinque praesidiales sub praefecto Augustali*

In Asia prouinciae X

Prouincia Pamphilia consularis *prouincia Hellespontus cons. sub procos* *prouincia Lydia consularis* *prouincia Pisidia, & reliquae praesidial* *prouincia Lycaonia* *prouincia Phrygia Pacatiana* *prouincia Phrygia Salutaris* *prouincia Lycia* *prouincia Caria* *prouincia Rhodus, & insulae sub procos*	*Sub proconsule duae, Vicario uero Asiae reliquae octo*

In Ponto prouinciae XI

prouincia Paphlagonia correctorialis *prouincia Galatia consularis* *prouincia Bithynia consularis* *prou. Honorias, et reliquae praesidial* *prouincia Cappadocia prima* *prouincia Cappadocia secunda* *prouincia Pontus Polemoniacus* *prouincia Hellenopontus*	*Sub Vicario Ponticae*

prouincia Armenia prima	*Sub Vicario Pōticae*
prouincia Armenia secunda	
prouincia Galatia Salutaris	

In Thracia prouinciae VI

prouincia Europa consularis	*Sub Vicario Thraciarum*
prouincia Thracia consularis	
prou. Haemus mons, et reliquae praesidiales	
prouincia Rhodopes	
prouincia Moesia secunda	
prouincia Scythia	

PROVINCIAE. QVAE. ERANT. SVB DISPOSITIONE. PRAEFECTI PRAETORIO. ILLVRICI

Dioeceses Macedonia & Dacia, cum earumdem magistratibus, tam ciuilibus quam militaribus

In Macedonia prouinciae VI

prouincia Achaia proconsularis	*Sub proconsule*
prouincia Macedonia consularis	*Sub Vicario Macedoniae reliquae omnes V*
prouincia Creta consularis	
prouincia Thessalia, & reliquae praesidiales	
prouincia Epeirus noua	
prouincia Macedoniae Salutaris pars	

In Dacia prouinciae V

prouincia Dacia mediterranea consularis	*Sub Vicario Macedoniae*
prouincia Dacia ripensis praesidialis	
prouincia Moesia prima praesidialis	
prouincia Dardania praesidialis	

prou.

prou. Praeualitana, et pars Macedoniae salutaris praesidialis

Haec est nouißima imperij, & magistratuum Romanorum distinctio ab imp. Constantino facta. Cui postea quum sequentes principes aliquid addidißēt, uel detraxissent, eam paulo uariarunt, quamquam totius rei summa in hanc rationem conseruata sit usque ad obitum Theodosij imperatoris, et imperij excidium, quod qua ratione, quo tempore, & a quibus barbaris factum fuerit, paulo post accurate exponam.

DE. PARTHORVM. IMPERIO

Qum soli omnium orientalium Parthi Romanam uim non timuerint solum, sed saepe fregerint etiam, unique ab omni Romanorum subiectione suum per multa saecula imperium integrum conseruarint, nunc Romani imperij rebus expeditis, qui nam ipsi, uel quod eorum imperium fuerit, exponere potißimum constitui, quod ijs reges aliquando a Romanis imperatoribus datos, inter praecipua imperij gesta celebrentur, qui aliquando intestinis discordijs, & domesticis seditionibus attriti, a Romanis paene debellati, parū abfuit quin cū oriente toto in Romanorum uenerint ditionem. Post Parthos Persarum qui ijs successerunt, imperium, & postremo Sarracenorum uim, qui Persarum imperio fracto, rerum in oriente potiti sunt, exponam: ita enim totius orbis terrarum gesta breuißime descripta cognosci poterunt, liberque omni ex parte absolutus in publicum prodibit. Parthi igitur penes quos uelut diuisione orbis cum Romanis facta, orientis imperium erat eo tempore, quo Romani toto occidente potiti, cum ījs de summa rerum decertabant, Scytharum exules fuere. Hoc etiam ipsorum uocabulo manifestatur, nam Scythico sermone

Parthi

Parthi exules dicuntur. Hi Aßyriorum & Medorum temporibus, qui primi Asiae imperio potiti sunt, inter orientales populos obscurißimi fuere. Postea quoque cum imperium orientis a Medis ad Persas traslatum est, ueluti uulgus sine nomine praeda uictorum fuere. Postremo Macedonibus triumphato oriente seruierunt, ut cuiuis mirum uideatur, ad tantă eos felicitatem per uirtutem prouectos, ut imperent gentibus, sub quarum imperio ueluti seruile uulgus fuere. Post mortem Alexandri magni quum inter succeßores eius orientis regna diuiderentur, nullo Macedonum dignante Parthorum imperium Satagenori externo socio traditur. Hi postea seductis Macedonibus in bellum ciuile cum ceteris superioris Asiae populis Eumenem sequuti sunt, quo uicto ad Antigonum transiere, post hunc a Seleuco Nicanore, ac mox ab Antiocho & succeßoribus eius poßeßi, ab Antiochi pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello, C. Atilio Regulo II. L. Manlio Vulsone Longo II. cos. anno urbis conditae D IIII. Cuius defectionis impunitatem illis duorum fratrum regum Seleuci & Antiochi discordia dedit, qui dum sibi inuicem eripere regnum uolunt, persequi defectores omiserunt. Defectionis auctor fuit ARSACES quidam, uir sicut incertae originis, ita uirtutis expertae, hic solitus latrocinijs & rapto uiuere, accepta opinione Seleucum in Asia uictum, solutus regis metu cum praedonum manu Parthos ingreßus, praefectum eorum Andragoram oppreßit, sublatoque eo imperium gentis inuasit. Non magno deinde tempore post Hyrcanorum etiam regnum occupauit, cum Theodoto mille urbium Bactrianorũ rege foedus, ac pacem fecit, Seleucũ regẽ cõtra defectores uenientem proelio uicit, & fugauit. Quem diem Parthi ueluti solemnem & initium libertatis obseruabant. Reuocato in Asiam Seleuco, regnum Parthicum formauit, milites legit, ca-

stella

stella muniuit, ciuitates firmauit, Vrbemque maximam Clarã nomine in monte Thabroteno condidit. Sic Arsaces quaesito simul constitutoque regno, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decessit. Cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncuparent, sicut Romani Caesares, Augustosque principes suos cognominarũt. Huius filius, & successor regni ARSACES & ipse nomine aduersus Antiochum Seleuci filium centum millibus peditum, & XX. millibus equitum instructum mira uirtute pugnauit. Ad postremum in societatẽ eius adsumptus est. Tertius Parthis rex PAMPACIVS fuit ARSACIS & ipse cognomine ornatus, qui quũ XII imperij anno decessisset, duos filios Mithradatem atque Pharnacem reliquit. Quorum maior PHARNACES more gentis heres regni, Mardos ualidam gentem bello domuit. Post quem quintus Parthorũ rex fuit frater MITHRADATES testamento a Pharnace relictus. Hic Medos, & Elimos subegit, imperiumque Parthorum, a monte Caucaso multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit. Post cuius mortem, sextus Parthorũ rex PHRAHARTES eius filius constitutus est. Hic primus regum Parthorum amicitiam Romanam per legatos a L. Sulla Felice pro cos. tum bellum Mithradaticum in Asia gerente, petijt, & impetrauit. Quo in bello cum Scythis gesto occiso ARTABANVS patruus eius rex VII. substitutus est. Cui MITHRADATES filius successit, a rerum gestarum magnitudine Magnus cognominatus. Multa enim bella cum finitimis magna uirtute gessit, multosque populos Parthico regno addidit, sed & quum Scythis aliquoties prospere dimicauit, ultorque parentum iniuriae fuit. Bellum Armenis intulit. Post quod pro

pter

pter crudelitatem a senatu Parthico regno pulsus, frater eius ORODES imperio potitus est. Hic bella cũ Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio, & omni fere Romano exercitu deleuit. Huius filius Pacorus missus ad pers. quendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis in patriam patri suspectus reuocatus, quo absente exercitus Parthorum in Suria relictus à C. Cassio quaestore Crassi cum omnibus ducibus caesus est. Bellis ciuilibus Romanis Parthi Põpeio contra Caesarem, item Bruto & Cassio aduersus Augustum & Antonium auxilia misere. Post belli finem rursum Pacoro duce, & Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, & bello uictus ad Parthos transfugerat Syriam inrupe runt, ac totam occupauere prouinciam. Quos P. Ventidius Bassus Romanus dux proelio commisso ad internicionem usq; Pacoro, & Labieno occisis cecidit, nec ullo bello Parthi maius unquam uulnus acceperunt. Illud cognitu dignum Pacorũ Orodis regis filium, eo potissimum die interfectum fuisse, quo antea Crassus uictus fuerat, ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Non longe post id proelium, quo Parthorũ uires concidere, Orodes rex a filio Phraharte per summum scelus occisus est, regnum eius ui inuasit PHRAHARTES. Huic M. Antonius III. vir propter auxilium aduersus se & Caesarem latum, bellum cum XVI. ualidissimis legionibus intulit, sed grauiter multis proelijs, fame, pestilentia, tempestatibusque uexatus, ex Parthia magna exercitus parte amissa, refugit. Hac uictoria Phrahartes insolentior factus, quum multa crudeliter ageret, in exilium a Parthis pellitur, regnumq; eius Tyridati cuidam traditur. Phrahartes Scytharũ praesidio adiutus, Tyridate fugato regnũ recuperauit. Cui quum Augustus Caesar bello Hispano confecto, metum in iecisset, se bellum Parthis inferre uelle, tunc tota Parthia ca-

ptiui

ptiui ex Craßiano, siue Antonij exercitu collecti, signaq; cum his militaria erepta, Augusto remissa, sed & filij nepotesque Phrahartis obsides Augusto dati, plusque Caesar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius imperator facere potuisset. Post Phrahartem XII. Parthorum rex fuit eius filius PHARHARTES appellatus, post quē ORODES rex fuit. Quo occiso, legati Parthorum in vrbem properant, qui Vononem uetustißimum liberorum Phrahartis ad regnum paternum accirent, quem olim Phrahartes pater Augusto obsidem dederat. Is a Ti. Caesare rerum potiente missus, haud multo post regno ui exactus, Artabanum successorem accepit. Vononi uicto Armenia rege tunc uacua profugiū fuit. ARTABANVS autem regno potitus multas popularium insidias passus est. Quum enim bellum cum Romanis suscepisset, his potißimum adiuuantibus, auctore Vitellio Suriae legato a Tyridate regij Arsacidarum sanguinis bello petitus, regno pulsus est. TYRIDATES XVI. Parthorum rex factus, haud multo post ab Artabano Hyrcanorum & Caramanorū praesidijs adiuto regno mulctatus, in Suriam ad Romanos fugit, Artabanus regnum Parthicum recepit, quod quum Sinnacis proditione iterum perdidisset, tertio etiam paulo post caeso Sinnace recuperauit. Ad extremum multis fortunae procellis exagitatus, cum uxore, & filio a fratre Gotharze interfectus est. GOTHARZES XVIII. Parthicum imperium tenuit. Hunc etiam more gentis fratris Bardanis insidiae fatigauerunt, a quo regno exactus, paulo post, Bardane interfecto restitutus est. Hic cum Meherdate a Claudio imp. ad Parthicum regnum obtinendum misso pugnauit, quem proelio uictum, captumque, auribus praecisis incolumē seruauit. Quo deinde morbo decedente, in regnum accitus est XX. VONONES Medis tum praesidens. Nulla huic prospera aut aduer-

sa fuere, breui & inglorio imperio perfunctus, regnum Parthorum filio VOLOGESI *reliquit, qui rerum gestarum magnitudine in Romanis annalibus notißimus est. Hic enim diuturnum aduersus populum Romanum bellum geßit, & nõ solum par uerum etiam aliquando uictor fuit. Ipse Armeniam Romanis Nerone imperante ademit, duas Romanas legiones sub iugum misit, extremo Romani nominis dedecore. Eius gesta Cornelius Tacitus libris* XIII. XIIII. & XV. *accurate describit. Postremo rerum gestarum gloria illustris iam senex deceßit Vologese filio regni Parthici succeßore relicto. Cuius regis gesta apud omnes annalium memorias interciderunt. Post eum rex Parthorum* XXI. CHOSDROES *fuit. Cui quum Traianus imp. bellum intulisset, Armeniam primũ, deinde Mesopotamiam omnem, & Assyriam ademit: ipsum uero proelio uictum fugauit, atque sine summo regis imperio Parthi aliquot annis fuerunt. Verum Parthis ad defectionem spectantibus, Traianus regem* xxv. *constituit Parthenaspatem, quo pulso Chosdroes auitum recepit imperium. Post quem Vologeses filius regnum Parthicum diu tenuit. Cũ hoc Marcus & L. Verus Romani principes multa bella gessere, eique Assyriam & Armeniam ab Hadriano relictas eripuere. Post Vologesem nouißimus omniũ Arsacidarum Parthorum imperium tenuit* ARTABANVS. *Qui cum Romanis Seuero, Antonino Caracallo, & Macrino imperantibus multa bella uario Marte geßit. Quem postremo Alexandro Romanis imperante Artaxerses Persa triplici proelio uictum, non solum Parthorum regno, sed uita etiam priuauit. Imperijque orientis summam a Parthis iterum ad Persas transtulit, anno a primo Arsace* CCCCLXXIII. *Artaxerses oriẽtis regno potitus, se regem Magnum primus appellauit, duplicique diademate utens, orientis imperium Persis restituit,*

Tunc

Tunc Parthi Persarum, ut paulo ante Persae Parthorum mã cipia fuere. Quare deinceps non amplius in antiquis historicis legimus Romanos cũ Parthis, sed cum Persis bella gessisse

DE. IMPERIO. PERSICO

Persae orientis populi nobilissimi fuere, Cyro & Cambyse regibus celebrati, qui a Macedonibus Alexandro rege orientis imperio deiecti, sub eius successorum primũ, deinde Parthorũ imperio diu fuere. Postremo anno vrbis C ∞LXXVII. Alexandro Romanis imperante, Artaxerses quidam Persa quamquam obscuro loco inter ipsos natus, ingentis tamen animi, & spiritus uir, ueterem Persarum gloriam instauraturus Persarum gentibus ad rebellionem sollicitatis, a magno Parthorum rege Artabano defecit. Artabanum ad seditionem sedandam ingentibus copijs instructum uenientem, triplici proelio uictum regno & uita exuit. Orientisque imperio Persas iterum imposuit. Quibus rerum successibus elatus, subigere uicinos barbaros, qui imperium eius detrectabant incredibili uirtute, & celeritate, ac sibi uectigales facere coepit; omnibus orientis populis qui sub Parthorum imperio quõdam fuerant, in deditionem acceptis, neque iam amplius intra fluuium Tigrim tenere sese, sed superatis ripis ac Romani finibus imperij, excurrere per Mesopotamiam, Syriaeque minitari, omnemque Europae oppositam continentem, quae mari Aegaeo fretoque Propontidis terminatur, Asiaeque nomen habet, ceu ueterem Persarum possessionem sibi uendicare, quod iam inde a Cyro, qui primus imperium a Medis in Persas transtulit, ad Darium usque extremum Persarum regem, a Persarum Satrapis Asia omnis gubernaretur. Quare sui muneris esse curare tunc iactitabat, ut uetus, atque integrum imperium

Persis restituerêtur. Vt igitur Arsaces Parthorum, ita hic Persarum regnum instaurauit. Qui multis rebus bello praeclare gestis, initi regni anno XV. decedens imperium pacatum filio Sapori reliquit. Hic Romanis paene exitialis fuit. Quibus in Mesopotamia ingenti proelio profligatis, & Mesopotamiam eis eripuit, & imperatorem ipsorum Valerianum uiuum cepit. Post Saporem Ormisda annum I. & Vararanes II. annos XVI. & Vararanes III. cognomine Seganesna menses quattuor Persarum imperium tenuere. Post hos annis octo Persarum rex VII. regnauit NARSES, quo à Galerio proelio uicto, Mesopotamia, Armenia, & quinque Transtigrim prouinciae bello receptae sunt. Post Narsem Misdates annis VIII. & Sapores II. annis LXX. in Persis regnarunt. Cum hoc Sapore Constantinus Magnus, Cõstantius, & Iulianus imperatores Romani continua bella gesserunt. Cum hoc reddita Nisibi & Mesopotamiae parte, turpe foedus fecit Iouianus Augustus imperij quam gloriae cupidior. Post longaeuum Saporem, Artaxerses II. annis IIII. Sapor III. annis V. Vararanes IIII. cognomento Cermasat annis undecim, Isdigerdes annis XXI. in Persis regnarunt. Isdigerdem Persarum regem moriens Arcadius imp. tutorem infantis filij Theodosij iunioris testamento reliquit. Post eum XIIII. Persarum rex fuit Vararanes V. qui annis uiginti, item Vararanes VI. qui annis XVII. post Perozes, qui annis uiginti tres, Valẽs deinde, qui annis quattuor, & Cauades Perozis filius, qui annis XLI. regnauit. Hunc Cauadem quum Zambases quidam regno eiecisset, ipseque annos quattuor regnasset, a Cauade regno & uita priuatus est. Cũ Cauade Persarum rege ea bella auspicijs Iustiniani imperatoris gessit Belisarius, quae a Procopio in libris de bello Persico describuntur. Post Cauadem Persarum XX. rex fuit Chosdroes, qui an

no

nos XLVIII. regnauit. Chosdroi successit filius Ormisda, cui anno imperij decimo mortuo, suffectus est filius Cauades iunior. Hic regni initio Vararanis insidijs regno exactus, Tiberij Mauricij Romani imperatoris ope, caeso Tyranno Vararane regnum paternum recuperauit, annisq; XXXIIX. regnauit. Qui quum Mauricij imperatoris amicißimus eßet, eo a Phoca occiso, bellum Romanis intulit, ijsque Syriam omnẽ ademit. Phoca occiso Heraclius contra Persas profectus bello septem annorum eos uicit, Syriam recepit, ueteres imperij limites super Euphratem restituit, Chosdroen captum occidit, dominicae crucis partem, quam Chosdroes Hyerosolymis expugnatis substulerat, reportauit, vnde exaltationis S. Crucis dies festus institutus est. Occiso Chosdroe, & rebus Persicis cõpositis, ex auctoritate Heraclij Persarũ XXIIII rex factus est filius eius Syrrhois, cum quo Romanus imperator pacem & foedus fecit. Extincto intra annum Syrrhoi successit Adesir, qui regnauit mensibus VII. post quem Sarabrasas mensibus II. deinde XXVII. Vararanes mensibus VII. Post quem nouißimus Persarum rex fuit Ormisda, quo anno regni nono, a Sarracenis duce Haomaro regno pulso, regnum Persarum in oriente defecit, anno a primo Artaxerse CCCCXIIII. Christiani uero natalis DCXXXIX Quo tempore rerum oriẽtalium summa penes Sarracenos esse coepit. Quorum Mahometh Arabas primus rex & propheta fuit, secundus Eubocaras, tertius Haomar, quo rege Sarraceni Arabia egreßi, Aegyptum, Syriam omnem usque ad Antiochiam, & Euphratem Romanis primum ademerunt, post bello in Persas conuerso, eos bello Romano attritos, deuicerunt, Persarumque toto oriente celebratum imperium sibi ipsis, religione mutata uẽdicarũt. Quod ad nostra usq; tẽpora insigni rerũ gestarũ gloria adhuc subeorũ rege Psophi poßident

PARTHORVM. REGVM. EPILOGVS

I *Arsaces primus Parthorũ rex, creatus anno vrbis cõditae* DIIII. *regnauit annos* XXXVIII
II *Arsaces* II. *regnauit annos* XXXVI
III *Pampacius Arsaces regnauit annos* XL
IV *Phrahartes Arsaces regnauit annos* XVII
V *Mithradates Arsaces regnauit annos* XXXII
VI *Phrahartes* II. *regnauit annos* XXIIX
VII *Artabanus regnauit annum* I
VIII *Mithradates* II. *regnauit annos* IIII
IX *Orodes regnauit annos* XIIX
X *Phrahartes* III. *regnauit annos* XI
XI *Tyridates regnauit annum* I
Phrahartes III. *iterum regnauit annos* XXX
XII *Phrahartes* IIII. *regnauit annos* II
XIII *Orodes* II. *regnauit annos* II
XIV *Vonones regnauit annos* V
XV *Artabanus regnauit annos* XIX
XVI *Tyridates* II. *regnauit annum* I
Artabanus iterum regnauit annos VIII
XVII *Sinnaces regnauit annum* I
Artabanus tertio regnauit annum I
XIIX *Gotarzes, & Bardanes una regnarunt annum* I
XIX *Bardanes solus regnauit menses* IIII
Gotarzes solus regnauit annos II
XX *Vonones* II. *regnauit annum* I
XXI *Vologeses regnauit annos* XXXIIII
XXII *Vologeses* II. *regnauit annos* XXII
XXIII *Chosdroes regnauit annos* V

XXIV Imp. *Caesar Traianus Augustus regnauit annos* III
XXV *Parthenaspates regnauit annos* IIII
Chosdroes iterum regnauit annos XXXIIII
XXVI *Vologeses* III. *regnauit annos* XL
XXVII *Artabanus* II. *regnauit annos* XXXIIII

REGVM. PERSARVM. EPILOGVS

Anni Christi Artabano ab Artaxerse Persa caeso, Parthorum regnum in oriente finitum est anno vrbis conditae C∞ LXXIIX. Christi uero CCXXVI. Quo anno primus in Persis regnare coepit

226	I	*Artaxerses magnus, qui regnauit annos* XIII *menses* X
240	II	*Sapores regnauit annos* XXXI
272	III	*Ormisda regnauit annum* I. *dies* X
273	IV	*Vararanes regnauit annos* V
278	V	*Vararanes* II. *regnauit annos* XVI
294	VI	*Vararanes* III. *Seganesna regnauit menses* IIII
294	VII	*Narses regnauit annos* VII. *menses* IX
302	VIII	*Misdates regnauit annos* VII. *menses* IX
310	IX	*Sapores* II. *regnauit annos* LXX
380	X	*Artaxerses* II. *regnauit annos* IIII
384	XI	*Sapores* III. *regnauit annos* V
389	XII	*Vararanes* IIII. *Cermasat regnauit annos* XI
400	XIII	*Isdigerdes regnauit annos* XXI
421	XIIII	*Vararanes* V. *regnauit annos* XX
441	XV	*Vararanes* VI. *regnauit annos* XVII. *menses* IIII
458	XVI	*Perozes regnauit annos* XXIII

482	XVII	*Valens regnauit annos* IIII
485	XIIX	*Cauades Perozis F. regnauit annos* XI
497	XIX	*Zambases regnauit annos* IIII
501		*Cauades iterum regnauit annos* XXX
531	XX	*Chosdroes Cauadis filius regnauit an.* XLVIII
579	XXI	*Ormisda* II. *regnauit annos* X
589	XXII	*Chosdroes* II. *regnauit menses* III
589	XXIII	*Vararanes* VII. *regnauit annum* I
590		*Chosdroes* II. *iterũ regnauit annos* XXXVIII
628	XXIV	*Syrrhois regnauit annum* I
629	XXV	*Adesir regnauit menses* VII
629	XXVI	*Sarabarzas regnauit menses* II
630	XXVII	*Vararanes* VIII. *regnauit menses* VII
631	XXIIX	*Ormisda* III. *regnauit annos* IX

Anno Domini DCXXXIX. exacto Persarum rege Ormisda ab Haomaro tertio Sarracenorum Amyra, orientis regnum ad Sarracenos translatum est. Quorum primus fuit Mahometh

REGES. SARRACENORVM ARABVM

Anno Domini DCXXI

621 I *Mahometh Abdallae F. Abdalmutalif nepos Arabs pseudopropheta Sarracenis leges dedit, a quo anni Arabum computantur, Is regnauit annos* XI

632 II *Eubokara Abdallae F. Odmen N. regnauit annos* II. *menses* VI. *dies* XIII

634 III *Haomar Albata F. Alphail N. regnauit annos* XI *menses* VI. *Hic Aegyptum, Suriam, & Mesopotamiã*

sopotamiā cum Armenia Romanis ademit, Persarū regnū excidit, orientisque imperiū ad Sarracenos trāstuit, quorum ipse primus rex fuit

646 IIII Huthman Alpnen filius, Alaci N. regnauit annos X

Post Huthman schisma fuit in Arabum imperio, in Perside enim & Arabia regnauit

656 V Halim filius Abitalif, annos IIII. menses IX

656 VI Moaxias uero Cephan F. regnauit in Aegypto & Suria an XXIIII

660 VII Albatem Halim filius regnauit in Perside menses V. dies XXII

661 Quo mortuo Moaxias omnias obtinuit, quem annum Sarraceni Alema idest congregationis uocant

680 VIII Hirid F. Moaxiae regnauit annos III

683 IX Muthar regnauit annos VI. in Perside

683 X Abdellas regnauit in Aegypto et Arabia ānos II

683 XI Murhuā F. Moaxiae regnauit in Suria mēses IX

684 XII Abimelech F. Murhuam regnauit in Syria anno XXI. menses VI

690 Abimelech solus tyrānis occisis regnauit annos XV. menses VI

705 XIII Vhalid F. Abimelech regnauit annos IX

704 XIV Sulehimam F. Vhalid regnauit annos III

717 XV Ahomar II F. Vhalid regnauit annos III

720 XVI Hirid II. F. Haomari regnauit annos IIII

724 XVII Hisam F. Haomari regnauit annos XVIII

743 XIIX Vhalid II. F. Hisam regnauit annos II

745 XIX Murhuan II. F. Hisam regnauit annos VI

750 XX Mahometh II. Abubalas F. Echin regnauit an. V

755 XXI Abdellas F. Echin regnauit annos XXI
776 XXII Abdellas II. Mahometh Madi F. Abdellae regnauit annos IX
785 XXIII Moses Madi F. regnauit annum I
786 XXIIII Aaron Madi F. regnauit annos XXIII
809 XXV Mahometh III. Aaron filius regnauit an. IIII
813 XXVI Abdellas III. filius Aaron regnauit ann. VII
820 Post Abdellam III. in quattuor tetrarchas imperium Arabum Sarracenorum diuisum est: nam in Perside, Mesopotamia, Suria, & Aegypto quattuor reges per uim creati, eam monarchiam quae annos prope ducentos perdurauerat, conuulserunt. Ex Theophane Isauro, Anastasio Bibliothecario, & Sigeberto excepta

Qua ratione Romanum imperium excisum sit

Dacia prouincia amissa

Romanam potentiam usque ad Traiani principatum semper auctam, eiusque imperij terminos sub ipso principe longißime propagatos fuisse, supra demonstraui. Post quem imperij Romani limites ab Hadriano mutatos, a sequentibus uero Augustis restitututos etiam uidimus. Nec unquam prouincia ulla uel ui, uel sponte amissa, quae non magno etiam cũ foenore recuperata fuerit. Primum omnium sub Gallieno, quem ignauißimum & perditißimum imperatorem Romana respublica passa est, prouinciae non amplius receptae, amissae sunt. Nam eo imperante Dacia transdanubiana a Scythis occupata est, Romanoque imperio erepta, quam quum paene recuperasset qui ei succeßit Aurelianus, desperans teneri posse, omnem Daciam transdanubium, sublato exercitu prouincialibus reliquit, abductosque ex ea populos in Moesia collo-

collocauit, appellauitq; suā Daciam, quae duas Moesias diuideret: ita Vopiscus in Aureliano. Prima autem & secunda Dacia dictae, quod a duobus praesidibus regerentur, qua ratione Moesia, Armenia, Germania, Belgica, Lugdunensis, & omnes fere prouinciae diuisae erant. Vnde Iornandes in annalibus: Aurelianus (inquit) imperator euocatis ex Dacia legionibus, in Moesia collocauit, ibique aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamque ripensem constituit, & Dardaniam iunxit. Et Rufus: Sub Gallieno imperatore Dacia amissa est, & per Aurelianum translatis exinde Romanis, duae Daciae in regionibus Maesiae, & Dardaniae factae sunt

Prouinciae Transtigrim, Nisibis & Mesopotamia amissae

Constantio imperatore Magni Constantini filio mortuo, Iulianus qui ex Caesare Augustus in Gallijs ab exercitu appellatus fuerat, redacta ad se unum orbis terrarum administratione, gloriae nimis cupidus, in Persas expeditionem parauit. Persarum fines Euphrate traiecto ingressus, Assyriam populatus est, multa oppida partim ui, partim deditione cepit, apud Cthesiphontem castra statiua aliquandiu habuit. Hanc adeptus uictoriam, a militibus de reditu admonitus, non obtemperauit, sed exustis nauibus, a transfuga quodam in insidias deductus, quum eum hinc inde Persae urgerent, e castris iam positis arrepto tantum clypeo, inconsultius procurrit. Vbi dum nititur ordines ad proelium componere, ab ignoto hostium equite conto per ilia traiectus est. Inter effusionem nimij sanguinis, quum suorum ordines, quamquam saucius instaurasset, labore & uulnere debilitatus, medio sequentis noctis defecit. Eo mortuo Iouianus primicerius domesticorum genitus patre Varroniano incola agri Singidoniensis, e pro-

uincia Pannonia, qui tunc modestius militabat, ad obtinendũ imperium consensu exercitus, proelio quidem superioris, sed morte imperatoris confusi, electus est, commendatione patris quam sua notior. Quum commeatu deficiente, exercitus inopia laboraret, & uia in reditu prolixior immineret, res omnes turbatae essent, Persaeque crebris excursibus, nũc a fronte, nunc a tergo, mediorumq; latera incursantes, agmina morarentur, consumptis aliquot diebus, & uno atq; altero proelio uictus, tanta reuerentia Romani nominis fuit, ut a Persis iam uictoribus de pace primus sermo haberetur, conditionibus (quod nunquam antea acciderat) Romano imperio duris impositis. Cupidior enim imperij, quam gloriae Iouianus, & imperio adhuc rudis, pacem cum Sapore Persarum rege necessariam quidem, sed ignobilem in XXX. annos fecit, redditis quinque Transtigritanis prouincijs, quas Galerius Persarum uictor fecerat, cum castellis quindecim cis Tigrim, Nisibi & Singara urbibus, & parte Mesopotamiae. Quod ante eum, ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam acciderat. Hanc rem ita tradit Agathius libro IIII. Nisibis ciuitas quae Romanorum fuit, in Persarum ditionem peruenit, Iouiano imperatore eam tradente. Is nanque in ipsis mediterraneis Persarum locis, eorumdem ditionis & iuris Iuliano repente deperdito, per milites imperator mox declaratus est. Et quoniam sibi nuper delatum imperium fuerat, perturbatis, ut par erat, iam rebus, & in hostili praecipue, haud quaquam in praesentia poterat lentius ut decuisset, res ipsas disponere, praesertim abscedere cupidus, ne in aliena mora diutius traheret sed ad sua, imperij aemulum uerens, quam primum rediret, ignominiose & turpiter cum Persis pacem fecit, ijs conditionibus quibus in id tempus iacturam non mediocrem Romana respublica fecit; & nouis quibusdam terminis

nis Romanum retraxit imperium, idque quum porrectius esset, & ultra fuisset antea propagatum stolide nimis intercidit. Hanc eandem rem Rufus, Eutropius, Orosius, Iornandes, & omnium accuratißime Marcellinus libro XXV. qui ei bello interfuerat, referunt. Tunc autem imperij termini ab oriente super Euphratem iterum reformati sunt. Quos ipsos D. Augustinus libro IIII. de ciuitate dei suo tempore fuisse sexaginta paene annis post, scriptum reliquit. Orientalis imperij limites a Iouiano ignominioso foedere statutos, diu permanserunt, non enim ante Phocae imperatoris tempora mutati sunt, quum egregie orientis imperatores Romani imperij Persas uersus fines semper tutati sint. In occidente uero longe diuersam, & acerbiorem fortunam Romanum imperium, quam nunc exponam, passus est

OCCIDENTALIS. IMPERII EXCIDIVM

Saepe exposui praecipuam imperij casus caussam fuisse, nouam illam quam Constantinus imperator fecit imperij constitutionem, qua auctore Zosimo, Rheni, & Danubij ripas XV. legionum praesidio spoliauit, & quod unum firmißimũ ac stabile erat, quum in duo diuisisset infirmum, & imbecille reddidit. Quamuis non inficias eam, imperium ipsum malis institutis in praeceps labens, eorum qui post Theodosium fuerunt imperatorum fatali ignauia, & socordia omnino corruisse, ut non minus in eo perdendo laborasse uideantur, quam ueteres illi duces in eius magnitudine asserenda. Quid enim Romano imperio pernitiosius accidere potuit Honorio, & Valentiniano III. imperatoribus? Sub quorũ principatibus uix quinquaginta annorum interuallo, id concidit & euersum est, in

quo

quo acquirendo, mille fere annorum praestantißimorum ducum labores & uigiliae consumptae erant. Omnium malorũ & ruinae ab eius regionis populis initium ortum est, qui Rheno, & Danubio Romani imperij claustris olim firmißimis cludebantur. Hi fuerunt Getae, id est Gothi in Visegothos, & Ostrogothos distincti, Hunni, Alani, Vandali, Franci, Burgundiones, Heruli, Longobardi, & multi alij, qui regiones frigidas & incultas obtinentes, in eam aliquando excrescebant multitudinem, ut natale solum saepe relinquere coacti, ad nouas querendas sedes flumina Danubium, & Rhenum transierint. Hinc Cimbri, Teutones, Ambrones, Daci, Getae, Scythae quum saepe exijssent, Romanum imperium etiam ante Constãtini tempora acriter uexauerunt. Quorum uim quum Augustus prouidentißimus princeps praesensisset, eam ualidißimis legionibus super amnium ripas collocatis reprimere posse existimauit. Cuius institutis a sequentibus Romanis principibus conseruatis, & auctis, imperium Romanum integrum, atque a barbarorum furore illaesum custoditum est. Verum legionibus a fluminibus tanquam foribus a portis remotis, quũ legionum timore amoto, barbari in Romanas prouincias inruere coepissent, ijs acriter Romani aliquot imperatores restiterunt. Quorum nouißimus Theodosius imperator fuit. Hic barbaros Valentis imperatoris caede, & magna Romano nomini clade illata audaciores factos, ingentibus praelijs obtriuit, atque intra suos terminos coercuit. Quo mortuo quum filios Arcadum & Honorium pueros adhuc tanti imperij successores, tresque his tutores Gildonem, Rufinum, & Stiliconem praestantißimos rei militaris duces reliquisset, haud ita multo post, ob eas quas refferam causas, imperium quod ad ea tempora integrum perductum fuerat, corruere coepit, barbaris non prohibitis solum, sed ultro etiam dolis, & proditio-

ne aut euocatis,aut in Romanas prouincias inruentibus non compreßis

VRBS. ROMA A.GOTHIS.PRIMVM CAPTA

Septentrionalis regio quanto magis ab aestu solis remota est,& magnis frigoribus uexata, tanto salubrior corporibus hominum,& propagandis conseruandisque gentibus est commodior, perinde ac econtra, meridies omnis,quo Solis est feruori propinquior, eo morbis & infirmitatibus est magis obnoxius,& hominibus educandis minus aptior. Hinc factũ est, ut tot gentium manus ijs in regionibus ortae sint,quae Rheno & Danubio fluminibus continentur. Ex quibus multae & innumerabiles gentes saepe egressae, quae non solum Asiam, sed Europam & Africam afflixere, praesertim quum terras asperas, incultas, & infrugiferas colerent, quare ijs saepe necesse erat diuisione facta patrias regiones relinquere, & ad nouas quaerendas sedes commigrare. Hinc hi barbari egreßi,qui Romanum imperium exciderunt. Quorum praecipui fuere antiquis temporibus Scythae, & Getae, recentioribus uero Gothi appellati, quorum qui orientales regiones tenebant Ostrogothi,qui occiduas Visegothi uocati. Praeter eos fuerunt omnium saeuißimi Hunni, Vandali,& Alani,Franci, Burgundiones,Gepidae,Heruli, & Longobardi. Primi omnium Gothi, quos cum alijs barbaris flumina transire ausos Constantinus imperator primum,dein Iulianus Caesar, tũ Valentinianus magnis affecerant cladibus, atque intra suos fines continuerant, sub Valente bellum cum Romanis diu intermissum hanc ob caussam repararunt. Haud multo tempore ante Valentis imperatoris obitum, Gothi trans Istrum constituti,

ti, bello ciuili ob agrorum fines exorto inter se conflictabantur. Eorum parti alterae Fritigernus Arrianae religionis, alteri uero Athanaricus adhuc gentilis praeerant. Quum Athanarici factio praeualuisset, Fritigernus auxilia ab imp. Valente petijt. Valens statim Thraciarum ducibus imperauit, ut Fritigerno contra Athanaricum praesto essent, qui a Romanis cum sua Gothorum factione uictus, his postremo conditionibus ex Imperatoris Valentis auctoritate pacem cum Fritigerno fecit, ut uterque eas regiones obtinerent, ipseque orientalem partem, Fritigernus uero occiduam agrorum, quos trans Istrum habebant poßiderent: hinc Ostrogothorum & Visegothorum, hoc est orientalium & occidentalium Gothorum nomen ortum. Visegothi post haec a bello quieti, pacem cum Romanis habebant. Haud multo post ciuiles Gothorum seditiones sedatas Hunni diu in proprijs, & inacceßis clausi montibus, repentina rabie & furore perciti, palude Meotide egreßi, relicto patrio solo, Gothis bellum intulerunt, in quo Ostrogothis uectigalibus factis, Visegothorum quos aliquot proelijs uicerant, & patrijs sedibus, agrisque eiecerant, trãs danubianas regiones sibi ipsis uendicauere. Visegothi natali solo ab Hunnis pulsi, Danubio traiecto, a Valente sine ulla foederis pactione, & armorum depositione intra imperij Romani limites suscepti sunt. Qui eis Thraciae partem ad habitandum conceßit, arbitratus se eorum opera in reliquis barbaris oppugnandis usurum. Gothi per auaritiam Maximi Thraciarum ducis, fame ad rebellandum coacti, Thraciae finibus non contenti, ut erant animo & moribus inmites uicinas sibi regiones, & urbes populari coeperunt, qui a Valente admoniti, quum nec a rapinis quiescere uellent, nec de his quae contra imperatorem geßerant, satis facere, bellum ijs Valens indixit. Superatis autem prima congreßione Romanis, Gothi per om-

nem Thraciam diffusi sunt. Imp. Valens exercitu, aduersus eos educto, lacrimabile in Thracia bellum gessit, in quo ad primum Gothorum impetum perturbatis Romanorum equitiũ alis, Romanae legiones equitum praesidio denudatae, & a Gothis cinctae, usque ad internicionem caesae sunt. Valens imp. quum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium saepe equo laberetur, ad cuiusdam uillulae casam deportatus est, Vbi superueniẽtibus Gothis, domo incẽsa, uiuus quoq; crematus est anno imperij XIIII. uitae L. Contigit haec clades, qua nulla post Cannensem Romano nomini exitiabilior fuit VI. Idus Augusti, anno Christi CCCLXXVIII. Valẽte VI. & Valentiniano iuniore II. Augg. coss. Occiso Valente Theodosius dux rei militaris peritissimus a Gratiano occidentali imperatore Augustus appellatus, atque orientali imperio praepositus est. Gothi interim Valentis caede superbiores facti, omnem Thraciam igni, ferroque uastarunt, Cõstantinopolim aggressi, eam aliquot mensibus obsederunt. Hunni quoq;, qui Visegothos expulerant, & cum ijs Ostrogothi, & Alani audita Romanorum clade, traiecto Istro Pannoniam, Moesiam, & Daciam deuastabant. Theodosius imperio orientali suscepto, summa felicitate, multis atque ingentibus proelijs Gothos uicit, & e Thracia eiecit. Alanos, & Hunnos bello aggressus fregit, eisque trans Istrum effugatis, Romanas prouincias omnes liberauit. Postremo ne paruam Romani exercitus manum assiduis bellis consumeret, pacem cum Athanarico rege Visegothorum fecit, eumque Constantinopolim euocauit, ubi quum XV. die postquã aduenerat obijsset, Gothorũ uniuersa gens rege defuncto, Theodosio ipsi, Romanoque imperio se dediderunt, quorum opera duobus asperrimis bellis ciuilibus Maximi, & Eugenij, item in multis externis usus est. Theodosio mortuo, cuius metu omnes barbarae nationes intra

tra suos quaeque fines quieuerant, Visegothi, qui quindecim fe re annis sine rege Romanis seruierant, puerorum imperatorum aetatem negligentes, contra foedus regem sibi elegerunt Halaricum, qui strẽnue sub Theodosio inter Gothos militauerat. Iniuriam imperio factam dissimulare coactus est imp. Honorius, nam Hunni & Alani audita Theodosij morte, Istro iterum traiecto Pannoniam, Moesiam, & finitimas regiones occupauerant. Pace enim cum Halarico rege facta, magister militiae ab imperatore creatus est, atq; contra Hunnos missus. Quibus a Gothis intra Pannoniae fines compulsis, quum in Italiam uictor reuersus esset, sedes sibi, agrosque ab imperatore petijt, tot pro Romani imperij dignitate tuenda laborum praemium. Honorius timore Gothorum perterritus, Gallias his concessit, quas paulo ante Vandali, Sueui & Alani clam a Stilicone inuitati, occupauerant. Qui quum in Gallias ire pergerẽt, & ad portanda itineris necessaria apud Pollentiam resedissẽt, Stilico in perniciem Romani nominis Gothis nihil suspicantibus, die sancto Paschali bellum intulit, non ut extingueret, quod in manu eius erat, sed ut lacesseret. Quibus tumultuantibus rerum nouandarum materiam haberet. Sed antequam coepta perficeret, Honorij iussu, quum eius insidias cognouisset, occisus est. Gothi uero Stiliconis perfidia exagitati, coeptum in Gallias iter deserentes, Romam citato gressu contendunt, urbem IX. Kal. Septembris capiunt, incendunt, & populantur, Varrone & Tertullo cos. Anno Christi CDXI. imperatorem per ludibrium Atallum quendam senatorẽ creant. Vrbe egressi Campaniam, Lucanos, Bruttios, & magnam Graeciam ferro, incendijs, & rapinis acerbe uexarunt. Mortuo uero apud Consentiam Halarico, Athaulphus rex in eius locum constitutus, in urbem reuersus, quae superfuerant locustarum more Gothi abradunt, Gallam Placidiam sororem

imp.

imp. Honorij urbe abductam Athaulphus uxorem duxit. Atque in Gallias Halarico olim destinatas ab Honorio sedes profectus est. Quae uero bella in Gallijs primum deinde in Hispanijs Visegothi contra Vandalos, & Alanos gesserint, & quomodo postremo Franci, & Burgundiones Gallias, Visegothi Hispanias, Vandali Africam, & Ostrogothi Italiam occupauerint, paulo post exponam

PANNONIA. NORICVM. RHETIA. MOESIA THRACIARVM. ET. ILLVRICI. PARS AB. HVNNIS. OCCVPATAE

Theodosio imp. mortuo, eiusque uirtutis metu amoto, Romanum imperium undique partim ui, partim ducum Romanorum perfidia uexatum, & attritum est. Tunc enim gens omnium saeuißima Hunnorum, quam Theodosius per Pannoniã se diffundentem deuicerat, et transdanubium eiecerat, iterũ Istro traiecto Pannoniam omnem, Daciam, Moesiam, Noricum, Rhetias, Illyrici & Thraciae partem sub eius rege Balamber occupauit, quas prouincias diu ante a Caesare Augusto Romano imperio adiunctas, quum eas Hunni inuasissent diu posséderunt. Huius gentis reges fuerunt Supthar, Rufila, Bleda, & gentium orbisque flagellum Atila, qui Romano imperio sub Valentiniano tertio ingentes intulit calamitates, vrbes excidit, prouincias deuastauit, & omnia igni ferroque consumpsit, Thracias & Illyricum saeuißima populatione uexauit, omnia praeter Perinthum & Hadrianopolim cepit. Macedoniam post haec, Moesiam, Achaiam, Graeciam omnem populatus est. Non contentus his prouincijs quas maiores sui Romano imperio eripuerant, fortißimarum gentium quas debellauerat praesidio fretus, animum ad occupandum totum occidentis imperium intendit. In Gallias primo transgressus

gressus memorabili proelio in campis Catalaunicis ab Aetio patricio adiuuantibus Merouco Francorum, & Theoderico Visegothorum regibus uictus, in Pannoniam reddere coactus est, reparatis uiribus, quum expeditionem in Italiam edixisset, & Aquileia capta, & diruta, Venetiam omnem deuastasset, dum ultra progredi pararet, obuium habuit Leonem papã pro pace a Valentiniano imperatore missum, cuius precibus exoratus, relicta Italia in Pannoniam reuersus est. Vbi dum iterum in Italiam redire pararet, morte repentina decessit. Post cuius obitum Hunnorum imperium, quod toti orbi formidabile erat, paulatim labefactari cepit, quum Ostrogothi, Gepidae, Heruli, Marcomani, Toringi, Sueui, Quadi, Rugi, et Septentrionales alij populi ab eo defecissent. Quibus rerũ tumultibus Hunni ab Ostrogothis uicti, Pannonia & finitimis regionibus, quas Romanis antiquitus ereptas longo tempore tenuerant eiecti sunt, & in Scythiam fugati. Pannoniam & Hunnorum regiones Ostrogothi primum, mox Longobardi, deinde Hunni a Lõgobardis uocati, iterũ usq; ad Caroli magni tempora tenuerunt: quibus, quum ab Vngaris Septentrionalibus populis bello petiti essent, omnes fere ad nihilum redacti sunt, Pannoniaque & antiquae Hunnorum sedes ab Vngaris sunt occupatae. Qui rege sibi creato ad nostra usque tempora Pannoniam possedere, in quibus a Turcis eius maiori parte spoliati sunt

GALLIAE. AMISSAE

Theodosio imperatore uita functo, a quo tempore imperij Romani exitium inchoatũ, ueluti rapidissimo torrente in praeceps tractum est, quum eius filij adhuc pueri essent, barbari a Theodosio domiti undique lacescerent, dissentiones ciuiles de

repente ad omnium miseriarum cumulum exortae sunt. Certamen enim inter tres tutores de rerum administratione ortum, eò tandem processit, ut Gildoni & Rufino proditionis, & secretorum cum barbaris foederum, quae contra imperium inierant, reis occisis, solus superfuerit omnium pessimus, & callidissimus, Romanique imperij exitio natus Stilico. Qui contra affinitatis & amicitiae ius (erat enim Honorij imp. socer) quum Honorio genero insidias astruere, filioque suo imperium parare studeret, Romanis copijs & fidei diffidens, Hunnos ante omnes, Vandalos, Sueuos, Alanos, Burgundiones, et alios immanes barbaros, in Romanas prouincias clam euocauit, euocatos fouit, & quum eos delere posset, conseruauit; quorum beneficio, & praesidio, Honorio occiso, imperium filio compararet. Ipse post Theodosij mortem Hunnos in Pannoniam euocauit, ipse Gothis rebellare, & ut Halaricū regem crearent persuasit, eum saepe conclusum incolumen dimisit, illum ut contra Honorium insurgeret impulit, & postea nihil tale suspicantem, quum ad Gallias ab Honorio sibi destinatas pergeret, ultro lacessiuit, unde irati barbari Romam populati sunt. Ipse Rhadagaisum Scytham cū ducentis millibus hominū in Italiam acciuit, qui postea in montibus Fesulanis conclusus, uictus & occisus est. Ipse postremo Vandalos, Sueuos, Alanos, & Burgundiones immanissimos barbaros, ut Gallias inuaderent clam sollicitauit. Qui cum ingenti multitudine Arcadio VI. & Probo coss. anno Christi CCCCVI. Rheno traiecto prid. Kal. Ianuarias Gallias Crosco duce ingressi essent, omnia ferro, flammis, ui, & rapinis subuerterunt, episcopos plurimos, & alios sacerdotes occiderunt, & nihil relictum est, quod non impietate defoedarint. Dum haec in Gallijs geruntur, Halarichus Gothorum rex ab expeditione Hunnica reuersus Gallias Vandalorum furori expositas, ab imperatore

N n Honorio,

Honorio obtinuit, uerum iniurijs Stiliconis laceßitus, Galliarū expeditione omissa, Italiam omnem urbe capta uastauit. Huius successor Athaulphus Gallicanam militiam aggressus, Vandalos, & Sueuos magnis proelijs uictos, ex Gallijs eiecit. Qui in Hispaniam migrantes, eam omnem obtinuerunt. Post Athaulphum Visegothorum rex in Gallijs fuit Sigericus, post quem Vallia, hic pace cum Honorio imperatore facta, Galliam omnem Romanis restituit, Aquitania tantum, in qua Gothi habitarent obtenta. Rebus Galliarum ita cōpositis, haud multo post Hunni Atila rege, qui occidentis imperium affectabat, Gallias hostiliter ingreßi, omnia deuastabant. Galliarum praesidio Aetius missus adiuuante Theoderico Visegothorum, & Merouco Francorum regibus, Atilam memorabili proelio in campis Catalaunicis uicit, atque eo fugato Gallias omnes liberauit. Non longe post Aetius patricius, cuius uirtute occidentis imperium hactenus conseruatum fuerat, a Valentiniano imperatore occisus est, cum cuius morte etiam imperium concidit. Nam eius caede cognita, barbari qui eius uirtutem ueriti, intra suos fines quieuerant, undique excitari coeperunt. Siquidem Hunni reparatis uiribus Italiam inuaserunt, Franci & Burgundiones Gallias, quae Rhenum uersus sunt, Gothi eas Galliarum partes, quae Aquitaniae propinquae erant occuparunt, atque ita Romanorum breui in Gallijs defecit imperium. Mortuo Valentiniano, quum Romani imperij dignitas, ita defecisset, ut omnia in barbarorum potestate iam essent, Gothi & Frāci cum Burgundionibus bello inter se decertare coeperunt. Gothi a Francis ex Gallia exacti Hispanias occuparunt. Vandali qui a Gothis ex Hispania eiecti in Africam trāsierant, Carthagine capta, Africam Romanis eripuere. Franci & Burgundiones Gallias in deditionem redactas diuiserūt, ut Burgundiones propinquas Rheno regiones tenerent, Fran

ci

ci uero interiorem Galliam, quam barbarorum nouißimi ad nostra usque tempora poßident. Obtinuerunt uero Gallias omnes pacifice Franci sub eorum regibus Childerico, & Clodoueo, circa annum Christi CDLXXX

HISPANIAE. A. VANDALIS. SVEVIS. ET GOTHIS. OCCVPATAE

Vandali, Sueui, & Alani a Stilicone in Gallias euocati, Rheno traiecto, eas paene omnes occuparunt; in quibus dum more immaniũ barbarorum debacharentur a Gothis Ataulpho, & Vallia regibus ab Honorio imperatore ad liberandas Gallias mißis, Gallijs exacti transito Piraeneo, Honorio VIII. & Theodosio III. Augg. cos. anno Christi CDX. Hispaniam Romanis ereptam multis annis obtinuerunt. Quum Gothi, qui Galliam incolebant a Francis bello urgerentur, Gothi in Vandalos uersa uice bellum mouent, Franci Gothos ex Gallijs, Gothi Vandalos, & Alanos ex Hispania eiecerũt. Sueuos uero ad internicionem cecidere. Quo tempore Vandali, & Alani a Bonifacio, qui pro imperatore Africae praeerat in Africam euocati, Hispanias Gothis poßidendas reliquerunt, Gothi Hispaniam Romanis praesidijs omnino expulsis, quum sui iuris fecissent, ea sub ipsorum regibus longo tempore potiti sunt. A Sarracenis Arabibus, qui Africam occupauerant, ingenti bello profligati, rege Roderico occiso, Hispaniam fere omnem, quam Arabes occuparunt, amiserũt. Gothi, qui bello superfuerant, quum in Asturum, Cantabrorum, & Gallaecorum montibus se se muniyssent, paulatim amissas regiones, urbes, & castella recuperare coeperunt, & postremo quum Sarracenorum res in Baetica Hispania se contraxißent, omnemque Hispaniam Gothi recuperassent, ijs etiam

tiam à Catholico Ferdinando rege uictis, atque omni Hispania expulsis, uniuersa regio antiquis dominis est restituta

AFRICA. A. VANDALIS OCCVPATA

Valentiniano imperante, Africam Bonifacius pro Romano imperatore obtinebat, qui inimicorum calumnijs apud imperatorem exagitatus, quum eius iram uereretur, uitaeque suae partim aperta ui, partim proditione insidiari cognouisset, Vandalos, & Alanos, qui tunc in Hispanijs cum Gothis bello decertabāt, uno aut altero proelio uictos, ex Hispanijs in Africam uocauit, ut eam prouinciam pacifice, & sine repugnantia obtinerent. Barbari a Bonifacio inuitati sub eorum regibus Gunthárico, & Genserico mediterraneo freto traiecto, Hierio, & Ardaburio coss. anno Christi CDXXVII. Africae pratem primum, cum imperatoris consensu, deinde Carthagine capta, omnem inuaserunt, atque Romano imperio eripuere. Africae occupatione non contenti piraticam in mari exercentes, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, & Italiam ipsam latrocinijs & praedis uexarunt, urbemque ipsam captam omnibus ornamentis, quae XIIII. dierum interuallo auferre potuerunt, expoliauere. Africam Vandali annos plus minus LXXVII. obtinuerunt, usque ad Iustiniani imperatoris tempora, a quo quum Vandalis bellum illatum esset, capto rege eorum Gilimere, & Vandalis ad internicionem caesis, Africa omnis imperio orientali restituta est, fuitque Africa sub imperatorum orientis iure, usque ad Leontii imperium, quo tempore ab Arabibus Sarracenis Romano imperio erepta, ab eis ad nostra usque tempora in plures regulos distincta possessa est

BRI-

BRITANNIA. AMISSA

Post Theodosij imperatoris mortem, quum occidens omnis bellis barbaricis quateretur, multi in Britannia ex Romana ipsa militia tyrannidem arripuerunt, atque bellis potius intestinis, quam externis insula conflictata est, usque ad Aetij obitum, cuius praesidio Romano imperio adhuc conseruata fuerat. Eo occiso, quum occidentis imperium a uarijs barbarorũ gentibus hinc inde uexatũ esset, cõmunium malorum Britanni expertes esse non potuerunt. Nam ipsa Romana prouincia, quae in ea insula erat a Pictis, Scotis, Anglis, et Saxonibus populis, qui littora Germanici Oceani incolebant, occupata est ipsius Valentiniani imperatoris principatu. Fuitque primo sub quattuor uel quinque regibus Britannia, quot enim gentes fuerunt, quae eam diripuere, tot etiam reges erant. Processu temporis in duo redacta est regna insula omnis. Nam is qui antiquae Romanorum prouinciae praeest Anglorum rex, qui antiquis barbaris Scotorum appellatur

ITALIA. A. BARBARIS. GOTHIS OCCVPATA

Valentiniano imperatore occiso, quum Alani, & Vandali Africam; Visegothi Hispaniam; Franci, & Burgundiones Gallias; Hunni reliquas occidentalis imperij prouincias obtinerent, sola in Romanorũ principum potestate reliqua erat Italia. In qua, in rerum confusione, & tumultu intra XX. annorũ interuallum, decem imperatores fuerunt, uarijs & ipsi bellis, & seditionibus a barbaris conflictati, & occisi. Quo tempore Hunnorum & Atilae uniuersae Italiae rabie imminente,

Romani Scythas, Alanos, & Gothicas quasdam nationes in Italiam sui praesidio euocatas, in societatem adsciuerant. Vnde ab Halarico, Antalaque Gothorum tunc ducibus ingentia sunt mala perpeßi, barbarorum praesertim florentibus in Italia rebus. Nam Romanorum adeo principum ea tempestate defecerat dignitas, ut sub decente societatis, & foederis nomine, a peregrinis & barbaris uim paßi, ita uiolarentur, ut impudenter ac nefarie ad pleraque cogerentur inuiti, & non obtemperantes a barbaris necarentur, quum illi aequum iam ducerent omnibus Italiae agris, ut sibi concederetur, quorum tertiam antea partem Augustuli tunc imperãtis patrem Orestem iusserant impertiri. Nam Valentiniano imperatore occiso Maximus, Auitus, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glicerius, Nepos, & post hunc Augustus occidentis imperium tenuere. Augustum Romani idcirco Augustulum uocabant, quia puer admodum imperium susceperat, quod utiq; Orestes pater, uir quidem sapientißimus gubernabat. Quum Orestes tertiae agrorum partis, quam Gothi poscebant concessionem se facturum esse omnino negasset, a Gothis interfectus est. Quo tempore Odouacer quidam natione Herulus, inter Italicos milites Orestis quondam armiger erat, qui Gothis omnia pro eorum arbitrio se executurum obtulit, si Romanorum principem se constituerent. Hac ratione quum sibi tyrannidem comparasset, Augustulo ipso imperatore sine offensione alia ulla permisso, in priuati hominis morem uitam ut duceret, ac tertia Italici agri parte barbaris contributa, ad decimum annum tyrannidem stabiliuit.

Per idem tẽpus Ostrogothi, qui paulo ante post Atilae mortẽ cui seruierant, Istro traiecto imperatoris permissu Thraciã incolebant, aduersus Romanos orientales Theoderico duce, uiro tunc quidem Zenonis Byzantij imperantis beneficio patri-

tricio & consulari, arma substulerant. Imperator Zeno qui optime disponere praesentia percallebat, Theodericum potius ut Italiam peteret monet, & Odouacre tyranno eiecto, Italiae principatum sibi Ostrogothisque pararet; illi id longe plurimum conducturum affirmans, praestanti ac senatorio uiro, ut Tyranno deuicto, Romanis & Italicis ceteris imperitaret, quam secum ut imperatore inconsideratius uelit armis decernere, ac tantum inire dubiae belli fortunae discrimen. Theodericus imperatoris persuasione, & consilio delectatus, e Thracia Italiam uersus iter cum uniuerso Ostrogothorum populo suscepit. Quum in Italiam uenisset, Odouacrem triplici proelio uictum, postremo interfecit. Tum omnibus sibi conciliatis, Gothorum solus & Italicorum imperium tenuit, Romani tamen imperatoris nec insignia quidem, nec nomen sibi desumpsit, sed quoad uixit rex appellatus est. Qui quũ XXXIIII. armis regnasset, uitam finiuit, Athalarico nepote regni Italici herede relicto. Quo mortuo res Gothorum in Italia ad Theodahatum redacta est. Qui regno potitus Amalasuntham Theoderici filiam a qua rex factus fuerat, interfecit. Cum hoc bellum suscepit Iustinianus Augustus, quod Gothicum Italicum uocatum est, annis XIIX. continuatum, a Belisario, & Narse praestantissimis ducibus gestum. Bello confecto, & Gothis Italia omni exactis, ipsa cum insulis Sicilia, Sardinia, & Corsica, imperio orientali attributa est, atque in uictoriae praemium Narsi ab imperatore administranda concessa. Qui Romanorum procerum inuidia exagitatus, a quibus apud Iustinum imp. accusatus fuerat, quum ex Italia reuocatus esset, contumelijs Sophiae Augustae irritatus, Longobardos qui tunc cum Hunnis Pannoniam incolebant, quorum praecipue auxilio Gothos Italia expulerat, in Italiam euocauit, & non longe post mortuus est. Longobar

di Italiam ingreßi, eā fere omnem occuparunt, Graeci imperatoris praesidijs pulsis. Vrbs sola supererat Roma in deditionē a Longobardis redigenda, quo toti Italiae imperitarēt, quam quum acriter urgerent, nec ab orientis imperatoribus praesidium aliquod speraretur, Romani pontifices ad Francorum longe lateque per totam Europam patentes opes confugere, qui Carolo Magno rege Italiam ingreßi, Longobardis proelio uictis, & eorum rege Desiderio capto, Longobardorum regnum exciderunt, quo tempore Italia fere omnis in Francorū ditionem peruenit. Quae uero post ea tempora Italiae conditio fuerit, ex meo de comitijs imperij libro cognosci poterit. Sicilia, Sardinia, et Corsica insulae, quae adhuc in oriētalis imperatoris ditione permāserant, haud multo post a Saracenis totum orbem uexantibus, Africa omni ab ijs in potestatem redacta, occupatae sunt. Siciliam ex eorum manu Nortmanni; Sardiniam, & Corsicam Hispani eripuerunt. Quae omnia ex multis nostrorum temporum historijs facile intelligi possunt. Atque hoc est totius occidentalis imperij excidium: nunc idem de orientali demonstrare conabor

ORIENTIS. IMPERII. CASVS

Mesopotamia, Armenia, Syria, & Aegyptus amissae

Res Romana in oriente usque ad Tiberij Mauricij imperiū incolumis māsit. Is quum Chosdroen Persarum regē seditionibus intestinis regno exactum restituisset, firmißimam cum Persis pacem fecit. Mauricio a Phoca occiso, Persarum rex eius caedem ulturus, fracto foedere in Romanas prouincias excursiones fecit, Euphrateque transgresso Mesopotamiae reliquum, Armeniam minorem, & Suriam Romanis ademit. Interim occiso tyranno Phoca, quum Heraclius qui ei succes

serat

ferat bellum aduersus Persas suscepisset, illis multis proelijs bello septem annorum uictis, Romanas omnes prouincias, quas Persae inuaserāt, recepit. Persarum fines ingressus multa oppida & vrbes occupauit, Persas omnino attriuit, regeq; Chosdroe interfecto, filio eius Adhesir regnum sub certis conditionibus concessit. Hoc bello ita Romanorum & Persarū uires attritae sunt, ut utriusque imperij ruina haud longe post sequuta sit. Nā statim pace inter Romanos & Persas facta, Sarraceni Arabiae populi duce Mahometh pesudopropheta, quum tumultuari coepissent, quicquid Romani in Arabia possidebant, eis ademerunt, Bostraque colonia deuastata, in Syriā & Aegyptum praedas agere, & finitimas regiones quae Romanis parebant uexare coeperunt. Post Mahometh Eubocharas qui ei successit, breuitate imperij haud multa egisse memoratur, in ipso belli initio quod Romanis inferre parauerat, occisus est. Tertius Arabum princeps Haomar fuit, qui bellum ab Eubokara comparatum suscipiens, cum infinita Arabum multitudine Aegyptum primo intrauit, quam Alexandria capta Romanis ademit, mox Syriam omnem, & Palestinam peruagatus Hierosolymis, Damasco, & magna Antiochia in potestatem redactis, Romanis aliquot proelijs fusis, omnes Romanas prouincias in deditionem accepit, quae ab Aegypto, & Nili ostijs, ad Antiochiam usque Syriae, proximamque Ciliciam terminantur: in his Palestina, & Phoenices fuere. In interioribus uero regionibus ad Euphratem usque, ut Armeniā, Mesopotamiam, ceteraque omnia si quae tunc eò Romani possidebant, Edessa metropoli capta, ui eis eripuit, quum Romanorum uires recentissimo Persico bello attenuatae, Sarracenorum potentiae impares essent. Romano imperio ita aliquot prouincijs truncato, Sarraceni bellum Persis intulerūt, quorum tunc rex erat Ormisda, quo ab his aliquot proelijs uicto,

uicto, Persarum omne imperium occupauere, orientemq; omnem quem Assyrij primum, deinde Medi, post Persae, ad haec Macedones, mox Parthi, iterũ Persae occupauerãt, nouißime his impio mulctatis Sarraceni duce Haomaro obtinuerũt. Memorabilis admodum apud Arabes Haomar fuit, ab ijs non minus celebratus, quam a Romanis Caesar, a Macedonibus Alexander, & a Persis Cyrus. Tanti enim imperij conditor fuit, infinitas gentes bello domuit, duo potentißima imperia lacesciuit, alterũ ex ijs funditus excidit, alterum magna imperij parte priuauit, quae omnia hoc uno magis admirabilia redduntur, quod intra sex annorum spatium, tot tantaque gessit, quae cuiusuis praeterea praestantißimi ducũ uitam omnẽ fatigare potuissent. Aegyptus autem & Suria a Sarracenis occupatae sunt Annis Christi DCXXXV. DCXXXVI. & DCXXXIIX. Heraclio Romanis imperante. Imperiũ orientis penes Sarracenos annos paene CCCCXX. fuit. Nã circa annum Christi ∞ LXX. a Turcis bello uicti, his conditionibus ipsis imperij summam reliquerunt, ut Mahomet sectam relicta idolatria susciperent, Sarracenorumque sacris initiarentur; quod a gente barbara & dominandi auidißima haud difficulter impetratum est. Atque ita quum Turcae Sarracenorum superstitionem suscepissent, eis cedentibus Orientis imperium ad se postremo transtulerunt

CYPRVS. RHODVS. ET. CRETA INSVLAE. A. SARRACENIS OCCVPATAE

Post Haomarum dux Arabum fuit Othmen, quo rege Sarraceni Africae Cyreneicae partem, quae Aegypto contermina est inuasere, mox ingenti classe comparata, duce Mahuia Cyprum

prum insulam Romanis ademerūt Anno Christi DCXLIIX Ab ijsdem haud multo tempore post Creta, & Rhodus occupatae. Ex quibus Cyprum ab imperatoribus Graecis recuperatam Reges Hierosolymorum Latini a Salhadino Palaestina pulsi, sub regni nomine eam multis annis tenuerūt, donec mortuo sine mascula prole nouissimo eorum rege, insula venetis cessit. Cretam item a Basilio Graeco imperatore receptā, Veneti sorte obtinuerunt, quū ipsi cū Francis orientis imperium Comnenis imperatoribus exactis, sibi uendicauere. Rhodum milites Hospitalarij ceperunt, multisque annis summa cū rerum gestarum gloria, & felicitate obtenuerant. Qui quū Turcis infinita inferrent damna, a Solimano Turcarum imp. bello cum ingēti apparatu petiti, proditione magis quam ui, imperio insulae exacti sunt, eaque a Turcis hactenus possidetur

ASIA. MINOR. AMISSA

Post Suriae, Phoenicis, Palaestinae, Aegypti, Mesopotamiae, & Armeniae amissionem, Sarraceni proximae Ciliciae, Cappadociae, & reliquis minoris Asiae prouincijs inhiare coeperunt. Quamquam autem varijs bellis multae Graecorum ciuitates eorum prouincijs finitimae amissae, multae etiā recuperatae, Arabum tamen uis superior semper uisa est. Hi paulatim serpendo, latiusque eorum uirus diffundendo, sensim Cappadociam, Ciliciam, & Galatiam Graecis imperatoribus longo tempore ademerunt. Eorum uero uis in dies semper aucta est, donec imperium orientis penes Arabes Sarracenos fuit. Quibus a Turcis bello superatis, & in seruitutem redactis, ut ad noua imperia fere semper usu uenit, quae qui obtinent, initio sibi famam, & gloriam comparare student, Turcae sub eorum primo rege Selduch bellum Graecis intulerunt.

Constan-

Constantinopoli tum imperium obtenebat Romanus cognomine Diogenes. Qui ingenti comparato exercitu in Asia Turcis occurrit. Proelio commisso Graecorum exercitus a Turcis ad internicionem fere caesus est, Imperator captus, & tunc Asia omnis, idest Pontus, & Bithynia, Phrygia, Lydia Caria, Lycia, Pamphilia, Lycaonia, Pisidia, & reliquae omnes transmarinae prouinciae, quae sub Graecorum imperio adhuc reliquae fuerant a Turcis occupatae. Contigit Christiano nomini funestißima clades VIII. Kal. Octobris, anno Christi ∞ LXXXI. Asiae maiorem partem a Turcis possessam, aliquot annis post sacra militia, quae toto occidente collecta in Palestinam profecta est, recuperauit, eamque ex foedere usque ad Antiochiam Syriae Constantinopolitano imperatori restituit, circa Annum Christi ∞ C. Quam Graecis iterum Turcae sub Othomano, Orcane, Amurate, Paizete, Mahomete, & ceteris Othomanicae gentis regibus cũ omni imperio orientis eripuerunt

RELIQVAE. EVROPAE. PROVINCIAE DEPERDITAE

Istriam, Dalmatiam, Illyricum, & Epeirum, quae mari alluuntur Veneti Graecis imperatoribus paulatim, harum uero regionum partem Venetis Turcae postea ademerunt. Ipsarum autem regionum mediterranea uersus Drauum & Sauum, Istrumque flumina Hunni primum, mox receptas Hungari inuaserunt, Moesiam & Thraciae partem Pannoniam uersus Bulgari, et Turcae sub imperatoribus Comnenis occupauere. Macedonia, Achaia, Graecia, & reliqua Thraciae pars in qua Constantinopolis sita est, cum orientis imperio concidere, quam quam eas prouincias & saepe amiserint, &

saepe

ſaepe etiam Graeci imperatores recupauerint. Orientis imperium quod a magno Conſtantino Auguſto fundatum, inſigni rerum geſtarum gloria mille & amplius annos perdurauerat, Conſtantinopoli IIII. Kal. Iunij, anni ∞ CCCLIII. capta, occiſo Conſtantino XV. Palaeologo imperatore Mahometes Turcarum rex ui occupauit. Hic praeter Conſtantinopolim, Trapezuntem in Ponto cepit. XII. regna Chriſtianis ademit, CC. vrbes occupauit, Chalcim armis, Scodram deditione Venetis abſtulit, bello maritimo Capham expugnauit, Italiae Hidrunte capta arma intulit, Peloponneſum & alias orientalis imperij in Europa prouincias obtinuit, & ſi quid ueteris illius Romani imperij reliquum fuerat, omnino extinxit. Cuius ueſtigia ſucceſſores eius Baiazetes, Selymus, & Solimanus ſequuti, maximas Chriſtianis clades intulerunt. Ita igitur quanta maxime breuitate potui imperij Romani excidiū, prouinciarumque omnium amiſsionem ſingillatim expoſui, quae omnia quo facilius memoriter mandentur, breuem omnium quae dixi epilogum ſuggeram

IMPERII. ROMANI. PROVINCIAE QVOQVE. TEMPORE. AMISSAE

Italia ab Oſtrogothis occupata, ijs exactis a Longobardis primum, deinde a Francis ſub rege Carolo magno

Sicilia, Sardinia, & Corſica ab Oſtrogothis; ab imp. orietalibus receptae, a Sarracenis obtentae. Quibus Siciliam Nortmanni

Corſicam & & Sardiniam Hiſpani eripuerunt

Britanniam Scoti, Picti, Angli & Saxones inuaſere

Hiſpaniam Vandali & Alani, ijs pulſis Viſegothi primum, deinde Sarraceni, mox Sarracenis exactis, iterum Viſegothi

thi obtinuerunt

Gallias Vandali, & Alani primum; ijs eiectis Visegothi, post quos Franci, & Burgundiones

Dacia Transdanubium ab Aureliano imperatore relicta fuit

Pannonia, Moesia, Noricum, & Rhetia ab Hunnis, Ostrogothis, Longobardis, & Hungaris occupatae

Illyricum, et Dalmatia ab Hunnis, receptae ab imp. post a Venetis, Hungaris, & Turcis

Thracia a Gothis, Hunnis, Bulgaribus, & Turcis

Macedonia, Graecia, & cet. a Turcis cum imperij excidio

Africa ab Alanis, & Vandalis, recuperatae ab imperatore, a Sarracenis occupata

Insula Cyprus a Sarracenis, recepta ab imp. a regibus, deinde a Venetis obtenta

Insula Creta a Sarracenis; recuperata ab imp. a Venetis occupata

Insula Rodus a Sarracenis; recuperata a militibus Hospitalis, a Turcis per uim occupata

Prouinciae Transtigritanae, & Mesopotamiae pars a Persis

Aegyptus, Syria, Phonices, Palestina, Armenia, Mesopotamiae reliqua pars a Sarracenis primum, deinde a Turcis

Asia minor omnis a Turcis obtenta, recuperata a Gallis, iterũ a Turcis occupata

Reliquae maris mediterranei insulae fere omnes a Sarracenis occupatae fuerant, multae ex his a Christianis receptae, de nuo a Turcis obtentae sunt

IMPERATORES. ROMANI

Quum ego saepe multorum Romanorum principum in hisce meis commentarijs mentionem fecerim, qui uel nouas pro

uincias

uincias acquisierint, uel amiserīt, aut amissas recuperauerint, res postremo desiderare uidetur, ut quemadmodum de regibus Parthorum, Persarum, & Sarracenorum feci, ita etiam Romanorum principum seriem hic subijciam, ut quo tempore unusquisque eorum uel quo ordine res ab ipsis gestae fuerint, facilius intelligatur

Anni C. Iulius Caesar dictator imperauit annis IIII
Xp̄i Imp. Caesar Augustus imperauit annis LVI
15 Ti. Iulius Caesar Augustus imperauit annis XXIII
38 C. Iulius Caesar Augustus Caligula annis IIII
42 Ti. Claudius Caesar Augustus annis XIIII
55 Nero Claudius Caesar Augustus annis XIIII
69 Ser. Sulpicius Galba imp. Caes. Aug. mens. VII
70 Imp. M. Saluius Otho Caesar Aug. menses III
70 A Vitellius imp. Augustus imperauit menses VIII
70 Imp. Caesar Vespasianus Augustus annis X
80 Imp. T. Caesar Vespasianus Augustus annis II
82 Imp. Caesar Fl. Domitianus Augustus annis XV
97 Imp. Nerua Caesar Augustus annos II
99 Imp. Caes. Nerua Traianus Augustus annos XX
118 Imp. Caesar Traianus Hadrianus Aug. an. XXI
139 Imp. Caesar T. Ailius Hadrianus Antoninus Pius Aug. imperauit annos XXIII
162 Imp. Caesar M. Aurelius Antoninus Aug. annos XIX
162 Imp. Caesar L. Aurelius verus Aug. annos IX
181 Imp. Caes. M. Aurelius Commodus Aug. an. XIII
194 Imp. Caes. P. Heluius Pertinax Augustus mens. III
194 Imp. Caesar M. Didius Iulianus Aug. mens. II
194 Imp. Caesar L. Septimius Seuerus Augustus an. XVIII
212 Imp. Caes. M. Aurelius Antoninus Caracallus Augustus imperauit annos VI

imp.

218 Imp. Caes. M. Opelius Macrinus Augustus annum I
219 Imp. Caesar M. Aurelius Antoninus Alagabalus Augustus imperauit annos III
223 Imp. Caes. M. Aurelius Alexander Augustus an. XIII
236 Imp. Caes. C. Iulius Maximinus Augustus annos III
238 Imp. Caesar D. Coelius Balbinus Augustus annum I
238 Imp. Caesar M. Clodius Maximus Pupienus Aug. an. I
239 Imp. Caes. M. Antonius Gordianus Aug. ann. VI
245 Imp. Caes. M. Iulius Philippus Augustus annos V
250 Imp. Caes. Cn. Messius Decius Augustus an. II
252 Imp. Caes. C. Vibius Trebonianus Gallus Aug. an. II
252 Imp. Caes. C. Vibius Hostilianus Augustus an. II
254 Imp. Caes. P. Licinius Valerianus Augustus an. VI
254 Imp. Caesar P. Licinius Gallienus Augustus an. XV
269 Imp. Caes. Fl. Claudius Augustus annos II
271 Imp. Caes. L. Domitius Aurelianus Augustus annos V
276 Imp. Caesar M. Flauius Tacitus Augustus menses VI
277 Imp. Caes. M. Aurelius Probus Augustus annos V
282 Imp. Caes. M. Aurelius Carus Augustus annos II
283 Imp. Caesar M. Aurelius Carinus Augustus annos II
283 Imp. Caesar M. Aurelius Numerianus Aug. annum I
284 Imp. Caes. C. Valerius Dioletianus Aug. annos XX
286 Imp. Caes. M. Aurelius Maximianus Aug. ann. XVIII
304 Imp. Caes. Fl. Valerius Constantius Augustus ann. II
304 Imp. Caes. C. Galerius Maximianus Aug. annos VIII
306 Imp. Caes. Fl. Valerius Cōstantinus Maximus Augustus imperauit annos XXXI
337 Imp. Caes. Fl. Iulius Constantius Augustus an. XXV
337 Imp. Caes. Fl. Valerius Constans Aug. annos XIII
361 Imp. Caes. Fl. Claudius Iulianus Augustus annos II
362 Imp. Caes. Fl. Iouianus Augustus mens. VIII

IMP.

IMP. ROMANI. OCCIDENTALES

364 Imp. Caesar Fl. Valentinianus Augustus an. XII
375 Imp. Caesar Fl. Gratianus Augustus an. VIII
383 Imp. Caesar Fl. Valentinianus Iunior Aug. an. IX
392 Imp. Caesar Fl. Theodosius Augustus an. II
395 Imp. Caesar Fl. Honorius Augustus an. XXIX
424 Imp. Caesar Fl. Ioannes Augustus an. I
425 Imp. Caes. Fl. Placidius Valentinianus Aug. an. XXX
455 Imp. Caesar Fl. Maximus Aug. mens. III
456 Imp. Caesar Fl. Auitus Augustus mens. X
457 Imp. Caesar Fl. Valerius Maiorianus Aug. an. IIII
461 Imp. Caesar Fl. Vibius Seuerus Augustus ann. IIII
467 Imp. Caesar Fl. Anthemius Augustus an. V
473 Imp. Caesar Fl. Anicius Olybrius Aug. menses IIII
474 Imp. Caesar Fl. Glicerius Augustus annum I
474 Imp. Caesar Fl. Iulius Nepos Aug. annum I
475 Imp. Caesar Fl. Momyllus Augustus menses X
476 Hoc, quum ab Odouacre coactus esset, abdicante, imperium occidentale populi Romani defecit, Gothis Italiam & vrbem sub regio nomine obtinentibus. Fuitque in occidente interregnum annorum CCCXXV. usque ad Caroli Magni Francorum regis imperium.

Post Augustum Momyllum cognomine Augustulum, Italiae reges fuerunt Odouacer, Theodericus, Athalaricus, Theodahatus, Vitiges, Araricus, Hildebrandus, Totilas, & Theias. Quo bello uicto, & Gothis pulsis, Italia imperio orientis attributa est. Quam quum Longobardi occupassent, Francorum armis ducentesimo anno post in libertatem uendicata est.

IMPERATORES. ROMANI ORIENTALES

364 Imp. Caesar Fl. Valens Augustus annos XIIII
379 Imp. Caesar Fl. Theodosius Augustus annos XVI
395 Imp. Caesar Fl. Arcadius Augustus an. XIII
408 Imp. Caesar Fl. Theodosius Iunior Augustus an. XLII
350 Imp. Caesar Fl. Marcianus Augustus an. VI
457 Imp. Caesar Fl. Leo Augustus an. XVII
474 Imp. Caesar Fl. Zeno Augustus an. XVII
491 Imp. Caesar Fl. Anastasius Augustus an. XXVII
518 Imp. Caesar Fl. Iustinus Augustus annos IX
527 Imp. Caes. Fl. Iustinianus Magnus Aug. an. XXXIX
565 Imp. Caesar Fl. Iustinus Iunior Augustus an. XI
576 Imp. Caes. Fl. Tiberius Constantinus Aug. annos VII
583 Imp. Caesar Fl. Mauricius Augustus annos XX
603 Imp. Caesar Fl. Phocas Augustus annos VIII
611 Imp. Caesar Fl. Heraclius Augustus annos XXX
641 Imp. Caes. Fl. Constans Iunior Augustus an. XXVII
669 Imp. Caesar Fl. Constantinus Augustus an. XVII
686 Imp. Caes. Fl. Iustinianus Iunior Augustus an. X
696 Imp. Caes. Fl. Leontius Augustus an. III
699 Imp. Caes. Fl. Tiberius Habsimarus Augustus an. VII
706 Imp. Caesar Fl. Iustinianus Iunior Aug. iterum an. VI
712 Imp. Caesar Fl. Philippicus Bardanes Aug. an. III
715 Imp. Caesar Fl. Artemius Anastasius Aug. an. I
716 Imp. Caes. Fl. Theodosius Adramyttenus Aug. mens. VII
717 Imp. Caesar Fl. Leo Cono Augustus an. XXIIII
741 Imp. Caes. Fl. Cōstantinus Copronymus Aug. an. XXXV
775 Imp. Caesar Fl. Leo IIII. Augstus an. V
780 Imp. Caes. Fl. Cōstantinus Porphyrogenitus Aug. an. X

Ceteros orientis imperatores ideo omisi, quod ad eorum quae scripsi cognitionem haec ipsorum series sufficiat, quod si quis reliquos cognoscere uoluerit, qui tam in oriente quã in occidẽte usq; ad nostra tempora fuerunt, is fastos nostros, eorumque commentarium consulat

FINIS

DE. IIS. QVORVM. PRAECIPVE opera in his commentarijs ſcribendis vſus ſum



ON ſum ignarus, quin haec omnia, quae tribus his commẽtariorum libris cõplexus ſum, potuerint multo elegantiore dicendi ratione pro eorum dignitate tractari, ego enim exiguam meam in dicendo facultatem ſatis perſpicio, quippe qui nullum unquam in hac arte, quae uniuerſam hominis aetatem occupare poteſt, me tempus poſuiſſe ſciam. Illud autem omnes intelligant uelim, me in indigãda rerum veritate, eaque hominibus demonſtranda, quantum in me fuit elaboraſſe, qua in re nulli me animi aut corporis labori peperciſſe profiteor; quod idcirco ſcripſi, quia intelligo nonnullos fortaſſe futuros, qui ea, quae ego diuturno ſtudio

dio vndique conquiſiui, atque ſine ullis uerborum ornamentis tradidi, ſibi ipſis meo nomine ſuppreſſo uẽdicabũt, cũ ea pro ſua dicẽdi facultate ſe ornatius, aut illuſtrius tractaturos eſſe non diffidant: quod ſi unquam euenerit diligentem lectorem oratum uelim, ut ab vtro res, ab vtro verba effluxerint accuratius conſideret, atque meritas vtrique ſui laboris gratias habeat. Antiquitatis enim & ceterarum diſciplinarum cognitio, nõ verborum ſplendore, ſed rerum geſtarum ueritate continetur; quod ſi quis ad res ipſas a ſe inuentas orationis etiam elegãtiam addijcere poterit, is nimirum ſingularis, ac prope diuinus homo iudicãdus erit. Ego quam potui in hoc opere fidẽ, ac diligentiam praeſtiti, in quo conficiẽdo, multis antiquarum inſcriptionum, multis omnium ueterum ſcriptorum teſtimonijs vſus ſum, quorum praecipui, praeter Varronem, Ciceronem, Dionyſium

nysium, Liuium, Valerium, Paterculũ, Solinum, Strabonem, Plinium, Plutarchum, Tacitum, Tranquillum, Appianum, Dionem, Festum, Ouidium, Zosimum, Eutropium, Prosperum, & Pro copium, ob argumenti similitudinẽ fuerunt L. Annaeus Florus T. Liuij abbre uiator, Sex. Rufus, P. Victor, & incerti auctoris liber, cui vtriusque imperij notitia nomen est

Ex recentioribus uero ANTONII AVGVSTINI. EPISCOPI ALLIFANI. inprimis opera, & cõsilio cum in toto opere, tũ praecipue in secundo & tertio libro, ubi de tribubus, colonijs, municipijs, & eorundem iure disputaui, multũ adiutus sum, nihil enim paene de his rebus scripsi, quod non cũ eo cõtulerim; qui incredibili humanitate de his omnibus rebus, de quibus dubitabam, & acutissime respondit, & grauissime disputauit, ita ut illi uni non minus

nus quam mihi hunc laborem acceptum referre antiquitatis ſtudioſi debent Poſt eum CAROLVS. SIGONIVS MVTINENSIS, cuius de laudibus alio loco pluribus ſcripſi, maxima mihi ad ſecundum etiam & tertium librum adiumenta ſubminiſtrauit, hunc enim unum ut ingenio ſingulari, & in tota Romana antiquitate, ſcientia, ac iudicio prope incredibili praeditum, ſic eximia humanitate ornatum ex ijs qui non Romae habitent, eſſe cognoui. Is igitur cum forte eodem tempore, quo ego hunc librum Venetijs excudebam uetera ciuium Romanorum, atque priſcorũ Italicorum iura, in ijs libris quos de antiquo ciuium Romanorum, & Italiae iure inſcripſit, literis ac memoriae commendaret, praeclara mihi ſaepe ſua conſilia communicauit, quibus, ut nihil ad veterem illuſtrandam Italiam aptius eſſe iudicaui, ſic ea ſaepe ad has inſtitu-

 tiones

tiones meas Romani imperij conſcribendas adhibui

PETRI GRVCCHII RHOTOMAGENSIS GALLI viri doctiſsimi,& Romanae antiquitatis peritiſsimi libro quoque de comitijs vſus ſum; in qno vniuerſam veterum comitiorum rationem accuratiſsime explicuit. Ei multum Galliam,quae eſt natale ſolum, ſed plus Italiam,& vrbem Romam debere exiſtimo, a quo elegantibus,& eruditione plenis commentarijs,hoc noſtro tempore multum decoris,& in rebus obſcuriſsimis ſplendoris acceperunt

Quum ad propoſiti mihi operis finem tandem peruenerim Caeſar Auguſte, quod dum honeſtiſsimo ocio ab optimo, & grauiſſimo viro ALEXANDRO FARNESIO Cardinale ampliſsimo patrono meo, mihi liberaliſsime conceſſo fruor, abſolui; nũc reliquum eſt, vt quod initio precatus ſum, iterum Maieſtati tuae ſuggeram, vt laborem hunc meum, Auguſto numine ſuo comprobet, meq; inter eorum numerũ eſſe intelligat, qui eam, eiusque incredibiles virtutes obſeruant, colunt, & venerantur

F I N I S

Libro ſecundo, pagina 350. Vbi de flamine Virbiali verba feci, me eius mentionem fieri in vetuſta inſcriptione inueniſſe ſcripſi, quam quia tunc ad manus non erat, in libri fine me adiecturum pollicitus ſum, eſt autem haec, quam ad me ex vrbe miſit Antoninus Auguſtinus epiſcopus Allifanus

. . . .
PRAEF. IVVEN
EQVO. PVBLICO
ADLECTO. IN. V. DECVR
ORNATO. MILITIAE
PRAEF. COH. AFRICAE
FLAMINI. VIRBIALI
AVGVRI. AEDILI
AVGVSTALI. Q. Q. IVVENVM

Libro ſecundo, pagina 544. tribui Camilliae hoc adde epigramma Mutinae in uetuſto ſaxo exaratum

P. VETTIO. P. F. CAM
SABINO. E. Q. P
IIII. VIR. AED. POT
ET. MAG. MAN. RAVEN
CORNELIA. MAXIMINA
MARITO. INCOMPARAB
ET. SIBI. VIVA. POSVIT

Pagina 550. libro secundo, post epigramma C N SERGIO. in tribu. VOT. hoc etiam, quod Placentiae adhuc in Aede D. Paulli extat, adde

V . F

L . BETVCIVS . L . F
VOT. TENAX
L . BETVCIO . L . F
RVFO . PATRI
CINTVLLIAE . L . F
MAXIMAE. MATRI
C . BETVCIO . L . F
SALVIO. PATRVO
L . BETVCIO . L . F
A V O


VIN CENT

$1.50

119

